[illegible]

P L A U T I
CAPTEIVEI ET AULULARIA
T E R E N T I I
COMOEDIAE OMNES
E X P U R G A T A E
Ac brevibus Adnotationibus illustratae
P E R
SALVATOREM GAUDINUM.
ACCEDUNT SELECTAE
O V I D I I
METAMORPHOSES.
AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI.





N E A P O L I AN. CIↃIↃCCLXX.
APUD SIMONES FRATRES.
Utriusque Potestatis permissu.

OS TENERUM PUERI

BALBUMQUE

POËTA FIGURAT.

Horat. Epist. II. 1.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

ANTONINO
SERSALIO

S. R. E. CARD. ARCHIEPISC. NEAPOLIT.

SALVATOR GAUDINUS

D. D.



Ui dem Captivos PLAUTI & Aulularium,
Senasque docti Fabulas TERENTII,
Quae non ut adhuc, nec pertractate prodeunt,
Quum nonnihil verborum hinc & rerum fiet

Expunctum, ne quid puerûm mores perderet?
Tibi, SERSALI; quippe cui grata omnia
Sunt, quae Tuorum fiunt Adolescentium
In usum, ingeniorum excolendi gratia.
Testatur hoc vel artis Oratoriae, &
Poëticae libellus nuper editus
In lucem jussu, PATER, & auspicio Tuo.
Praeterea, id ipse ut facerem, & illud impulit
(Audacter sumtum quidem, at ignoscendum tamen)
Quod praeter ceteros Te patronum optimum
Futurum mihi posthac in eos existimem,
Quorum aliter hac fuerit de re sententia.
Nam vereor, ne, quod hujus feci non sine
Labore, mutans saepe, atque addens de meo
Nonnulla, ubique ut sibi constarent Fabulae
Suis identidem spoliatae versibus,
Isti dent vitio, meque Scriptorum bonas
Contaminasse clamitent Comoedias.
At hos, si qui sint, monitos unum hoc pervelim,
Istuc fuisse factum unius scilicet
Caussa Juventae, quae nutritur in sacris
Hujusce Seminarî contuberniis:
Quo nullus, ita ni fieret, patuisset aditus
Venustis PLAUTI versibus & TERENTII.

Qua-

Quare libellum hunc, CARDINALIS inclyte,
Tibi habe: & quicquid laboris impenſum dedi,
Per ego illam Te nunc benevolentiam & fidem,
Quas ſemper in Tuo animo intellexi ſitas,
Oro obteſtorque, aequi bonique conſulas;
Faciaſque, ut Tua, ſi quid opus erit, auctoritas
Meae ſit fautrix adjutrixque induſtriae.





SEMINARII NEAPOLITANI

ADOLESCENTIBUS

Χαίρειν καὶ εὐπράττειν.



Amdiu quidem id erat in votis, optimi Adolescentes, ut elegantissima Plauti ac Terentii carmina legendi copia vobis fieret, ne ex tot aureae Latinitatis Poëtis, qui fere omnes vestris manibus quotidie teruntur, horum duorum nobile quiddam neque aliis commune sonantium studio atque imitatione expertes videremini. Sed quominus id fieret, illud semper obstitit, quod nimirum nullae omnino reperirentur editiones, quae utriusque Poëtae Comoedias (partim saltem, si non omnes) ad pudicos mores satis expurgatas adolescentium usui impune exhiberent. Quocirca anno proxime elapso in animum induxi meum, hanc aggredi provinciam; & Terentii quidem Fabulas omnes, Plauti vero duas tantum (Captivos *scilicet, &* Aulularium *utpote ceteris castiores) ita ad honesti normam exigere, ut obscoenis versibus, quotquot inerant, procul eliminatis, illas jam bene recteque moratas unicuique vestrum inoffenso pede percurrere posthac liceret. Ea igitur mente operi manum admovi, & quantum subjeci-*

fecivi temporis quotidianas inter occupationes datum est, totum in eo insumsi. Quod tandem cum perfecerim, qualecumque est, en vobis in praesentia sistitur.

Verum antequam hujusmodi Fabulas spectatum admittamini, nonnulla hic breviter animadvertatis volo; ut eorum, quae in hac editione praestiti, rationem perspectam habeatis.

Et primo quidem plerique fortasse mirabuntur, me ex Plautinis Comoediis, quae ad viginti numerantur, duas tantum, Terentianas vero omnes huc transtulisse. At si quis rem penitus investigaverit, profecto intelliget, neque ulla id in Plautum injuria fieri, & Terentio tribui quantum mereatur. Licet enim uterque Scriptor aureae Latini sermonis aetati adscribatur, non est tamen inficiandum, quod antehac eruditissimi quique viri animadverterunt, Terentium & dicendi elegantia, & excogitandi arte longe multumque Plauto antecellere. Hinc de altero Tullius ad Att. VII. 3. Fabellae (*Terentii*) propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi. *De altero Flaccus ad Pisones*

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte mirati.

Praeterea cum in hisce Fabulis expurgandis nihil ego antiquius habuerim, quam ut ingenuo studiosae juventutis pudori vel maxime prospicerem: eapropter necesse mihi fuit, quamplurima ex utroque Poëta tum verba tum carmina; ex Terentio autem integras quandoque Scenas, atque Actus expungere. At simul, ne aut in versibus ratio metri, aut in Comoediis unitas Actionis deperiret, sumsi hoc mihi: paucula nimirum de meo substitui, ipsorum tamen Poëtarum (quoad ejus

fieri

fieri potuit) verba mutuatus. Ceterum discriminis ergo, iis versibus, quos vel totos addiderim, vel parce a fonte detorserim, hanc notam („) praeire jussi.

Denique quod ad Notas in ora appositas attinet, illud vos monitos volo, me & rerum brevitati, & vestrae imprimis utilitati consuluisse. Hinc nullum interpretatione dignum locum praetermisi, quin luculentissimis, iisque brevissimis adnotationibus illustrarem. Qua quidem in re nonnihil me adjuverunt aliorum editiones praesertim recentiores; quae variis doctissimorum virorum commentariis abundant.

His igitur animadversis, optimi Adolescentes, jam nihil est, quod ultra vos detineam. Agite dum ea, qua soletis, animi attentione tantos Poëtas revolvite. Equidem spero atque confido fore, ut non mediocrem hinc percipiatis utilitatem. At illud summopere hortor, ne quis vestrum (ut ingenuos, & in sortem Domini vocatos decet Adolescentes) haec praesertim studia in alium usum vertere audeat, nisi quem Beatus olim Hieronymus in Monasterio Bethlehem a pueris sibi in disciplinam traditis postulabat; cum dociles horum animos Christianae religionis rudimentis imbuens, profanorum simul Auctorum, sive Historicorum, sive Poëtarum lectione informaret: ut ii scilicet jam inde a pueritia varios Ethnicorum mores, ac politiores sermonis elegantias ex eorundem libris eruditi, grandiores postea doctrinam hanc suam in sacrarum litterarum lumen atque ornamentum advocare studerent; quemadmodum ipsemet Doctorum maximus suo probarat exemplo. Hoc idem igitur & vos in hisce studiis unice propositum habeatis rogo. Valete.

M. AC-

M. ACCI
PLAUTI.
CAPTEIVEI
ET
AULULARIA.

PLAUTI VITA.

M. Accius *a pedum planitie*, *sive* πλατύτητι *initio Plotus*, *postea* Plautus *est dictus*; *patria Sarsinas ex Umbria*, *lepidissimus Poëta Comicus*. *A temporibus belli Punici secundi floruit*, *ingenio magis dives*, *quam opibus*, *ita ut ad molas manuarias se locare coactus sit pistori*. *Fatis concessit Romae cum Terentius vix novennis esset Anno U. C. DLXX. ante* Christum *natum CLXXXIV. P. Claudio*, *&* *L. Porcio Coss. . . . Extant ex ipsius Comoediis*, *quarum CXXX. aetate A. Gellii sub Plauti nomine circumferebantur*, *viginti ordine fere litterarum a Grammaticis digestae*, *ad evolvendi*, *ut credibile est*, *facilitatem*. Haec & alia multa de *Plauto* Fabricius in Bibl. Lat. lib. 1. cap. 1.

P L A U T I
C A P T E I V E I.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
ERGASILUS, *Parasitus*.
HEGIO, *Senex*.
LORARIUS, *Captivus*.
PHILOCRATES, *Eliensis, Captivus cum Tyndaro in Aetolia*.
TYNDARUS, *Hegionis filius a servo surreptus*.
ARISTOPHONTES, *Eliensis, Captivus in Aetolia*.
PUER *Hegionis*.
PHILOPOLEMUS, *Hegionis filius captivus in Elide*.
STALAGMUS, *Hegionis servus fugitivus*.
GREX.

ARGUMENTUM.

Fabulae huic nomen CAPTIVI DUO: *inter Plautinas omnes haec & argumento & expositione optima est, & elegantissima. Ipse enim Poëta hanc commendat ut pudice scriptam. Multaeque bonae sententiae in hac insunt, & eximiae fidei exemplum servi erga herilem filium. Cum enim bellum esset inter Aetolos & Elienses, capitur Philopolemus Aetolus Hegionis filius, itemque Eliensis Philocrates. Hunc Hegio una cum servo Tyndaro emit, quod speraret, posse aliqua permutatione captivorum recuperare se filium suum. Sed inter Philocratem & servum convenit, ut servus se dominum esse simularet. Ita dimissus aestimatus Philocrates ut servus, rediit in patriam. Fraude detecta per alterum captivum Aristophontem, vehementissime irascitur senex, & Tyndarum compeditum in lapidicinas conjicit. Hic erat filius,*

lius ipsius, furto surreptus aetate puerili a servo. Interea revertitur Philocrates, & adducit filium Hegionis, & servum etiam illum furem. Itaque agnitus Tyndarus in libertatem, & familiam suam restituitur. Argumentum ita est sumptum quasi res geratur in Aetolia.



* *PROLOGUS.*


Os quos videtis stare hic capteivos duos,
Illi qui astant. hi stant ambo, non sedent.
Vos vos mihi testes estis, me verum loqui.
Senex qui hic habitat, Hegio est hujus pater.
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo,
Alterum quadrimum puerum servus surpuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri hujusce: jam hoc tenetis? optimum est.
Negat, hercle, ille ultimus. accedito.
Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules;
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tua caussa, ne erres, non rupturu' sum;
Vos qui potestis ope vestra censerier,

Ac-

(*) In hoc prologo fabulae totius argumentum exponitur non sine jocularibus, & seriis digressiunculis.

(1) *Hos quos*. Constructio crebra Plauto; qualis & illa Virg. Aen. I. 577. *Urbem quam statuo vestra est*.

Captivos duos. Tyndarum, & Philocratem.

(2) *Illi*. Pro *illic*.

(4) *Hujus*. Tyndari.

(5) *Suo sibi*. Pro *suo ipsius*. Item infra v. 46. *sua sibi*, pro *sua ipsorum*.

(9) *Alide*. Pro *Elide*, quod est Achaiae oppidum: Ita infra *Aliis* pro *Eliis* dictum.

(11) *Negat*. Subaudi *tenere* i.e. intellexisse hoc. A'ποςροφὴ ad quemdam obstrepentem Prologo de ultima cavea.

(13) *Mendicarier*. Histrio, cui obstrepitur, vocem plerumque obtundit clamando: atque ita arte histrionica deserta cogitur mendicare.

(14) *Ne erres*. Non intelligendo Fabulae argumentum.

Non rupturus. Non rumpam mihi ilia clamando.

(15) *Ope vestra*. H. e. propter opes & divitias vestras potestis in censum referri.

Accipite reliquom. alieno uti nihil moror.
Fugitivus ille, ut dixeram ante, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, vendidit.
Hic poſtquam hunc emit, dedit eum huic gnato ſuo
Peculiarem: quia quaſi una aetas erat.
Hic nunc domi ſervit ſuo patri, nec ſcit pater.
Enimvero DI NOS quaſi pilas homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiſerit.
Poſtquam belligerant Aetoli cum Aliis,
Ut fit in bello, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide,
Coepit captivos commercari hic Alios,
Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum
Illum captivum. Hunc ſuum eſſe neſcit, qui domi eſt.
Et quoniam heri inde audivit, de ſummo loco
Summoque genere captum eſſe equitem Aleum,
Nihil pretio parſit, filio dum parceret,
Reconciliare ut facilius poſſet domum,
Emit hoſce de praeda ambos de Quaeſtoribus.
Hice autem inter ſe ſe hunc confixerunt dolum,
Quo pacto hic ſervus ſuum herum hinc amittat domum.
Itaque inter ſe commutant veſtem & nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam,
Et ſuum herum faciet libertatis compotem.

Eo-

(18) *Reliquom*. Scil. argumenti. Dovzae videtur Plautus ludere in ambigua ſignificatione τῶ *Reliquum*, quod etiam *aes alienum* ſignificat.

Alieno. A fabula argumento.

(18) *Dominum*. Minorem, herilem filium.

(19) *Hic*. Theodromedes pater Philocratis.

(20) *Peculiarem*. Ut eſſet in ejus peculio. Ita Aul. III. 4. *gallum peculiarem* Staphylae ſervae dixit. Nam ut ſervo, ita & filio peculium habere jure civili licebat.

(21) *Hic*. Tyndarus.

(22) *Di nos*. Verſant, & ut ipſis libet, male habent.

(28) *Cum quo* &c. Pro quo recipiat ſuum filium permutatione facta.

(30) *Inde*. Ex Elide.

(32) *Parceret*. Conſuleret.

(33) *Reconciliare*. Recuperare.

(34) *Quaeſtoribus*. Urbanis ſcilicet, qui praedas hoſtium vendebant.

(40) *Expediet*. Ad exitum perducet.

Eodemque pacto fratrem servabit suum,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem
Imprudens: itidemque ut saepe jam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam prudens boni.
Sed inscientes sua sibi fallacia
Ita compararunt & confixerunt dolum:
Itaque hi commenti de sua sententia
Ut in servitute hic ad suum maneat patrem;
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
HOMUNCULI quanti sunt, cum recogito!
Haec res agetur nobis, vobis Fabula.
Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.
Profecto expediet, Fabulae huic operam dare.
Non pertractate facta est, neque item ut ceterae;
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles;
Hic neque perjurus mango est, nec mulier mala,
Neque miles gloriosus. Ne vereamini,
Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aliis.
Foris illic extra scenam fient praelia.
Nam hoc paene iniquum est Comico choragio,
Conari de subito nos agere Tragoediam.
Proin, si quis pugnam expectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adversarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inspectet non bonam:
Adeo ut spectare postea omneis oderit.
Abeo. Valete, judices justissimi.
Domi, bellique, duellatores optumi.

(48) *De sua sententia*. Nullis aliis in consilium adhibitis.
(51) *Quanti sunt*. Quam parvi pretii sunt homines.
(52) *Haec res*. Quasi vera agetur a nobis, vobis id erit spectaculum, & ludus.
(55) *Pertractate*. Usitata ratione. Sunt qui interpretantur *impudice*, *lascive*.
(56) *Immemorabiles*. Memoratu indigni.
(61) *Choragio*. Instrumento & apparatu scenarum.
(63) *Expectat*. Desiderat. *Contrahat*. Excitet.

ACTUS

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

ERGASILUS

Suam calamitatem deplorat, quippe qui Philopolemum regem ſuum ab Eliis in bello captum amiſerit.

„ PAraſitûm nomen vulgo eſt nobis inditum,
„ Qui ut mures ſemper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatae ſunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatae res ſunt noſtris dentibus.
Quaſi cum caletur, cochleae in occulto latent
Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit:
Item Paraſiti rebus prolatis latent
In occulto, miſeri victitant ſucco ſuo,
Dum ruri rurant homines quos liguriant.
Prolatis rebus Paraſiti venatici
Sumus: quando res redierunt, moloſſici
Odioſicique & multum incommodiſtici.
Et hic quidem, hercle, niſi qui colaphos perpeti
Potis Paraſitus, frangique aulas in caput.
Vel ire extra portam trigeminam ad ſaccum licet.
Quod

(3) *Res prolatae*. Rerum prolatio eſt negotiorum ſuſpenſio, & Juriſdictionis ſilentium.

(5) *Cum caletur*. Media aeſtate.

Cochleae. Limaces dictae nonnullis.

(9) *Rurant*. Ruſticantur.

(10) *Venatici*. Graciles, macri, ad cibum quaerendum expediti.

(11) *Redierunt*. Ut feriis *res prolatae*; ita iis exactis *rediiſſe* dicebantur. *Moloſſici*, *Odioſici*, & *Incommodiſtici*, nomina a *moloſſo*, *odio*, & *incommodo* ita producta, riſus movendi gratia.

(13) *Niſi qui*. Poteſt pati colaphos &c. Triplex genus Paraſitorum fuit *Deriſorum*, *Plagipatidarum* (de quibus hic) & *Adulatorum*.

(15) *Trigeminam*. Porta ita dicta a tergeminis Horatiis, & Curiatiis; eadem ac Oſtienſis extra quam egentes homines ſe-

Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.
Nam postquam meus rex est potitus hostium,
Ita nunc belligerant Aetoli cum Aliis.
Nam Aetolia haec est: illic captu 'st in Alide
Philopolemus hujus Hegionis filius
Senis, qui hic habitat: quae aedes lamentariae
Mihi sunt, quas quotiescumque conspicio, fleo.
Nunc hic occepit quaestum hunc filii gratia
Inhonestum, maxume alienum ingenio suo.
Homines captivos commercatur, si queat
Aliquem invenire, suum quicum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium,
Undè saturitate saepe ego exii ebrius.

debant, stipemque a praetereuntibus petebant.

Saccum. Sacculum, seu crumenam in quam mendici stipem condebant.

(17) *Rex*. Philopolemus. Reges appellabant Parasiti illos, a quibus alebantur. Vid. Ter. Phor. II. 2. 25.

Potitus &c. Pro, *captus est ab hostibus*, κατ' εὐφημισμόν.

SCENA SECUNDA.

Hegio, Lorarius, Ergasilus.

Jubet Hegio servari captivos; deinde Parasitum de erepto sibi Philopolemo dolentem ad coenam invitat.

ADvorte animum sis tu: istos captivos duos,
Here quos emi de praeda, de quaestoribus,
His indito catenas singularias;
Istas majores, quibus sunt vincti, demito.
Sinito ambulare, si foris, si intus volent:
Sed uti asserventur magna diligentia.
Liber captivus avis ferae consimilis est:
Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est: nunquam post illam possis prendere.

(3) *Singularias*. Lambinus interpretratur singulares i. e. simplices, & minores oppositas majoribus.

(5) *Si*. Pro *sive*.

(7) *Ferae*. Avis fera e cavea libenter evolat, neque postea redit.

(9) *Satis est*. Idem ac conclamatum est.

Lo. OMNES profecto liberi lubentius
Sumus, quam ſervimus. *He.* Non videre ita tu quidem.
Lo. Si non eſt quod dem, mene vis dem ipſe in pedes?
He. Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.
Lo. Avis me ferae conſimilem faciam, ut praedicas.
He. Ita ut dicis. nam ſi faxis, te in caveam dabo.
Sed ſatis verborum eſt. cura quae juſſi, atque abi.
Er. Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret;
Nam ni illum recipit, nihil eſt quo me recipiam.
Nulla juventutis eſt ſpes: ſeſe omnes amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus:
Cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne eſt pater ejus moratus moribus.
He. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos:
Viſam ne nocte hac quippiam turbaverint.
Inde me continuo recipiam rurſum domum.
Er. Aegre eſt mihi hunc facere quaeſtum carcerarium,
Propter ſui gnati miſeriam, miſerum ſenem.
Sed ſi ullo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnificinam hunc facere poſſum perpeti.
He. Quis hic loquitur? *Er.* Ego, qui tuo moerore maceror,
Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine.
Neque unquam quicquam me juvat quod edo domi:
Foris

(11) *Non* &c. Tu quidem non videris talis, neque ita ſentire; nam, ſi ita ſentires, comparares peculium, quo te redimeres.

(13) *Dederis*. Te in pedes. *Dem.* Magnum malum.

(15) *Ut dicis*. Luditur in verbis *avis ferae conſimilem facere*. Quod ſignificat & aufugere, ut Lorarius, & in caveam includere, ut Hegio accipit.

Caveam. Manet in metaphora: intelligit compedes, cuſtodiam.

(17) *Quod ego*. Referendum ad illa, quae de Hegione dixit Sc. I. v. 25.

(20) *Antiquis*. Optimis. *Antiqua* enim omnia habita ſunt meliora recentibus. Horat. *Adeo ſanctum eſt vetus omne poëma*. Hinc vulgo *nihil antiquius*, pro *nihil melius*.

(21) *Tranquillavi*. Exhilaravi.

Gratiis. Gratis, ſine aliqua mercede.

(26) *Quaeſtum carcerarium*. Commercium captivorum in carcerem conjectorum.

(28) *Conciliari*. Reſtitui, reduci.

(29) *Facere*. Exercere officium excarnificandi homines, & quaeſtum inde quaerere.

(33) *Me juvat*. Mihi prodeſt.

Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.
He. Ergasile, salve. *Er.* Di te bene ament, Hegio.
He. Ne fle. *Er.* Egone illum non fleam? egone non defleam
Talem adolescentem? *He.* Semper sensi filio
Meo te esse amicum, & illum intellexi tibi.
Er. TUM denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quae in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego postquam gnatus tuus potitu 'st hostium,
Expertus quanti fuerit: nunc desidero.
He. Alienus cum ejus incommodum tam aegre feras,
Quid me patrem par facere est, cui ille est unicus?
Er. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio!
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu 'st, mihi etiam unico magis unicus.
He. Laudo. MALUM quom amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. *Er.* Eheu! *He.* Huic illud dolet,
Quia nunc remissus est edendi exercitus.
Nullumne interea nactus, qui posset tibi
Remissum, quem dixi, imperare exercitum?
Er. Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat, postquam captu 'st Philopolemus tuus.
He. Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam
Multis, & multigeneribus opus est tibi
Militibus. primum dum opus est Pistoriensibus:
Eo-

(39) *Tum denique* &c. Horat. Lib. III. Od. 24. *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.*

(44) *Unicus*. Unice dilectus, Graece ἀγαπητός.

(49) *Huic* &c. Haec ad spectatores Hegio; sed ita ut a Parasito audiatur.

(50) *Quia nunc* &c. Verba militaria ad parasiticas coenas lepide detorquentur.

Remissus (i.e. dimissus) *exercitus edendi*. Intellige de epularum copiis, quae, absente rege, jam parasitum defecerant.

(52) *Dixi*. Ita cum Lambino emendavi, quod vulgo legitur *dixti*. Nam Hegio, non parasitus superius dixit *remissum exercitum*.

Imperare. Instaurare. Manet autem in eadem allegoria.

(54) *Quoi*. Philopolemo.

(57) *Pistorienfibus*. Pistorium, unde *Pistorienses*, oppidum est Italiae; hi vero pro *pistoribus* hic usurpantur. Populorum nominibus per jocum ad esculenta translatis. Ita infra *Panicei* populi a *Pana* Urbe Samnitium ita denominati accipiuntur pro iis qui *panem* conficiunt. Per *Placentinos* vero i. e. cives *Placentiae* urbis in Gallia Cispadana, & *Turdetanos* Hispaniae

Eorum ſunt genera aliquot Piſtorienſium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus eſt Ficedulenſibus:
Jam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
Er. Ut saepe ſumma ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator nunc privatus eſt!
He. Habe modo bonum animum, nam illum confido domum
In his diebus me reconciliaſſere.
Nam eccum hic captivum adoleſcentem Alium,
Prognatum genere ſummo, & ſummis divitiis:
Hoc, illum me mutare, confido fore.
Er. Ita Di, Deaeque faxint. *He.* Sed num quo foras
Vocatus ad coenam? *Er.* Nuſquam, quod ſciam.
Sed quid tu id quaeris? *He.* Quia mihi eſt natalis dies;
Propterea te vocari ad coenam volo.
Er. Facete dictum. *He.* Sed ſi pauxillum potes
Contentus eſſe. *Er.* Ne perpauxillum modo:
Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.
He. Age ſis, rogo. *Er.* Emtum, niſi qui meliorem afferet,
Quae mihi atque amicis placeat conditio magis;
Quaſi fundum vendens, meis me addicam legibus.

He.

niae populos alluditur ad eos, qui *placentas* conficiunt & *turdos* vendunt. Per *Ficedulenſes* denique intelligit *ficedularum* venditores; ſed erat & Vicus Romanus nomine *Ficedulae*.

(58) *Eorum*. Piſtorum non unum genus eſt.

(61) *Maritimi*. Piſcatores.

(65) *Reconciliaſſere*. Reducem facturum. Eſt autem infin. modi antiqui, futuri temporis. Sic in Aul. *impetraſſere*.

(73) *Pauxillum*. Pro *pauxillo contentus*.

(74) *Ne modo*. Dummodo non ſit perpauxillum, quod mihi quotidianum eſt.

(76) *Age ſis*. Veni coenatum rogo. *Sis*. pro *ſi vis*; ut *ſultis* pro *ſi vultis*. Utrumque Comicis familiare, & uſurpatur ad leniendum imperium.

Emtum. Paraſitus captat argutiam in verbo *Rogo*, quaſi Hegio rogaſſet, ut ſolebant in auctionibus, in quibus venditor emtori roganti *Eſt ne mihi emta haec res?* (pretio ſcil. per praeconem audito) reſpondebat: *Emtum* (i.e. res emta eſt tibi) *niſi quis meliorem* (conditionem) *afferet*. Senſus igitur hic eſt; Veniam coenatum apud te, modo lautioris coenae ſpes aliunde mihi non appareat. Ita legit, & explicat hunc verſum Salmaſius.

(78) *Meis me*. Meo modo, & conditione utar, emancipabo me ipſe tibi, quocumque modo mihi libet.

He. Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi:
Sed si venturus, tempori. *Er.* Hem! vel jam otium est.
He. I modo, venare leporem: nunc cirim tenes.
Nam meus scrupofam victus commetat viam.
Er. Nunquam istoc vinces me, Hegio; ne postules:
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
He. Asper meus victus sane est. *Er.* Sentisne esitas?
He. Terrestris coena est. *Er.* Sus terrestris bestia est.
He. Multis oleribus. *Er.* Curato aegrotos domi.
Nunquid vis? *He.* Venias tempori. *Er.* Memorem mones.
He. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

(79) *Profundum*. Voraginem, barathrum, ventrem scil. inexplebilem. Ut illud Horat. *Perniciem barathrumque macelli*.

(80) *Sed si* &c. At si venturus es ad coenam, fac venias *tempori* i. e. mature.

Vel jam. Vel hoc temporis puncto mihi per otium venire licet.

(81) *Venare*. Capta leporem, coenam cautiorem: nunc tibi habes cirim avem, coenam minime sumptuosam.

(82) *Nam meus*. Alludit ad proverbium *terere saxosam viam*, pro eo, quod est in difficultatibus versari.

(83) *Ne postules*. Ne istuc aequum censeas.

(84) *Calceatis*. Ita munitis, ut viam illam scrupofam facile conficere possim.

(85) *Sentisne*. An sentes comesse soles? Ita per jocum parasitus dixit Hegioni, qui suum victum *asperum* vocaverat.

(86) *Terrestris*. Interpetratur quod obscurius dixerat Hegio. *Coena* autem *terrestris* est, quae constat oleribus, & ceteris terra natis; quam Horatius dixit *sine sanguine*. Graece δεῖπνον ἄναιμον.

(87) *Curato*. Istam coenam apponito aegrotis, qui tenui victu alendi sunt.

(89) *Subducam*. *Subducere rationem* est digitis seorsum & secreto putare rationem, ut appareat quid nobis debeatur, quidve nos aliis.

(90) *Trapezitam*. Nummularium, apud quem pecunia custodiae, aut foenoris caussa ponitur.

ACTUS

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

LORARII, PHILOCRATES, TYNDARUS.

Lorarii Philocratem, & Tyndarum solantur. Illi vero colloquendi secreto copia sibi facta, fraudem Hegioni nectunt.

SI Dii immortales id voluere, vos hanc aerumnam exsequi,
Decet id pati animo aequo. Si id facietis levior labos erit.
Domi fuistis, credo, liberi:
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonu 'st,
Eamque herili imperio ingeniis vestris lenem reddere.
INDIGNA digna habenda sunt, herus quae facit. *Ph.* Oh, oh, oh!
Lo. Ejulatione haud opus est: oculis multam miseriam additis.
IN RE mala animo si bono utare, adjuvat.
Ph. At nos pudet, quia cum catenis sumus. *Lo.* At piget postea
Nostrum herum, si vos eximat vinculis,
Aut solutos sinat, quos argento emerit.
Ph. Quid a nobis metuit? scimus nos
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.
Lo. At fugam fingitis. sentio quam rem agitis.
Ph. Nos fugiamus? quo fugiamus? *Lo.* In patriam. *Ph.* Apage: haud nos id deceat

Fu-

(1) *Exsequi*. Perferre, sustinere.

(4) *Evenit*. Proprie. Nam servitus, libertas, divitiae &c. a Lucretio Lib. I. appellantur *eventa*.

Mos bonu 'st. Aequum est.

(5) *Lenem*. Facilem, morigeram ad omne herile imperium. Gronovius legit: *Eique herile imperium ... lene*; haud scio an melius.

(7) *Additis*. Ejulando, & flendo.

Fugitivos imitari. *Lo.* Imo edepol, si erit occasio, **haud** dehortor.
Ph. Unum exorare vos sinite nos. *Lo.* Quidnam id est? *Ph.* Ut sine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
Lo. Fiat. Abscedite hinc: nos concedamus huc. **Sed bre**vem orationem incipesse.
Ph. Hem istuc mihi certum erat. concede huc. *Lo.* Abite ab istis. *Ty.* Obnoxii ambo
Vobis sumus propter hanc rem; cum, quæ **volumus nos**
Copia est, ea facitis nos compotes.
Ph. Secede huc nunc jam, si videtur, procul:
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant:
Neve permanet palam haec nostra fallacia.
NAM, DOLI non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam provenit.
Nam si herus mihi es tu, atque ego me tuum esse servum assimulo,
Tamen viso opu 'st, cauto est opus, ut hoc sobrie, si neque arbitris,
Accurate hoc agatur, docte, & diligenter.
Tanta incepta res est: haud somniculose hoc
Agendum est. *Ty.* Ero, ut me voles esse. *Ph.* Spero.
Ty. Nam tu nunc vides pro tuo caro capite,
Carum offerre meum caput vilitati.
Ph. Scio. *Ty.* At scire memento, quando id, quod voles, habebis.
NAM FERE maxima pars morem hunc homines **habent**: quod sibi volunt,
Dum id impetrant, boni sunt: sed id ubi jam penes sese habent,

Ex

(17) *His*. Scil. captivis aliis. *Sine arbitris*. Nemine vidente.

(19) *Incipesse*. Ut a *facio*, *facesso*; sic *incipesso* ab *incipio*.

(22) *Copia*. Facultas eorum, quae &c.

Ea &c. Pro *ejus* [copiae] *compotes*. Libentius cum Gronovio legerem in vers. antec. *quam* pro *quae*, & hic *copiam* pro *copia est*.

(24) *Arbitrari*. Spectare, audire. Quemadmodum dicitur *arbiter* ille qui speculatur, vel audit.

(26) *Astu colas*. Callide struas.

(34) *Offerre vilitati*. Minimi aestimare.

(37) *Impetrant*. Impetrare conantur.

Ex bonis pessumi & fraudulentissumi
Sunt. Nunc ut te mihi volo esse, esse autumo.
Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.
Ph. Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem:
Nam secundum patrem tu es pater proximus.
Ty. Audio. *Ph.* Et propterea saepius te, ut memineris, moneo.
Non ego herus tibi, sed servus sum. Nunc obsecro te hoc unum,
Quoniam nobis Di immortales animum ostenderunt suum,
Ut qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conservum velint;
Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conservitium commune, quod hostica evenit manu,
Ne me secus honore honestes, quam ego te, cum servibas mihi,
Atque ut qui fueris, & qui nunc sis, meminisse ut memineris.
Ty. Scio quidem me te esse nunc, & te esse me. *Ph.* Hem istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

(40) *Quod tibi*. Formula aperientis cuipiam salutare consilium.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

Hegio cum a Philocrate, seu Pseudotyndaro rescivisset Tyndarum, seu Pseudophilocratem esse nobilem, cum hoc colloquens in fraudem impellitur, illumque in Elidem mitti sinit.

JAm ego revertar intro, si ex his quae volo exquisivero.
Ubi sunt isti, quos ante aedis jussi huc produci foras?
Ph. Edepol tibi ne quaestioni essemus, cautum intellego;
Ita

(3) *Ne quaestioni* &c. Ne opus esset nos quaerere, abs te cautum intelligo.

Ita vinclis custodiisque circummoeniti sumus.
He. QUI CAVET, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.
Etiam cum cavisse ratus est, saepe is cautor captus est.
An vero non justa caussa est, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?
Ph. Neque pol tibi nos, quia nos servas aequom est vitio vortere:
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.
He. Ut vos hic, itidem illic apud vos meus servatur filius.
Ph. Captus est? *He.* Ita. *Ph.* Non igitur nos soli ignavi fuimus.
He. Secede huc; nam sunt ex te quae solo scitari volo,
Quarum rerum te falsiloquum mihi esse nolo. *Ph.* Non ero,
Quod sciam. si quid nescivi, id nescium tradam tibi.
Ty. Nunc senex est in tonstrina: nunc jam cultros attinet.
Ne is quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinet.
Sed utrum, strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio: verum si frugi est usque admutilabit probe.
He. Quid tu? servus ne esse, an liber mavelis? memora mihi.
Ph. Proxumum quod sit bono, quodque a malo longissime,
Id volo. quamquam non multum fuit molesta servitus:
Nec mi secus erat, quam si essem familiaris filius.
Ty. Eugepae. Thalem talento non emam Milesium.
Nam ad sapientiam hujus nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad servitutem contulit!

He.

(12) *Ignavi*. Nam fortes in praeliis aut vincunt, aut moriuntur.

(15) *Nescium*. Ignoratum & incognitum dicam tibi.

(16) *Attinet*. Admotus tenet: scil. Philocrates.

(17) *Involucre*. Est hic linteum, quo tonsores humeros tondendorum, ne hi scil. inquinentur, involvunt. Sensus est. Philocrates sine ulla cura, pudore, aut metu Hegionem decipiet.

(18) *Strictim*. *Strictim tondere* est tondere ad cutem; *per pectinem*, est paullo longius a cute, interposito pectine, tondere. Manet autem in allegoria, utrumque de vario decipiendi modo intelligens; sic infra *admutilabit*, est *penitus decipiet*.

(24) *Eugepae*. Gestientis interjectio.

Thalem. Unum ex septem Sapientibus prae Philocrate contemnit Tyndarus, ita ut eum talento emere nolit.

(25) *Ad*. Comparationem hic notat.

He. Quo de genere natu 'ſt illic Philocrates? *Ph.* Polyplufio:
Quod genus illic eſt unum pollens atque honoratiſſimum.
He. Quid ipſus hic? quo honore eſt illic? *Ph.* Summo, atque ab ſummis viris.
He. Tum igitur ei cum in Aleis tanta gratia eſt, ut praedicas,
Quid divitiae, ſunt ne opimae? *Ph.* Unde excoquat ſevum ſenex.
He. Quid pater? vivit ne? *Ph.* Vivum, cum inde abiimus, liquimus.
Nunc vivat, nec ne, id Orcum ſcire oportet ſcilicet.
Ty. Salva res eſt. philoſophatur quoque jam, non mendax modo eſt.
He. Quod erat ei nomen? *Ph.* Theſaurochryſonicochryſides.
He. Videlicet propter divitias inditum id nomen quaſi eſt.
Ph. Imo edepol propter avaritiam ipſius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
He. Quid tu ais? tenax ne pater ejus eſt? *Ph.* Imo edepol pertinax.
Quin etiam ut magis noſcas: Genio ſuo ubi quando ſacruficat,
Ad rem divinam quibus eſt opus Samiis vaſis utitur.
Ne ipſe Genius ſurripiat. proinde aliis ut credat vide.

He.

(27) *Philocrates*. Sic eum ap-llat errans, cum ſit Tyndarus; ptivi enim alter alterius no-n ſumſerant, mutata etiam ſte.

Polyplufio. Appoſite poëta fin- hoc nomen quod divitiarum piam notat. Πολύ enim Latine *multum*: πλούσιος autem eſt *es*.

(31) *Unde*. Adeo ſunt opi-e, ut ex eis coctis ſebum e-re poſſit ejus pater.

33) *Orcum ſcire*. Nam quid-d mortuum eſt, apud Or-ı eſt.

35) *Theſaurochrys* ... *Theſau-*, *aurum*, & *victoriam* ſignificat hoc nomen mirifice compoſitum ex Graecis vocibus θησαυρὸς, χρυσός, & νίκη. Rectius tamen legere mihi videtur Heraldus *Theſaurocrypſonychochryſides*, quaſi qui *ungulis abſcondat auri theſaurum*, a κρύπτω *abſcondo*, & ὄνυξ *unguis* deducens. Id enim avaro magis convenit.

(37) *Audaciam*. Aviditatem, quae audacter invadit alienum.

(39) *Pertinax*. Valde tenax.

(41) *Samiis*. Fictilibus. *Samos* enim inſula celebris erat ob hujusmodi vaſa.

(42) *Surripiat*. Scil. vaſa. Quaſi id fieret, ſi non Samiis, ſed aliis pretioſioribus uteretur.

He. Sequere hac me igitur . eadem ego ex hoc , quae volo, exquaesivero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis scio: hic fassu 'st mihi:
Haec tu eadem si confiteri vis, tua re feceris:
Quae tamen scito scire, me ex hoc . *Ty.* Fecit officium hic suum,
Cum tibi est confessus verum : quamquam volui sedulo
Meam nobilitatem occultare, & genus, & divitias meas,
Hegio . nunc quando patriam & libertatem perdidi,
Non ego istunc me potius, quam te metuere, aequum censeo.
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabiles.
Memini, cum dicto haud audebat; facto nunc laedat licet.
Sed viden'? FORTUNA humana fingit artatque, ut lubet:
Me, qui liber fueram, servum fecit: e summo infimum.
Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.
Et quidem si proinde ut ipse fui imperator familiae,
Habeam dominum, non verear ne injuste aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.
He. Loquere audacter. *Ty.* Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus.
Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus.
Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio.
EST PROFECTO Deus, qui, quae nos gerimus, auditque & videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit.
BENE merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.
He. Memini ego istoc. sed faterin' eadem, quae hic fassu 'st mihi?
Ty. Ego patri meo esse fateor summas divitias domi,
Meque summo genere gnatum. Sed te obtestor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiae meae:
Ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis,

Me

(54) *Humana.* Res humanas.

(70) *Avariorem.* Poscendo majus pretium meae liberationis, quia dives est pater.

Me saturum servire apud te sumptu & vestitu tuo,
Potius quam illi, ubi minime honestum est, mendicantem vivere.
He. Ego virtute Deum, & majorum nostrum dives sum satis.
Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo.
Scio ego; multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
Est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea quae sentio, pariter scias.
Filius meus illic apud vos servit captus Alide:
Eum si reddis mihi, praeterea unum nummum ne duis:
Et te & hunc amittam hinc. alio pacto abire non potes.
Ty. Optumum atque aequissimum oras, optimusque hominum homo es.
Sed is privatam servitutem servit illi, an publicam?
He. Privatam medici Menarchi. *Ph.* Pol hic quidem hujus est cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.
He. Fac is homo ut redimatur. *Ty.* Faciam. sed te id oro, Hegio.
He. Quid vis, dum ab re ne quid ores, faciam. *Ty.* Ausculta dum, scies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo.
Verum, te quaeso, ut aestimatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illi. *He.* Imo alium potius misero

Hinc,

(73) *Illi*. Pro *illic*.

(77) *Est etiam* &c. Sic Ter. Adel. II. 2. *Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum*.

(82) *Amittam*. Pro *dimittam*.

(84) *Publicam*. Eam servitutem intelligit, quam Magistratibus exhibebant ii, qui licet servitute liberati, ab officio tamen *Servi publici* appellabantur.

(86. *Tam hoc* &c. Hyperbole. Quid enim proclivius imbri decidente?

(88) *Ab re*. Contra honestum & usum.

(90) *Aestimatum*. Hoc eo dixit, ut, si Pseudotyndarus non redierit, ipse Hegioni solvat quanti ille aestimatus sit.

Hinc, ubi erunt induciae, illuc tuum qui conveniat patrem:
Qui tua, quae tu miseris mandata, ita, ut velis, perferat.
Ty. At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris.
Hunc mitte, hic omne transactum reddet, si illuc venerit:
Nec quemquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sententia:
Neque adeo cui tuum concredat filium hodie audacius.
Ne vereare, meo periculo hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me esse scit erga se benevolum.
He. Mittam equidem istunc aestimatum tua fide, si vis. *Ty.* Volo.
Quam citissime potest, tam hoc cedere ad factum volo.
He. Num quae caussa est, quin si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? *Ty.* Optima imo. *He.* Solvite istum nunc jam,
Atque utrumque. *Ty.* Di tibi omnes omnia optata afferant,
Cum me tanto honore honestas, cumque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud molestum est jam, quod collus collaria caret.
He. Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida est bonis.
Nunc tu illum si illo es missurus, dice, demonstra, praecipe,
Quae ad patrem vis nunciari. vin' vocem huc ad te? *Ty.* Voca.

(94) *Luseris*. Sumseris inanem operam.
(95) *Omne*. Omnia transiget, conficiet.
(97) *Servos ex sententia*. Gratior atque acceptior patri.
Quod &c. Beneficium, quod confertur in bonos, id beneficium est gravidum bonis i. e. parit bona ei nimirum, qui contulit.

SCE-

SCENA TERTIA.

Hegio, Philocrates, Tyndarus.

Hegio, & Tyndarus Philocratem dimittunt, votisque omnibus prosequuntur.

QUae res bene vortat mihi, meoque filio,
Vobisque: vult te novus herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit fideliter.
Nam ego te aestimatum huic dedi viginti minis;
Hic autem te, ait, mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.
*Ph.*Utroque vorsum rectum est ingenium meum,
Ad te adque illum. pro rota me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.
*He.*Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
Cum servitutem ita fers, ut ferri decet.
Sequere. hem tibi hominem. *Ty.* Gratiam habeo tibi,
Quom copiam istam mihi & potestatem facis:
Ut ego ad parentes hunc remittam nuncium,
Qui me quid rerum hic agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat:
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te aestimatum in Alidem mittam ad patrem.
Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. *Ph.*Recte convenisse sentio.
Nam pater expectat, aut me, aut aliquem nuncium,
Qui hinc ad se veniat. *Ty.*Ergo animum advortas volo,
Quae nunciare hinc te volo in patriam ad patrem.
*Ph.*Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo,
Ut

(8) *Utroque* &c. Ingenium mihi est idoneum versus utramque partem & versatile, ut rota.

(11) *Eo*. Scil. ratione, caussa. Alii legunt *a* praep.

(16) *Qui me*. Τὸ *me* refer ad τὸ *perferat*. Hellenismus per attractionem. Ter. Heau. I. 1. 32. *Fac me ut sciam*. pro, fac ut ego sciam.

(20) *Rebitas*. Redeas. Antiqui *betere* dicebant aliquando pro *ire*, & *rebitere* pro *redire*.

(25) *Adhuc locorum*. Usque ad hoc tempus.

Ut potiſſimum quod in rem recte conducat tuam,
Id petam, id perſequarque corde & animo atque viribus.
Ty. Facis ita, ut te facere oportet. nunc animum advortas volo:
Omnium primum ſalutem dicito matri & patri,
Et cognatis, & ſi quem alium benevolentem videris.
Me hic valere & ſervitutem ſervire huic homini optumo,
Qui me honore honeſtiorem ſemper fecit, & facit.
Ph. Iſtuc ne praecipias: facile memoria memini tamen.
Ty. Nam quidem, niſi quod cuſtodem habeo, liberum me eſſe arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio. *Ph.* Quae memini, mora mera eſt monerier.
Ty. Ut eum redimat, & remittat noſtrum huc amborum vicem.
Ph. Meminero. *He.* At quamprimum poterit, iſtuc in rem utrique eſt maxume.
Ph. Non tuum tu magis videre, quam ille ſuum gnatum cupit.
He. MEUS MIHI, ſuus cuique eſt carus. *Ph.* Nunquid aliud vis patri
Nunciari? *Ty.* Me hic valere, & tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili:
Neque te commeruiſſe culpam, neque me advorſatum tibi.
Beneque hero geſſiſſe morem in tantis aerumnis tamen.
Neque med unquam deſeruiſſe te neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. Haec pater quando ſciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga ſuum gnatum, atque ſe,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu.
Et mea opera, ſi hinc rebito, faciam ut faciat facilius.
Nam tua opera, & comitate, & virtute, & ſapientia
Feciſti, ut redire liceat ad parentes denuo;
Cum apud hunc confeſſus es & genus & divitias meas.
Quo pacto emiſiſti e vinclis tuum herum, tua ſapientia.
Ph.

(33) *Facile* &c. Intelligitur, etiam ſi nihil dicas.

(36) *Mora.* Qui memorem monet, cum moratur.

(37) *Noſtrum vicem.* Pro nobis ambobus.

Ph. Feci ego ista ut commemoras: & te meminisse id gratum est mihi,
Merito tibi ea evenerunt a me. nam nunc Philocrates,
Si ergo item memorem quae med erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat. nam si servus meus esses, nihilo secius
Mihi obsequiosus semper fuisti. *He.* Di vostram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas corde amare inter se: quantis laudibus suum herum
Servus collaudavit! *Ph.* Istic pol haud me centesimam
Partem laudat, quam ipse meritus est, ut laudetur laudibus.
He. Ergo cum optume fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
Ph. Magis non factum possum velle, quam opera experiar persequi:
Id ut scias, Jovem supremum testem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. *He.* Probus es homo.
Ph. Nec me secus unquam ei facturum quicquam, quam memet mihi.
Ty. Istaec dicta te experiri & operis & factis volo,
Et quo minus dixi, quam volui de te, animum advortas volo.
Atque horunc verborum caussa caveto mihi iratus suas.
Sed te quaeso, cogitato, hinc mea fide mitti domum
Te aestimatum, & meam esse vitam hic pro te positam pignori.
Ne tu me ignores, cum extemplo meo e conspectu abscesseris.
Quom me servum in servitute pro te hic reliqueris;
Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras:
Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti aestimatum mittier.

Fac

(62) *Meritus est*. Nam plus centum partibus laudandus est.
(65) *Magis* &c. Sensus est: Non magis possum cupere id effectum reddere, quam re enitar, ut fiat.
(66) *Laudo*. Nonius interpretatur *nomino*.
(74) *Ignores*. Quasi ignotum negligas.

Fac fidelis sis fideli: cave fidem fluxam geras.
Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Haec per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age. tu mihi herus nunc es: tu patronus: tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas. *Ph.* Mandavisti satis.
Satin'habes, mandata quae sunt, facta si refero? *Ty.* Satis.
Ph. Et tua, & tua huc ornatus reveniam ex sententia.
Nunquid aliud? *Ty.* Ut quamprimum possis, redeas. *Ph.* Res monet.
He. Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi:
Eadem opera a Praetore sumam syngraphum. *Ty.* Quem syngraphum?
He. Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intro abi. *Ty.* Bene ambulato. *Ph.* Bene vale. *He.* Edepol rem meam
Constabilivi, cum illos emi de praeda a quaestoribus.
Expedivi ex servitute filium, si Dis placet.
At etiam dubitavi hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate istum sultis intus, servi: ne quoquam pedem
Efferat sine custode. ego apparebo domi.
Ad fratrem modo captivos alios inviso meos.
Eadem percontabor, ecquis hunc adolescentem noverit.
Sequere tu, te ut amittam, ei rei primum praevorti volo.

(79) *Fluxam*. Instabilem.

(81) *Hunc* &c. Hegionem amicum jam paratum arctius tibi devincias servando fidem, & reducendo filium.

(82) *Dextera*. Veteres per dexterarum complicationem pacta stabiliebant.

(87) *Et tua* &c. Et tua Hegionis, & tua Philocratis.

Ornatus. Instructus, nempe Philopolemum reducens.

(90) *Syngraphum*. Diploma, per quod liceat Pseudotyndaro, belli tempore, ire in Elidem.

(95) *At etiam*. Quasi dicat: stultus fui qui dubitavi &c.

(97) *Apparebo*. Praesto ero.

(100) *Praevorti*. Prius exsequi hanc rem, scil. dimissionem tui.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

ERGASILUS

Vicem suam deplorat, quod plurimorum adolescentium tentatis animis, ab nullo ad coenam invitatus sit.

MIser homo est, qui ipse sibi quod edit quaerit, & id aegre invenit:
Sed ille est miserior, qui & aegre quaerit, & nihil invenit:
Ille miserrimus est, qui cum esse cupit; quod edit non habet.
Nam, hercle, ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens,
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame
Vidi: nec cui minus procedat, quicquid facere occeperit.
Itaque venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticae arti maximam in malam crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopesque ab se segregat.
Nihil morantur jam Laconas imi subsellii viros,
Plagipatidas: quibus sunt verba sine penu, & pecunia.
Eos requirunt, qui, libenter cum ederint, reddant domi.
Ipsi

(4) *Effodiam*. Translate, pro *lucem eripiam*.
(5) *Ita*. Adeo illiberales & malignos reddidit in me omnes homines.
(6) *Effertum fame*. Idem est ac *cibo inanem esse*. Simile huic legesis Aul. I. 2. 6.
(8) *Resident*. Sedendo agunt ferias esuritioni sacras; scil. cessant ab edendo & bibendo.
(9) *Ilicet*. Ire licet.
(11) *Laconas*. Ita appellat parasitos, qui, ut pueri Lacedaemonum, plagas & verbera pati assuescunt, *plagipatidae* propterea dicti.
Imi subsellii. Sedentes in infimo loco.
(13) *Requirunt*. Ad coenam.
Reddant. Invitent vicissim domum suam.

Ipsi obsonant, quae parasitorum ante erat provincia.
Ipsi de foro tam aperto capite ad laniones eunt,
Quam in tribu aperto capite sontes condemnant reos.
Neque ridiculos jam teruncii faciunt. sese omnes amant.
Nam ut dudum hinc abii, accessi ad adolescentes in foro:
Salvete, inquam: quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait hoc? aut quis profitetur? inquam: quasi muti silent:
Neque me rident. Ubi coenamus? inquam: atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier.
Nemo ridet. Scivi extemplo rem de compacto geri.
Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier.
Saltem si non arriderent, dentes ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier.
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii Parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum est jus meum omne persequi.
Qui concilium iniere, quo nos victu & vita prohibeant,
His diem dicam, irrogabo multam: ut mihi coenas decem
Meo arbitratu dent, cum cara annona sit. sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc. est illic mihi una spes coenatica:

Si

(15) *Aperto capite*. Sine pudore.

(20) *Hoc*. Pro *huc*. Sensus est. Quis ait, ad me eamus?

Profitetur. Ultro offert; nimirum coenam.

(23) *Menstruales*. Quae mihi in mensem satis essent.

(24) *De compacto*. H. e. ex composito. Sensus est. Animadverti illos convenisse inter se antea quid agerent.

(26) *Restringerent*. Aperirent; leniter ridentes disclusis labellis, more canis irritatae rictum diducentis.

(29) *Quasi* &c. Sicut ii, qui oleum vendunt communi pacto & pretio.

Velabro. Erat id Romae locus juxta montem Aventinum, ubi prostabant omnia ad victum pertinentia.

(32) *Barbarica*. Romana. Innuit autem eam legem, quae a Q. Vario lata est in eos, qui in Remp. conspirassent consilio inito, quo populum Rom. victu prohiberent.

Si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad coenam asperam.

(37) *Decollabit*. Cadet, sublabetur. Alii legendum putant *decolabit*, i.e. per colum effluet.

Asperam. Terrestrem. Vid. sup. Act. I. 2. 85.

SCENA SECUNDA.

HEGIO

Dimisso Pseudotyndaro domum adducit secum Aristophontem captivum Eliensem, qui Philocratem videre cupiebat.

Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publico? sicut ego feci heri.
Cum emi hosce homines. ubi quisque vident, eunt obviam.
Gratulanturque eam rem. ita me miserum restitando,
Retinendoque lassum reddiderunt.
Vix ex gratulando miser jam eminebam.
Tandem abii ad Praetorem: ibi vix requievi: rogo syngraphum:
Datur mihi: illico dedi Tyndaro. ille abiit domum.
Inde illico revortor; domum, postquam id actum est, eo:
Protinus ad fratrem inde abii, mei ubi sunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium noverit?
Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem. dico esse eum
Apud me. hic extemplo orat obsecratque, eum sibi ut liceat
Videre. jussi illico hunc exsolvi. nunc tu sequere me.
Ut

(1) *Bene rem gerere*. Expressit Graecum salutandi modum χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν.
Bono publico. Hoc eo dicit, quia audierat, Philocratem summo loco natum: & iccirco non solum sua, sed etiam Reip. interesse, eum suis reddi.

(3) *Restitando*. Saepe consistendo.

(5) *Eminebam*. Emergebam ex gratulationibus, quibus fere obrutus eram.

(11) *Hic*. Aristophontes unus ex captivis, qui eum sequebatur.

Ut quod me oravisti, impetres, eum hominem ut convenias.

SCENA TERTIA.

TYNDARUS

Providens fraudem suam, & Philocratis jam esse detegendam per Aristophontem, qui utrumque noverat, novas parat fallacias.

NUnc illud est, cum me fuisse, quam esse nimio mavelim:
Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant, spernuntque se.
Hic ille est dies, cum nulla vitae meae salus sperabilis est:
Neque exilium exitio est; neque adeo spes, quae mihi hunc aspellat metum.
Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.
Nec Sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est.
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est.
Nec confidentiae usquam hospitium est, nec diverticulum dolis.
Operta quae fuere, aperta sunt: patent praestigiae.
Omnis res palam est: neque de hac re negotium est, quin male
Occidam, oppetamque pestem, heri vicem meamque.
Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo.
Is me novit: is sodalis Philocrati & cognatus est.
Neque jam Salus servare, si volt, me potest: nec copia est:
Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Quam, malum! quid machiner? quid comminiscar? maxumas

Nu-

(1) *Illud*. Subaudi *tempus*. *Fuisse*. I.e. vixisse. Ἐυφημισμός pro *mortuum esse*.

(2) *Spernunt*. Disjungunt. Ita Douza ex illo Ennii. *Jus atque aequum se a malis spernit procul.*

(4) *Neque exilium*. Quasi dicat. Neque est ullus locus, quo profugiens possim exitium declinare.

(6) *Mantellum*. Genus pallii, aut velamenti.

(7) *Fuga*. Effugium.

(11) *Heri vicem* &c. Pro hero, & pro me.

(16) *Malum*. Interjectio indignantis.

Nugas ineptiasque incipisso. haereo.

SCENA QUARTA.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES, LORARII.

Tyndarus Aristophontem insania laborare false dicit, quo illi Hegio minime credat. Hinc jurgium inter utrumque captivum; tandem Tyndarus falsitate convincitur, & agnoscitur non esse Philocrates.

QUo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus?
Ty. Nunc enim vero ego occidi: eunt ad te hostes, Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto sita est. quid rebus confidam meis?
Utinam te Di prius perderent, quam periisti e patria tua,
Aristophontes, qui ex parata re imparatam omnem facis.
Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.
He. Sequere. hem tibi hominem, adi, atque alloquere.
Ty. Quis homo est me hominum miserior?
Ar. Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare!
Proque ignoto me aspernari, quasi me nunquam noveris?
Equidem tam sum servus, quam tu: etsi ego domi liber fui,
Tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.
He. Edepol minime miror, si te fugitat, aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Ty. Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.
Ne tu, quod istic fabuletur, aures immittas tuas.
Nam istic hastis insectatus est domi matrem, & patrem.

Et

(5) *E patria*. Apud ICtos *perire patriae* dicitur is, qui captus est, vel exul.
(6) *Imparatam facis*. Conturbas omnia composita.
(7) *Occisa*. Accisa, desperata.
(15) *Rabiosus*. Furiosus, rabidus.

Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.
Proin' tu ab istoc procul recedas. *He.*Ultro istum a me. *Ar.* Ain', verbero,
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit inspu-taricr?
*He.*Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit. *Ty.* Atque aliis profuit.
*Ar.*Quid tu autem, etiam huic credis? *He.*Quid ego credam huic? *Ar.*Insanum esse me.
*Ty.*Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuetur? concedi optumum est.
Hegio, fit quod tibi ego dixi: gliscit rabies. cave tibi.
He. Credidi esse insanum extemplo, ubi te appellavit Tyndarum.
Ty. Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit qui siet.
He. At etiam te suum sodalem esse ajebat. *Ty.* Haud vidi magis.
Et quidem Alcmaeo atque Orestes & Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodales, qua iste. *Ar.* At etiam, furcifer,
Male mihi loqui audes? non ego te novi? *He.* Pol planum id quidem est
Non novisse, qui istunc appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
*Ar.*Imo iste eum sese ait, qui non est, esse: & qui vero est, negat.
*Ty.*Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio!

Ar.

(18) *Sputatur*. Morbus Comitialis significatur, cujus contagio sputando sanatur.

(21) *Qui*. Cujus caussa.

(25) *Concedi*. Tutissimum est ei cedi.

(29) *Magis*. Subaudi: *Intimum sodalem*. Ironice.

(30) *Alcmaeo* &c. Tres insanos nobilissimos memorat: quos eodem modo sibi esse sodales dicit, atque istum. At illi nullo modo fuerunt; neque igitur iste.

(36) *Veriverbio*. Dicendo veritatem me vincas. Dictum cum ironia, & admiratione.

*Ar.*Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas. Sed quaeso, hercle, agedum aspice ad me. *Ty.* Hem. *Ar.*Dic modo,
Te negas Tyndarum esse? *Ty.* Nego inquam. *Ar.*Tun' te Philocratem esse ais?
*Ty.*Ego inquam. *Ar.*Tune huic credis? *He.*Plus quidem, quam tibi, aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memoras esse, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. *Ar.* Quem patrem, qui servus est? *Ty.* Et tu quidem
Servus & liber fuisti, & ego me confido fore;
Si hujus huc reconciliasso in libertatem filium.
*Ar.*Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?
*Ty.*Non equidem me liberum, sed Philocratem esse ajo. *Ar.* Quid est?
Ut sceleftus, Hegio, nunc is te ludos facit!
Nam is est servus ipse, neque praeter se unquam ei servus fuit.
*Ty.*Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est,
Omneis inveniri similes tibi vis. non mirum facis.
EST MISERORUM, ut malevolentes sint, atque invideant bonis.
*Ar.*Hegio vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere.
Atque ut perspicio, profecto jam aliquid pugnae edidit.
Filium tuum quod redimere se ait, id neutiquam mihi placet.
*Ty.*Scio te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, si Di adjuvant.
Illum restituam huic, hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum. *Ar.* Quin tute is es:

Ne-

(37) *Vera*. Ea, quae vera sunt, falsitate convincas.

(42) *Quem patrem*. Quasi dicat. Patrem non habet, quia servus. Jure enim civili nulla servilis cognatio est.

(46) *Sed* &c. Me esse Philocratem dico.

(51) *Bonis*. Divitibus. Ita divitiae dicuntur *bona*.

(53) *Aliquid*. Aliquam fallaciam molitus est.

Neque praeter te in Alide ullus servus istoc nomine est.
*Ty.*Pergin' servom me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?
*Ar.*Enimvero jam nequeo contineri. *Ty.* Heus audin' quid ait? quin fugis?
Jam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illum jubes
Comprehendi. *Ar.* Crucior. *Ty.*Ardent oculi: fune opu' est, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. *Ar.* At pol te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.
*Ty.*Jam deliramenta loquitur: larvae stimulant virum.
*He.*Quid? quid si hunc comprehendi jusserim? *Ty.* Sapias magis.
*Ar.*Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.
*Ty.*Audin' lapidem quaeritare? *Ar.*Solus te solum volo,
Hegio. *He.*Istinc loquere, si quid vis; procul tamen audiam.
*Ty.*Namque edepol si adbites propius, os denasabit tibi
Mordicus. *Ar.*Neque pol me insanum, Hegio, esse credduis,
Neque suisse unquam, neque esse morbum quem istic autumat.
Verum si quid metuis a me, jube me vinciri: volo,
Dum istic itidem vinciatur. *Ty.*Imo enim vero, Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur. *Ar.*Tace modo: ego te, Philocrates
Falsè, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Quid mi abnutas? *Ty.* Tibi ego abnuto? quid agat, si absis longius?
*He.*Quid ais? quid si adeam hunc insanum? *Ty.* Nugas ludificabitur.

Gar-

(62) *Ardent*. Ut iratis, ita & insanis ardere oculi solent: nec mirum, nam, ut ait Horatius, *Ira furor brevis est*.

(65) *Pix*. Qua nimirum cruciabantur sontes, & malefici.

(72) *Adbites*. Accedes. V. sup. II. 3. 20.

(79) *Abnutas*. *Abnutare* est innuere aliquid non esse dicendum, aut faciendum.

Garriet quod neque pes unquam, neque caput compareat.
Ornamenta absunt; Ajacem, hunc cum vides, ipsum vides.
He. Nihili facio, tamen adibo. *Ty.* Nunc ego omnino occidi,
Nunc ego INTER SACRUM saxumque sto: nec, quid faciam, scio.
He. Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod me velis.
Ar. Ex me audibis vera, quae nunc falsa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniam
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio.
At ita me rex Deorum atque hominum faxit patriae compotem,
Ut istic Philocrates non magis est, quam aut ego, aut tu. *He.* Eho! dic mihi,
Quis igitur ille est? *Ar.* Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc si secus reperies, nullam caussam dico, quin mihi
Et parentum & libertatis apud te deliquio siet.
He. Quid tu ais? *Ty.* Me tuum esse servom, & te meum herum. *He.* Haud istuc rogo.
Fuistin' liber? *Ty.* Fui. *Ar.* Enimvero non fuit, nugas agit.
Ty. Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meae matri obstetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? *Ar.* Puerum te vidi puer.
Ty. At ego te video majorem. hem rursum tibi!
Meam rem non cures, si recte facias. num ego curo tuam?
He. Fuitne huic pater Thesaurochrysonicochrysides?
Ar. Non fuit. neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem.

Phi-

(81) *Garriet*. Effutiet absurda, in quibus finis initio non cohaereat.

(82) *Ornamenta* &c. Vestes Ajacis absunt, sed quod ad cetera ipse amens Ajax est.

(84) *Inter Sacrum*. Inter victimam feriendam & saxum, i.e. in praesentissimo periculo sum, quod dicunt alias *inter malleum, & incudem*.

(92) *Nullam caussam dico*. Non recuso.

(93) *Deliquio*. Defectus, desiderium.

(99) *Si recte*. Si officio tuo fungereris.

Philocrati Theodoromedes fuit pater. *Ty.* Pereo probe.
Quin quiescis dierectum cor meum! i, ac suspende te.
Tu suffultas, ego miser vix asto prae formidine.
He. Satin' istuc mihi exquisitum est fuisse hunc servum in Alide?
Neque esse hunc Philocratem? *Ar.* Tam satis, quam nunquam hoc invenies secus.
Sed, ubi is nunc est? *He.* Ubi ego minime, atque ipsus se volt maxume.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser
Hujus scelesti technis; qui me, ut lubitum est, ductavit dolis.
Sed vide sis. *Ar.* Quin exploratum dico & provisum hoc tibi.
He. Certon'? *Ar.* Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.
He. Sed qua facie est tuus sodalis Philocrates? *Ar.* Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus aliquantum, crispus, concinnatus. *He.* Convenit.
Ty. Ut quidem, hercle, in medium ego hodie pessume processerim.
Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo.
He. Verba mihi data esse video. *Ty.* Quid cessatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custodiam?
He. Satin' me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servum se assimulabat, hic se se autem liberum.
Nucleum amisi, reliquit pignori putamina.
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis.

Hic

(103) *Quin*. Quomodo non. *Dierectum*. Nonius interpretatur *in crucem actum*.

(105) *Exquisitum*. Certum, exploratum.

(108) *Deruncinatus*. Runcina i. e. serra laceratus. *Deartuatus*. Per artus concisus.

(110) *Videsis*. An sit certum & exquisitum.

(117) *Morientur*. Absumentur, interibunt.

(122) *Nucleum*. Allegoricum proverbium: scil. liberum amisi, servus relictus pignori.

(123) *Offuciis*. Fuco infecere vultum i. e. fallaciis me deceperunt. Vid. Aul. IV, 6. 2.

Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio,
Corax,
Ite istinc, atque efferte lora. *Lo.*Num lignatum mittimur?

(125) *Lignatum*. Senex castigando Tyndaro lora clamat. Lorarii urbane id ad lignationem referunt: nam & lignatum ituri ferebant securim & lora.

SCENA QUINTA.

Hegio, Tyndarus, Aristophontes.

Hegio detecta fraude mandat Tyndarum catenis onustum in lapidicinas duci. Ille tamen, quod pro domino fecerat, bene factum etiam nunc contendit.

INjicite huic manicas mastigiae.
*Ty.*Quid hoc est negotii? quid ego deliqui? *He.*Rogas?
Sator sartorque scelerum, & messor maxume.
*Ty.*Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant prius, quam sarriunt rustici.
*He.*At ut confidenter mihi contra astitit!
*Ty.*Decet innocentem servom atque innoxium
Confidentem esse, suum apud herum potissimum.
*He.*Astringite isti sultis vehementer manus.
*Ty.*Tuus sum, tuas quidem vel praecidi jube.
Sed quid negotii est, quamobrem succenses mihi?
*He.*Quia me, meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti, deartuavistique opes.
Confecisti omnes res ac rationes meas,
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse servom credidi, te liberum.
Ita vosmet ajebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis. *Ty.*Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, & fallaciis

Abiis-

(3) *Sartor.* Non a *sarciendo* sed a *sarriendo* dicitur hic sartor.

(15) *Confecisti*. Consumsisti, decoxisti.

Abiisse eum abs te, mea opera atque astutia:
An, obsecro hercle te, id nunc succenses mihi?
*He.*At cum cruciatu maxumo id factum est tuo.
*Ty.*DUM NE ob malefacta peream, parvi aestimo.
Si ego hic peribo, ast ille ut dixit, non redit:
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile;
Meum herum captum ex servitute, atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem.
Meumque potius me caput periculo
Praeoptavisse, quam is periret, ponere.
*He.*Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria.
*Ty.*QUI PER virtutem peritat, non interit.
*He.*Quando ego te exemplis excruciavero pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interisse, vel perisse praedicent,
Dum pereas, nihil interdico, dicant vivere.
*Ty.*Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido affore.
*Ar.*Pro Di immortales! nunc ego teneo, nunc scio
Quid sit hoc negoti. Meus sodalis Philocrates
In libertate est ad patrem, in patria. bene est:
Nec est quisquam mihi, aeque melius cui velim.
Sed hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me, meaque verba vinctus est.
*He.*Vetuin' te quicquam mihi hodie falsum proloqui?
*Ty.*Vetuisti. *He.*Cur es ausus mentiri mihi?
*Ty.*Quia vera obessent illi, quoi operam dabam:
Nunc falsa prosunt. *He.*At tibi oberunt. *Ty.*Optume est.
At herum servavi, quem servatum gaudeo:
Cui me custodem addiderat herus major meus.
Sed male ne id arbitrare factum? *He.*Pessume.
*Ty.*At ego ajo recte, qui abs te seorsum sentio.

Nam

(31) *Acherunti*. Pro *Acherunte*. Ita infra IV. 2. 115. *fusti* pro *fuste*, ubi vid. notas.

Clueas. Sis clarus, celebreris: ab antiquo verbo *clueo*.

(32) *Non interit*. Nam fama superstes erit. *Interire* enim est penitus mori, majoremque vim habet, quam *perire*, seu *peritare*.

(34) *Sutelas*. Dolos quasi consutos.

(36) *Interdico*. Secundum Scaligeri interpretationem est idem, quod ἀδιαφορῶ *indifferens sum*.

(42) *Melius*. Comparativum pro absoluto.

(50) *Custodem*. Paedagogum. *Herus Major*. Pater Philocratis.

Nam cogitato, ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſervus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, nec ne, eum ſervom manu?
Eſſetne apud te is ſervus acceptiſſumus?
Reſponde. *He.*Opinor. *Ty.*Cur ergo iratus mihi es?
*He.*Quia illi fuiſti, quam mihi fidelior.
*Ty.*Quid? tu una nocte poſtulaviſti & die,
Recens captum hominem, nuperum & novitium,
Te perdocere, ut melius conſulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?
*He.*Ergo ab eo petito gratiam iſtam. ducite,
Ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes,
Inde ibis porro in latomias lapidarias.
Ibi quom alii octonos lapides effodint,
Niſi cotidianus ſeſquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
*Ar.*Per Deos, atque homines ego te obteſtor, Hegio,
Ne tu iſtunc hominem perduis. *He.*Curabitur.
Nam noctu nervo vinctus cuſtodibitur,
Inderdius ſub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno abſolvam die.
*Ar.*Certum ne eſt tibi iſtuc? *He.*Non moriri certiu 'ſt.
Abducite iſtum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic craſſas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus ſiet:
Atque hunc ita velle, dicite, curarier,

Ne

(59) *Tu una* &c. Sententia eſt. An tu voluiſſes uno die quo tecum fui *perdocere* i. e. perſuadere mihi homini modo capto, ut melius &c.

(69) *Novitium*. Servum officii ſui imperitum, oppoſitum *veteratori*.

(64) *Craſſas*. Duplices, majores.

(65) *Latomias*. Lapidicinas, ubi effodiuntur lapides.

(67) *Seſquiopus*. H. e. octonos, & quaternos lapides ſingulis diebus effoderis.

(68) *Sexcentoplago*. A ſexcentis plagis quotidie infligendis.

(70) *Curabitur*. Aliovorſum accipit verbum Ariſtophontis. Quod enim hic dicit *ne perduis*, pro *ne perimas*, ille, ut obteſtationem eludat, joco intelligit pro *ne amittas*.

(71) *Nervo*. Vinculo, compede.

(74) *Moriri*. Mors non eſt certior.

Ne quî deterius huic sit, quam quoi pessume est.
*Ty.*Cur ego te invito me esse salvom postulem?
Periculum vitae meae stat tuo periculo.
Post mortem in morte nihil est, quod metuam, mali.
Etsi pervivo usque ad summam aetatem, tamen
Breve spacium est perferundi, quae minitas mihi.
Vale atque salve: etsi aliter ut dicam, meres.
Tu Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale,
Nam mihi propter te hoc obtigit. *He.*Abducite.
*Ty.*At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philocrates,
Ut mihi ejus facias conveniundi copiam.
*He.*Periistis, nisi hunc jam e conspectu abducitis,
*Ty.*Vis haec quidem hercle est, & trahi, & trudi simul.
*He.*Illic est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis capteivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat,
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
Usque offrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certum est nulli post haec quicquam credere,
Satis sum semel deceptus. speravi miser
Ex servitute me exemisse filium.
Ea spes elapsa est. perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit:
Neque enim servom unquàm repperi, neque filium:
Major potitus hostium est. quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac: reducam te ubi fuisti. neminis

Mi-

(80) *Ne quî*. Ne qua ratione melius cum illo agatur, quam cum his, qui pessume habentur.

Deterius: Dicendum fuerat *melius*, sed Hegioni irato mite, ac molle visum id verbum. Ita apud Ter. Adel. IV. 1. *rectius* usurpatur pro *pejus*.

(82) *Stat tuo*. Servus enim damno & periculo domini moritur.

(83) *Post mortem*. Dictum ex sententia illorum Philosophorum, qui omnia morte deleri opinabantur.

(92) *Vis haec*. Ita Jul.Caesar peti se videns pugionibus; *Ista quidem vis est*, clamavit.

(93) *Phylacam*. Φυλακή Graecis est *carcer*.

[96] *Quod absque*. H.e. Quod nisi fuisset hic Aristophontes, qui &c.

[97] *Offrenatum*. Devinctum dolis velut capistro.

[105] *Quasi* &c. Sic mihi omnes liberi pereunt, quasi eos produxerim, non ut liberis essem auctior, sed ut orbus viverem.

Misereri certum est, quia mei miseret neminem.
Ar. Exausspicavi ex vinclis. nunc intellego
Redausspicandum esse in catenas denuo.

[108] *Exauspicavi*. Scil. auspicium hujus itineris ex vinculis duxi, nunc cum male hoc cessit, ad vincula mihi denuo redeundum est, ut iterum auspicer. Sumtum a ducibus Rom. qui domi repetebant auspicia, si quid male cessisset publice.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

ERGASILUS

Cum vidisset in portu Philopolemum suum, Philocratem & Stalagmum, laetus ad Hegionem venit nuntium allaturus.

JUpiter supreme, servas me, measque auges opes.
Maxumas opimitates opiparasque offers mihi.
Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium:
Nec quoiquam homini supplicare nunc certum est mihi:
Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies.
Sine sacris hereditatem sum aptus effertissumam.
Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, cui boni
Tantum affero, quantum ipse a Diis optat, atque etiam amplius.
Nunc res certa est, eodem pacto ut Comici servi solent,
Con-

(6) *Nam vel*. Potentis hominis est facere utrumque. Notum est illud: *Servare potui, perdere an possim rogas?*

(8) *Sine sacris*. H. e. sine sumtu. Nam cuivis familiae erant sua sacra, & ad eum, ad quem transibat hereditas, transibant & sacra, quae aliquo cum sumtu fieri necesse erat.

Aptus. I. e. adeptus, ab *Apiscor.*

Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroque me ob hunc nuncium aeternum adepturum cibum.

(12) *Conjiciam*. *Conjicere in collum pallium*, seu *colligere*, (ut in v. 9. Scen. seq.) est idem quod Ter. Heaut. IV. 3. 31. dixit *attollere pallium*. Vid. notas loc. cit.

[13] *Aeternum*. Uberrimum, ac prope inexhaustum.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, ERGASILUS.

Nuntiat Ergasilus Hegioni adventum filii, Philocratis, & Stalagmi fugitivi servi.

QUanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi aegritudo auctior est in animo.
Ad illum modum sublitum os esse
Hodie mihi? neque id perspicere quivi?
Quod cum scibitur, per urbem irridebor.
Cum extemplo ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic ille est senex ductus, quoi verba data sunt.
Sed Ergasilus estne hic, procul quem video?
Collecto quidem est pallio quidnam acturu 'st?
Er. Move ab te moram, atque, Ergasile, age hanc rem.
Eminor interminorque, ne quis mi obstiterit obviam:
Nisi qui sat diu vixisse se se homo arbitrabitur.
Nam qui obstiterit, ore sistet. *He.* Hic homo pugilatum incipit.
Er. Facere certum est. proinde ut omnes itinera insistant sua,
Ne quis in hac platea negoti conferat quicquam sui.
Nam meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi,
Hu-

(7) *Ductus*. Qui decipitur ad alterius voluntatem huc illuc *duci* dicitur.

(13) *Ore sistet*. Cadet in os a me valide pugnis pulsatus, ita ut non pedibus humi sistat, sed ore, capite.

(16) *Ballista*. Duplex instrumentum fuit priscis, quo in hostes jacularentur, altero, scil. *Ballista*, (cui pugnus hic assimilatur) lapides; altero, nim. *Ca-ta-*

Humerus aries. tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.
*He.*Quae illaec eminatio eſt? nam nequeo mirari ſatis.
*Er.*Faciam ut ejus diei locique, meique ſemper meminerit:
Qui mihi in curſu obſtiterit, ſaxo vitae is extemplo obſtiterit ſuae.
*He.*Quid hic homo tantum incipiſſit facere cum tantis minis?
*Er.*Prius edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam.
Continete vos domi, prohibete a vobis vim meam.
*He.*Mira edepol ſunt, ni hic in ventrem ſumſit confidentiam.
Vae miſero illi, cujus cibo iſte factu 'ſt imperioſior.
*Er.*Tum piſtores ſcrophipaſci, qui alunt furfure ſues,
Quarum odore praeterire nemo piſtrinum poteſt:
Eorum ſi quoiuſquam ſcropham in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
*He.*Baſilicas edictiones, atque imperioſas habet.
Satur homo eſt, habet profecto in ventre confidentiam.
*Er.*Tum piſcatores, qui praebent populo piſces foetidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio:
Quorum odos ſubbaſilicanos omnes abigit in forum,
Eis ego ora verberabo ſirpiculis piſcariis:

Ut

rapulta, (quicum cubitus comparatur) tela, & grandiores ſagittas.

(17) *Aries*. Tormentum bellicum, quo muros infringebant.

Quemque. Quemcumque genu impetiero.

(18) *Dentilegos*. Colligentes humi dentes ex ore excuſſos.

(25) *In ventrem*. Vino, & epulis repletus, potius ex ventre, quam ex animo, & fiducia virtutis, adeo confidens & minax eſt.

[27] *Scrophipaſci*. Qui ſcrophas paſcunt.

(30) *Ex ipſis*. Lepide minatur ſe id facturum dominis, quod ex orationis nexu facturum quis putaret ſuibus.

Exculcabo. Excutiam.

(31) *Baſilicas*. Regias, magnificas.

(34) *Crucianti*. Claudicante, verberibus contuſo. Quales ſunt caballi ad machinas molarias damnati.

(35) *Subbaſilicanos*. Orioſos homines, qui totos dies ſub baſilicis, vel in foro deambulant. *Subroſtranos* appellat Tullius *a roſtris*.

(36) *Sirpiculis*. Naſſis piſcatoriis ſirpo contextis.

Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant caedundos agnos, & duplam agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt verveci sectario;
Eum ego si in via petronem publica conspexero,
Et petronem & dominum reddam mortales miserrimos.
He. Eugepe! edictiones aedilitias hic habet quidem.
Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.
Er. Non ego nunc Parasitus sum, sed regum rex regalior:
Tantus, ventri commeatus meo, adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia senem?
Quî homine adaeque nemo vivit fortunatior.
He. Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur mihi?
Er. Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit ostium? *He.* Hic homo
Ad coenam recipit se ad me. *Er.* Aperite hasce ambas fores,
Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium affero.
He. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergasile. *Er.* Ergasilum qui vocat?

He.

(38) *Concinnant*. Faciunt orbas agnis matres oves.

(39) *Duplam* &c. Lanii duplo plus agninae, quam vervecinae vendunt: atque, ut commendent agninam, verveci per contemtum indunt nomen petronis. Queritur igitur parasitus agninam frequentiorem esse vervecina, cum ipse hanc agninae anteponat. Agnina enim carior, & minus idonea implendo ventri, ut pote tenerior.

(40) *Petroni*. *Petrones*, qui & *rupices*, proprie dicti sunt rustici a *petrarum* asperitate & duritie. Hic autem translate dicitur de vervece ob duritiem carnis. *Sectario*. Qui gregem sectatur.

(43) *Edictiones* &c. Edicta Aedilium minorum, qui annonae praeerant.

Aedilitias. Videtur jocus inesse in hac voce, quae licet ab *aedilibus* dicatur, hic tamen alludit ad *edulia*.

(44) *Agoranomum*. Rebus forensibus & venalibus praefectum. D. Hieronymus: *ab Aedilibus, quos ἀγορανόμους Graeci appellant, vendentium coarcebatur rabies*.

(46) *Tantus cibus*. Scil. Philopolemus, a quo per omnem vitam cibum sperabat.

(52) *Assulatim*. Minutatim, vel in minutas particulas fores disseco.

He. Respice. *Er.* Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,
Hoc me jubes. Sed qui est? *He.* Respice ad me, Hegio sum. *Er.* Oh mihi!
Quantum est hominum optumorum optume, in tempore advenis.
He. Nescio quem ad portum nactus es, ubi coenes, eo fastidis.
Er. Cedo manum. *He.* Manum? *Er.* Manum, inquam, cedo tuam actutum. *He.* Tene.
Er. Gaude. *He.* Quid ego gaudeam? *Er.* Quia ego impero, age gaude modo.
He. Pol moerores mi antevortunt gaudiis. *Er.* Noli irascier,
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas moerorum tibi:
Gaude audacter. *He.* Gaudeo, etsi nihil scio, quod gaudeam.
Er. Bene facis. jube. *He.* Quid jubeam? *Er.* Ignem ingentem fieri.
He. Ignem ingentem? *Er.* Ita dico, magnus ut sit. *He.* Quid? me, volturie,
Tuan' caussa aedeis incensurum censes? *Er.* Noli irascier.
Juben' an non jubes adstitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium pisces praestinatum abire? *He.* Hic vigilans somniat.
Er. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?

He.

(54) *Fortuna* &c. Ludit in verbo ambiguo *respicere*: Quod significat *retro aspicere* & *favere*. Jubes, inquit, me respicere ad te, quod fortuna tibi non facit: Nam tibi qui me properantem moraris, certe irata est; quia pugnis caput tibi comminuam, dentesque excutiam. Alludit autem ad templum *Fortunae respicientis*, quod Romae erat.

(57) *Fastidis*. Alios aspernaris.

(58) *Cedo manum*. Gratulantis formula.

(60) *Antevortunt*. Superant.

(61) *Maculas*. Notas aegritudinis, pallorem, squalorem &c. expellam ex corpore, tamquam maculas a veste exigunt fullones.

(64) *Volturie*: Vultur i. e. homo insatiabilis.

(66) *Adstitui*. Ad ignem admoveri.

(68) *Praestinatum*. Emtum, ad emendum.

He. Scis bene eſſe, ſi ſit unde. *Er.* Pernam atque ophthalmiam,
Horaeum, ſcombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caſeum.
He. Nominandi iſtorum tibi erit magis, quam edundi copia
Hic apud me, Ergaſile. *Er.* Mean' me cauſſa hoc cenſes dicere?
He. Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes, ne fruſtra ſis,
Proin tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas,
Er. Quin ita faciam, ut te cupias facere ſumtum, etſi ego vetem.
He. Egone? *Er.* Tute. *He.* Tum tu mi igitur herus es. *Er.* Imo bene volens.
Vin' te faciam fortunatum? *He.* Malim, quam miſerum quidem.
Er. Cedo manum. *He.* Hem manum. *Er.* Di te omnes adjuvant. *He.* Nihil ſentio.
Er. Non enim es in ſenticeto, eo non ſentis, ſed jube
Vaſa tibi pura apparari ad rem divinam cito,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. *He.* Cur? *Er.* Ut ſacrufices.
He. Cui Deorum? *Er.* Mihi hercle. nam ego tibi nunc ſum ſummus Jupiter.
Idem ego ſum ſalus, fortuna, lux, laetitia, gaudium.
Proinde tu Deum huncce ſaturitate facias tranquillum tibi.
He. Eſurire mihi videre. *Er.* Mihi quidem eſurio, non tibi.
He. Jupiter te Dique perdant. *Er.* Te, hercle, mihi aequom eſt gratias

Age-

[70] *Scis bene.* Scis laute te accipere, ſi ſit unde ſumtum facias.

(74) *Ne fruſtra ſis.* Ne fruſtreris.

(75) *Ventrem.* Non faſtidioſum, ſed quotidiano victu contentum.

(79) *Nihil.* Scil. auxilii.

(80) *Non es.* Non eſt mirum te nihil ſentire, neque enim es in loco ſentibus obſito. Jocus.

(82) *Proprium.* Tuum. Nam aliena Diis ſacrificare nefas erat.

(86) *Mihi quidem.* Ita per jocum reſpondet Paraſitus, quaſi Hegio, in eo quod dixerat, τὸ *mibi* non ad τὸ *videre*, ſed ad τὸ *eſurire* retuliſſet.

Agere ob nuncium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. *He.* Abi ſtultus, ſero poſt tempus venis.
Er. Igitur olim ſi adveniſſem, magis tu tum iſtuc diceres.
Nunc hanc laetitiam accipe a me quam fero: nam filium
Tuum modo in portu Philopolemum vivom, ſalvom, & ſoſpitem,
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adoleſcentulum
Alium una, & tuum Stalagmum ſervom, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
He. Abi in malam rem: ludis me. *Er.* Ita me amabit ſancta Saturitas,
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. *He.* Meum gnatum? *Er.* Tuum gnatum, & Genium meum.
He. Et captivum illum Alidenſem? *Er.* Μὰ τὸν Ἀπόλλω.
He. Et ſervolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit? *Er.* Νὴ τὰν Κόραν.
He. Jam diu? *Er.* Νὴ τὰν Πραινέστην. *He.* Venit? *Er.* Νὴ τὰν Σιγνίαν.
He. Certon'? *Er.* Νὴ τὰν Φρυσινῶνα. *He.* Vide ſis. *Er.* Νὴ τὸ Ἀλάτριον.

He.

(89) *Nunc tu*. I. e. Coena tua placet: meliorem conditionem nullam circumſpicio. Quam enim aliam quaereret invento ſuo Philopolemo? Vid. ſup. I. 2. 77.

(90) *Iſtuc diceres*. Abire juſſiſſes: quia tum ego nullum tibi bonum nuntium attuliſſem, ut modo.

(94) *Alium*. Eleum ſcil. Philocratem.

(96) *Saturitas*. Saturitas Paraſito edaci omnium Deorum inſtar eſt.

(97) *Condecoret* &c. Faciet me ſaturum.

[98] *Genium*. Aut *Genium*, aut *regem* appellabant Paraſiti eum, ſub cujus clientela eſſent. Vid. ſup. I. 1. 17.

(99) Μὰ τὸν Ἀπόλλω. Per Apollinem. Quod Graeci jurantes Μὰ, vel Νὴ praeponunt, id Romanis erat *Me*, & *E*, uti Mecaſtor, Medius Fidius, Mehercule, Ejuno, Equirine, Ecere, Epol, Ecaſtor.

(100) Κόραν. Coram, quae Civitas erat Latii, uti & reliquae civitates quae ſequuntur Praeneſte, Signia, Fruſino, Alatrium.

He. Quid tu per barbaricas urbes juras? *Er.* Quia enim item asperae
Sunt, ut tuum victum autumabas esse. *He.* Vae aetati tuae.
Er. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, cum hinc abiit?
„ *He.* Siculus. *Er.* At nunc Siculus non est; Bojus est; Bojam tenet.
Liberorum quaerundorum caussa, ei, credo, uxor data est.
He. Dic, bonan' fide tu mihi istaec verba dixisti? *Er.* Bona.
He. Di immortales, iterum gnatus videor, si vera autumas.
Er. An tu dubium habebis, etiam sancte cum jurem tibi?
Postremo, Hegio, si parva jurijurando est fides,
Vise ad portum. *He.* Facere certum est. tum intus cura quod opus est.
Sume, posce, prome quid vis. te facio cellarium.
Er. Nam, hercle, nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito.
He. Aeternum tibi dapinabo victum, si vera autumas.
Er. Unde id? *He.* A me meoque gnato. *Er.* Sponden' tu istud? *He.* Spondeo.
Er. At ego, tuum tibi advenisse filium, respondeo.
He. Cura quam optume potes. *Er.* Bene ambula, & redambula.

(103) *Barbaricas*. Scil. Italicas; nam *Barbari* dicebantur antiquitus omnes gentes exceptis Graecis.

(105) *Sedulo*. I.e. sine dolo, bona fide.

(107) *Bojam*. Nim. Collare. Licet, qui hoc dicit, vellet accipi, tamquam si dixisset, ipsum Gallum Gallam uxorem habere. Boji enim sunt Galliae Transalpinae populi.

[100] *Iterum gnatus*. Antiqui vocarunt *natales* omnes dies propter aliquam insignem laetitiam, sibi sollemnes.

[115] *Mantiscinatus*. Vox ibrida a Plauto ficta, a Graeco nomine *μάντες vates*, & *cano*; quasi diceres *vaticinatus*.

Fusti. Pro *fuste*. Tertius enim casus apud Veteres idem prorsus erat ac sextus, imitatione Graecorum. Ita sup. III. 5. 31. *Acherunti* pro *Acherunte*, & similia alibi passim invenire est.

SCE-

SCENA TERTIA.

Ergasilus

Laetus comparat ſe ad voranda omnia.

ILlic hinc abiit : mihi rem ſummam credidit cibariam,
Di immortales, jam ut ego collos praetruncabo tergoribus!
Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!
Nam ſi alia memorem, quae ad ventris victum conducunt, mora eſt.
Nunc ibo ad praefecturam, ut jus dicam larido;
Et quae pendent indemnatae pernae, eis auxilium ut feram.

(2) *Tergoribus*. Lamb. habet *pecoribus*. multo clarius.

[4] *Callo*. Aprugno. Caro enim apri pinguis & quaſi calloſa eſt.

[7] *Jus dicam*. Sumtum a praefectis, qui in ſuis praefecturis jus dicebant.

[8] *Pendent indemnatae*. Proprie *pendent indemnati*, quorum lites ſunt pendentes, qui non quidem innocentes, ſed accuſati & non dum convicti ſunt rei. Cum igitur dicit: *quae pendent*, ſimpliciter accipit, ut ſolent ſuſpenſae in carnario eſſe pernae: cum addit, *indemnatae*, loquitur de illis, ut reis, continuata Ἀλληγορίᾳ.

SCENA QUARTA.

Puer Hegionis

Conqueritur de petulantia Ergaſili, deque ejus voracitate.

DIeſpiter te Dique, Ergaſile, perdant & ventrem tuum,
Paraſitoſque omnes, & qui poſthac coenam Paraſitis dabit.
Clades calamitaſque, intemperies modo in noſtram advenit domum.

Quaſi

Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetum,
Nimisque, hercle, ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus glandia.
Aulas, calicesque omnes confregit, nisi quae modiales erant.
Cocum percontabatur, possentne seriae fervescere.
Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.
Asservate istunc sultis servi; ego ibo ut conveniam senem,
Dicam ut sibi penum aliud ornet, siquidem se se uti volet:
Nam hic quidem ut adornat, aut jam nihil est, aut jam nihil erit.

[7] *Glandia*. *Glandia*, seu *glandulas* [quae sunt in sue, ut tonsillae in homine] pro cervicibus accipe, partem pro toto.

[8] *Modiales*. Modii unius capaces.

[9] *Seriae*. Vasa fictilia, in quibus carnes salsae servabantur. Parasitus autem, ut loquitur puer, non satis habens depromere a seriis frusta suilla, totas serias ad focum admoveri postulat.

[10] *Armarium*. Promtuarium rei cibariae.

[12] *Siquidem* &c. Si volet se uti [subaudi] penu. Si volet in posterum penum habere.

[13] *Ut adornat*. Ut facere instituit.

ACTUS

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Hegio, Philocrates, Philopolemus.

Hegio a portu redit cum filio, Philocrate, & Stalagmo: Tyndarus autem jussu Hegionis a lapicidinis arcessitur.

JOvi Diisque ago gratias merito magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt.
Quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam:
Quomque hunc conspicio in potestate nostra,
Quomque haec reperta est fides firma nobis.
Satis jam dolui ex animo, & cura me satis
Et lacrumis maceravi. Hoc, satis jam audivi
Tuas aerumnas, ad portum mihi quas memorasti,
Hoc agamus. *Ph.* Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci? *He.* Fecisti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me, & filio meo. *Philop.* Imo potes,
Pater, & poteris, & ego potero: & Di eam potestatem dabunt,
Ut beneficium benemerenti nostro merito muneres.
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.
He. Quid opu 'st verbis? lingua nulla est, qua negem quicquid roges.

Ph.

[4] *Quae*. Referendum ad totam orationem. Alii legunt *quas* &c.

[5] *Hunc*. Stalagmum.

[6] *Haec fides*. Scil. Fides hujus Philocratis.

[8] *Hoc*. Referendum est ad τὸ *agamus*. nisi corrupta sit ea vox ex interjectione *Oh*!

[10] *Tecum*. Pro *tibi*.

*Ph.*Postulo abs te, ut mihi illum reddas servom, quem
hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi semper fuit:
Pro benefactis ejus uti ei pretium possim reddere.
*He.*Quod benefecisti, referetur gratia, id quod postulas,
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis. atque te
Nolim succensere, quod ego iratus ei feci male.
*Ph.*Quid fecisti? *He.*In lapicidinas compeditum condidi,
Ubi rescivi mihi data esse verba. *Ph.*Vae misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo.
*He.*At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.
Gratis a me, ut sit liber, abducito. *Ph.*Edepol, Hegio,
Facis benigne. Sed quaeso, hominem ut jubeas arcessi.
*He.*Licet.
Ubi estis vos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite.
Vos ite intro, interibi ego ex hac statua verberia volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi. *Philop.* Sequere hac, Philocrates,
me intro. *Ph.*Sequor.

[20] *Pretium*. Mercedem.
[24] *Compeditum*. Compedibus vinctum conjeci.
[27] *Libellam argenti*. H. e. *assem*. Veteres enim quando minimam pecuniam significare volebant *assem*, aut *libellam* dicebant.
[31] *Interibi* &c. Interea ego ex hoc verberone Stalagmo volo erogitare, i.e. rogando extorquere.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, STALAGMUS.

Stalagmus rogatus ab Hegione quid factum sit de puero, quem fugiens abstulerat, respondet se in Elide Theodoromedi vendidisse.

Age tu illuc procede, bone vir, lepidum mancipium
meum.
*St.*Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonae,
Neque ero unquam: ne tu spem ponas me bonae frugi
fore.

He.

He. Propemodum ubi loci fortunae tuae sint, facile intellegis.
Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.
Recta & vera loquere: sed neque vere, neque recte adhuc
Fecisti unquam. *St.* Quod ego fatear, credin' pudeat, cum autumes?
He. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
St. Eja credo, imperito plagas minitaris mihi.
Tandem ista aufer, dicque quid fers, ut feras hinc quod petis.
He. Satis facundu' 's. Sed jam fieri dictis compendium volo.
Hoc agamus. jam animum advorte, ac mihi quae dicam, edissere.
Si eris verax, res tuas feceris meliusculas.
St. Nugae istaec sunt. non me censes scire quid dignus siem?
He. At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.
St. Pauca effugiam scio. nam multa evenient, & merito meo;
Quia & fugi, & tibi surripui filium, & eum vendidi.
He. Cui homini? *St.* Theodoromedi in Alide Polyplusio
Sex minis. *He.* Pro Di immortales! is quidem hujus est pater
Philocratis. *St.* Quin melius novi, quam te, & vidi saepius.
He. Serva Jupiter supreme & me & meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te ingenium obsecro, exi: te volo.

[8] *Quod ego &c.* Credis ne fore, ut me ejus pudeat, quod fatear [scil. me recte nunquam quicquam fecisse] cum tu id dicas.

[9] *Ruborem*. Jocus. Quos pudet, rubore suffunduntur, & qui loris caeduntur, etiam rubent sanguine.

[10] *Imperito*. Ironia, quasi dicat: experiendo jam pridem didici, quam sis plagosus.

[11] *Ista*. Istum sermonem omitte.

Fers. In animo habes.

Feras hinc. Scias a me.

[15] *Quid*. Subaudi *pati*.

(20) *Minis*. De minis vide notas in Ter. Phorm. IV. 3. 38.

SCENA TERTIA.

PHILOCRATES, HEGIO, STALAGMUS.

Agnoscit Hegio Tyndarum esse suum Paegnium olim furto ablatum.

HEgio, assum: si quid me vis, impera. *He.*Hic gnatum meum
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
*Ph.*Quam diu id factum est? *St.* Hic annus incipit vicesimus.
*Ph.*Falsa memorat. *St.*Aut ego, aut tu. nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvolum puero dedit.
*Ph.*Quid erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi.
*St.*Paegnium vocitatu 'st: post vos indidistis Tyndaro.
Ph. Cur ego te non novi? *St.* Quia MOS EST oblivisci hominibus,
Neque novisse, cujus nihili sit faciunda gratia.
*Ph.*Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, hujus filius?
*He.*Vivitne is homo? *St.*Argentum accepi, nihil curavi ceterum.
*He.*Quid tu ais? *Ph.* Quin istic ipsu 'st Tyndarus tuus filius,
Ut quidem hic argumenta loquitur. nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatu 'st usque ad adolescentiam.
*He.*Et miser sum & fortunatus, si vos vera dicitis:
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meu 'st.
Eheu! cur ego plus minusque feci, quam aequum fuit?
Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possiet.

Sed

[14] *Argumenta*. Indicia, signa.

[18] *Plus minusque*. Plus mali, minus boni.

[19] *Si*. Est hic adverbium optantis, pro *utinam*. Ita apud Virg. Aen. VI. 187. & VIII. 560. *O mihi praeteritos referat si Jupiter annos.*

Sed eccum, incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.

[20] *Ornatus*. Scilicet compedibus. Indicat enim Hegio a se filium acceptum esse non proinde, ut meritus esset. *Virtus* enim hic accipitur pro *meritum*. Idem reperias apud Terent. Ad. II. 2. 22.

SCENA QUARTA.

TYNDARUS, HEGIO, PHILOCRATES, STALAGMUS.

Tyndarus a vinculis eximitur, in quae detruditur Stalagmus.

Vidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fierent
Cruciamenta; verum enim vero nulla adaeque est Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi demum est locus,
Ubi labore lassitudo omni 'st exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem haec mihi advenienti upupa, qui me delectet, data est.
Sed herus eccum ante ostium, & herus alter eccum ex Alide
Rediit. *He.* Salve exoptate gnate mi. *Ty.* Hem! quid gnate mi?
Attat, scio cur te patrem assimules esse & me filium:
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendae copiam.

Ph.

[1] *Picta*. Veteres in tabulis depingebant cruciatus infernales, ut homines a sceleribus absterrerentur intuentes poenas, *Quae*, ut ait Horat., *manent culpas etiam sub Orco*.

[7] *Upupa*. Iocus in voce ambiguae significationis. Upupa enim proprie est *noctua* avis inauspicata. At hic accipitur pro ferreo instrumento, quod *Upupae* caput cum rostro referebat, atque ad eruendos lapides adhibebatur. Graece ἔποψ.

[11] *Quia mihi*. Ad lapicidinas refero, quae sub terra erant [v. sup. IV. 2. 72.] unde fit productus & quasi denuo in lucem editus Hegionis opera.

Ph. Salve Tyndare. *Ty.* Et tu, quoius caussa hanc aerumnam exigo.
Ph. At nunc liber in divitias faxo venies. nam tibi
Pater hic est; hic servus, qui te huic hinc quadrimum surpuit,
Vendidit patri meo te sex minis, is te mihi
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Illic indicium fecit: nam hunc ex Alide huc reducimus.
Ty. Quid, hujus filium? *Ph.* Intus eccum fratrem germanum tuum.
Ty. Quid tu ais? adduxtin' illum hujus captivum filium?
Ph. Quin, inquam, intus hic est. *Ty.* Fecisti edepol & recte & bene.
Ph. Nunc tibi pater hic est: hic fur est tuus, qui parvom hinc te abstulit.
Ty. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnificem dabo.
Ph. Meritus est. *Ty.* Ergo edepol meritam mercedem dabo.
Sed dic oro: pater meus tu ne es? *He.* Ego sum, gnate mi.
Ty. Nunc demum in memoriam redeo, cum mecum cogito,
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me
Quasi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.
He. Ego sum. *Ph.* Compedibus quaeso ut tibi sit levior filius,
Atque hic gravior servus. *He.* Certum est principium id praevortier.
Eamus intro. ut arcessatur faber: ut istas compedes
Tibi adimam, huic dem. *St.* Cui peculii nihil est, recte feceris.

(27) *Nebulam*. Namque & per nebulam, si ea crassior sit, obtusius audimus; ut in strepitu. Alii translationem esse dicunt a sensu videndi ad sensum audiendi.

[29] *Certum est*. Stat sententia primum omnium id facere.

[31] *Cui* &c. Stalagmus jocatur, & τὸ *dem* ita accipit, ac si alia omnia potius, quam compedes subintelligerentur. Ideo respondet, Hegionem recte facturum, si det aliquid ipsi, cui peculii nihil est.

GREX,

GREX, *seu* CATERVA.

SPectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est.
Hujusmodi paucas Poëtae reperiunt Comoedias,
Ubi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet,
Et, si placuimus, neque odio fuimus, signum hoc mittite:
Qui pudicitiae esse voltis praemium, plausum date.

[2] *Reperiunt*. Excogitant, fingunt.

[4] *Signum hoc*. Mihi videtur gestu expressum fuisse hoc signum, quod spectatores suo exemplo *Grex*, seu *Caterva* imitari postulet.

FINIS CAPTEIVORUM.

PLAUTI
AULULARIA.



DRAMATIS PERSONAE.

LAR, *Prologus*.
EUCLIO, *senex avarus, pater Phaedriae*.
STAPHYLA, *anus, Euclionis serva*.
EUNOMIA, *mater Lyconidis*.
MEGADORUS, *senex, frater Eunomiae*.
STROBILUS, *servus Lyconidis*.
STROBILUS, *servus Megadori*.
ANTHRAX } *coci*.
CONGRIO }
PYTHODICUS, *servus*.
LYCONIDES, *adolescens*.
PHAEDRIA, *puella: persona muta*.

ARGUMENTUM.

Euclio avarus senex non satis sibi fidens aulam auri plenam defodit domi, a qua AULULARIA *dicta est Comoedia. Huic erat unica filia virgo nubilis, quam Lyconides adolescens uxorem ducere cupiebat, postquam uterque, insciis parentibus, ultro citroque fidem nuptiarum dederant. Cum vero Lyconides rescivisset, puellam avunculo suo Megadoro desponsam fuisse, rem omnem matri indicat, & per hanc impetrat, ut Megadorus repudium Euclioni mittat. Interea senex ollam auri in Sylvani luco defossam amittit, Strobilo illam auferente. Quod cum ab ipso Strobilo audisset Lyconides, ollam ab eo quaerit, ut seni restituat. Atque hactenus Plautina ad nos pervenerunt. Ex antiquissimis autem hujus Comoediae*

diae argumentis (quae quidem facta fuerunt in ipsam Aululariam nondum mutilam) constat, tum aurum redditum seni, tum illum animo mutatum fuisse, & dotatam filiam tradidisse Lyconidi. Haec Codrum *quemdam* Urceum Bononiensem *persecutum esse accepimus expositione sua, & illius versus esse, qui vulgo feruntur. Est & aliud supplementum incerti Auctoris antiquius & brevius: sed neutrius Auctoris versus satis Plautini sunt; neque caussa, cur adjici vellemus, visa fuit.*



PROLOGUS.

* Lar Familiaris.



NE quis miretur qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris, ex hac familia,
Unde exeuntem me aspexistis, hanc domum
Jam multos annos est cum possideo, & colo
Patrique, avoque jam hujus, qui nunc hic habet;
Sed mihi avos hujus obsecrans concredidit
Thesaurum auri clam omnis: in medio foco

De-

(*) Lar prologus perstringit avaritiam Euclionis, ejusque avi, & patris. Phaedriae vero pietatem laudat, fabulae argumentum attingens.

(1) *Miretur*. Pro *nesciat*. Vid. Ter. And. IV. 5. 11.

(2) *Lar*. Adhibetur hic Deus: quia quae a Lare dicuntur, non nisi a Deo sciri poterant. *Lares* autem non solum aedibus, sed & vicis integris & itineribus praesidere existimabantur. Graece Θεοὶ κατοικίδιοι.

(4) *Jam multos* &c. Grammatice dicendum fuisset: *Jam multos annos possideo* &c. vel: *Jam multi anni sunt, cum* &c. Poëta tamen utrumque confundit, accipiens τὸ *multos annos* loco adverbii *diu*. quasi dicat. *Jamdiu est cum* &c.

Colo. Acidalius legit *color Patrique* &c. Ita ut sententia Laris sit, *color a patre* &c.

(7) *Clam omnis*. Pro *clam omnibus*. Ita apud Terent. *clam patrem*. *Omnis* autem dicitur pro *omneis*, vel *omnes*. Utrumque ex antiquo loquendi genere.

Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Nunquam indicare id filio voluit suo,
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum Thesaurum commonstraret filio.
Agri reliquit ei non magnum modum,
Quo cum labore magno, & misere viveret,
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Coepi observare, ecquid majorem filius
Mihi honorem haberet, quam ejus habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire honoribus.
Item a me contra factum est: nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avusque hujus fuit.
Huic filia una est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat:
Dat mihi coronas: ejus honoris gratia
Feci, Thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nuptum, si vellet, daret.
„ Nam ducere eam vult de summo adolescens loco;
„ Quin nuptiis se jungi uterque clam sene
„ Jam dudum promiserunt, Cereris vigiliis.
Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proximo
Sibi uxorem poscat. id ea faciam gratia,
„ Quo ille facilius hanc ducat adolescentulus.
Et hic qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adolescentis illius est avunculus.
Sed hic senex jam clamat intus, ut solet.

An-

(16) *Ecquid*. Numquid.

(17) *Honorem*. Idem, ac sacrificium. Ita apud Virg. Aen. VIII. 76. *Semper honore meo, semper celebrabere donis*.

(18) *Minus impendio*. H. e. multo minus.

(20) *Item* &c. Ego contra talis fui adversus eum, qualis ille in me, i. e. nunquam feci ut reperiret thesaurum.

(22) *Pariter moratum*. Iisdem instructum moribus.

(24) *Aliqui*. Alio aliquo sacrificandi modo.

(30) *Cereris vigiliis*. Τοῖς Θεσμοφορίοις. Sacra haec a mulieribus jejunantibus nocturna celebrabantur in honorem Cereris & Proserpinae.

(31) *Senex de proximo*. Megadorus proximus vicinus.

(36) *Hic Senex*. Euclio.

Anum foras extrudit, ne ſit conſcia.
Credo aurum inſpicere volt, ne ſurreptum ſiet.

(38) *Ne*. Pro *anne*: vel potius ſubaudi, verens.

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

EUCLIO, STAPHYLA.

Euclio in horas ſingulas ollam auri videt, utrum ſit ſalva; ideo Staphylam foras extrudit ne id animadvertat.

EXi, inquam, age exi, exeundum hercle tibi hinc eſt foras,
Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
*St.*Nam cur me miſeram verberas? *Eu.*Ut miſera ſis,
Atque ut te dignam mala malam aetatem exigas.
*St.*Nam qua me nunc cauſſa extruſiſti ex aedibus?
*Eu.*Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?
Illuc regredere ab oſtio: illuc ſis, vide, ut
Incedit: at ſcin' quomodo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi egò grandibo gradum.
*St.*Utinam me Divi adaxint ad ſuſpendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te ſerviam.
*Eu.*At ut ſceleſta ſola ſecum murmurat!

Ocu-

(2) *Emiſſitiis*. Qui huc atque illuc excurrunt, omnia curioſe obſervantes.

(4) *Malam aetatem*. Senectutem, quam multa circumveniunt incommoda.

(6) *Seges*. Scil.digna, in cujus corpore ſtimuli perpetuo ſati, & defixi ſtent, ut in ſegete ſpicae.

(7) *Vide* &c. Haec ad ſpectatores.

(10) *Grandibo*. Faciam ut majora ſpatia in gradiendo percurras.

(11) *Adaxint*. Pro *adigant*, vel *adegerint*. Ut alia ſimilia apud Comicos ſaepiſſime.

Oculos hercle ego iſtos, improba, effodiam tibi,
Ne me obſervare poſſis, quid rerum geram.
Abſcede: etiam nunc: etiam nunc: etiam. ohe!
Iſtic adſtato. ſi hercle tu ex iſtoc loco
Digitum tranſverſum, aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te juſſero,
Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certe ſcio
Vidiſſe nunquam: nimiſque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit
Neu perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum:
Quae in occipitio quoque habet oculos, peſſuma.
Nunc ibo ut viſam, eſt ne ita aurum ut condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
St. Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Malae rei eveniſſe, quamve inſaniam,
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die uno ſaepe extrudit aedibus.
Neſcio pol quae illunc hominem intemperiae tenent;
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
„ Quid miſera faciam? haud quidquam melius eſt mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

(18) *Digitum, unguem*. Pro minimo ſpatio.

(19) *Reſpexis*. Retro aſpexeris.

(20) *Diſcipulam*. In crucem agam, tanquam ſub diſciplina, ubi diſcas oculos iſtos emiſſitios claudere, & ſtare loco, ubi ego volo.

(23) *Duit*. Pro det, vel dederit; ut ſupra *adaxint*.

(36) *Litteram longam*. Ita dicta littera I. quia non, ut ceterae, geminatur, ſed in ſimplicem lineam producitur.

SCE-

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, STAPHYLA.

Euclio licet invitus domo abiturus caussa recipiendi nummum a Magistratu, praecipit Staphylae, ut domum servet.

NUnc defaecato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi nunc jam intro, atque intus serva. *St.*Quippini
Ego intus servem: an ne quis aedes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus:
Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.
*Eu.*Mirum quin tua nunc me caussa faciat Jupiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum fateor, patior: QUOD DI dant fero:
Abi intro. occlude januam. jam ego hic ero,
Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo:
Ne caussae quid sit, quod te quisquam quaeritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedes meas me absente neminem
Volo intromitti, atque etiam hoc praedico tibi,
Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
*St.*Pol ea ipsa credo ne intromittatur cavet:

Nam.

(1) *Defaecato*. Ab angore purgato, hilari.

(3) *Serva*. *Servare domum* pro domesticae rei curam sedulam habere dicebant veteres.

(6) *Araneis*. Quae vacua sunt, *aranearum plena* dicimus. Ita apud Catullum. *Plenus sacculus est aranearum*.

(13) *Quod* &c. Volo extingui ignem, propterea quod aliquis posset illum a te quaerere.

(15) *Nam si* &c. Sententia est. Si ignis a te non extinguatur; tu vita extingueris.

Nam ad aedis noſtras nuſquam adiit, quamquam prope eſt.
Eu. Tace, atque abi intro. *St.* Taceo, atque abeo. *Eu.* Occlude ſis
Fores ambobus peſſulis. jam ego hic ero.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Nimis hercle invitus abeo: ſed quid agam, ſcio.
Nam noſter noſtrae qui eſt Magiſter Curiae,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illico
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.
NAM NON eſt veriſimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc quom celo ſedulo omnes, ne ſciant,
Omnes videntur ſcire, & me benignius
Omnes ſalutant, quam ſalutabant prius.
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras:
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc quo profectus ſum ibo, poſtidea domum
Me rurſum, quantum potero, tantum recipiam.

(24) *Prope eſt*: Videtur Staphyla innuere fortunae templum, quod non longe ab Euclionis domo aberat.

(26) *Ambobus peſſulis*. Utroque obice ſupero, & infero.

(28) *Quid agam, ſcio*. Scit enim Euclio non eſſe temerarium quod domo abeat, petiturus cum ſit nummulum a ſuae Tribus diviſore.

(29) *Magiſter Curiae*. Graeca ad conſuetudinem Romanam traducta ſunt. In Comoedia enim Palliata dicendum fuiſſet. Τρυτυάρχης, nam ut *Curia* eſt pars Tribus apud Romanos, ita apud Graecos eſt Τριττύς. Idem animadvertendum infra III. 2. 2. ubi de *Treviris*, & alibi paſſim.

(30) *Viros*. Sub. ſingulos.

(38) *Conſiſtunt*. In via euntem me ſiſtunt.

(40) *Profectus ſum*. Ire intenderam.

(41) *Tantum, quantum*. Quam primum.

ACTUS

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

EUNOMIA, MEGADORUS.

Eunomia proponit Megadoro nuptias nobilis, & natu grandis mulieris, sed frustra. Cum Megadorus Phaedriam potius pauperem velit ducere.

VElim te arbitrari me haec verba, frater,
Meae fidei, tuaeque rei hoc cauſſa
Facere, ut aequom eſt germanam ſororem.
Quamquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi.
Nam MULTUM loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo in ſeculo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihique item eſſe te.
Ut aequum eſt, quod in rem eſſe utrique arbitremur,
Et mihi te, & tibi me conſulere, & monere:
Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.
Eo nunc ego ſecreto te huc foras ſeduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
Me. Da mihi, optuma foemina, manum. *Eu.* Ubi ea eſt? quis ea
Eſt nam optuma? *Me.* Tu. *Eu.* Tune ais? *Me.* Si negas,
Nego. *Eu.* Decet te equidem vera proloqui.
Nam OPTUMA nulla poteſt eligi: alia alia
Pejor, frater, eſt. *Me.* Idem ego arbitror, nec tibi.
Adverſari certum eſt de iſtac re unquam, ſoror.
Eu. Da mi operam, amabo. *Me.* Tua eſt, utere

At-

(12) *Muſſari. Muſſare*, inquit Nonius, *eſt hominum occulta, & depreſſa voce loquentium, quod celatum velint.*

(16) *Quis*. Pro *quae*, ſic enim antiqui loquebantur.

(22) *Tua eſt*. Sub. opera mea.

Atque impera, si quid vis. *Eu.*Id quod in rem tuam
Optumum esse arbitror, te id admonitum advento.
*Me.*Soror, more tuo facis. *Eu.*Facta volo. *Me.*Quid est id?
*Eu.*Volo te uxorem domum ducere. *Me.*Hei occidi!
*Eu.*Quid ita? *Me.*Quia mihi misero cerebrum excutiunt,
Tua dicta, soror: lapides loqueris. *Eu.*Eja! hoc face,
Quod te jubet, soror. *Me.*Si lubeat, faciam. *Eu.*In rem
Hoc tuam est. *Me.*Ut quidem emoriar, priusquam ducam.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam: quae
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
*Eu.*Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu: media est mulieris aetas.
Eam si jubes, frater, tibi me poscere, poscam.
Me. Num non vis me interrogare te? *Eu.* Imo, si quid vis, roga.
*Me.*Post mediam aetatem, qui mediam ducit uxorem domum;
„ Quid dubitas, quin, si fors nascetur filius,
„ Siet paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istum, soror, laborem demam, & diminuam tibi
Ego virtute Deûm & majorum nostrorum dives sum satis.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quae in servitutem sumtibus redigunt viros.
*Eu.*Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem? *Me.*Eloquar.

No-

[28] *Lapides loqueris*. Durus & asper tuus sermo est, qui me quasi lapidibus impetit.

(32) *Feratur foras*. Efferatur ad sepulcrum.

(38) *Mediam aetatem*. Eleganter describit Seneca in Oedipo. *inter senem juvenemque, sed propior seni*.

Mediam uxorem. Media aetate mulierem.

[40] *Postumus*. Scribendum sine *h*. est enim, ut postremus, a praepositione *post*, quia *post* patrem mortuum nascitur *postumus*.

(43) *Factiones*. H.e. Opulentiam, & nobilitatem.

Dapsiles. Largas. a voce Graeca δαψιλής.

Noviſtin' hunc ſenem Euclionem ex proximo pauperculum?
Eu. Novi; hominem haud malum mecaſtor. *Me.* Ejus cupio filiam
Virginem mihi deſponderi. verba ne facias, ſoror.
Scio quid dictura es: hanc eſſe pauperem. haec pauper placet.
Eu. Di bene vertant. *Me.* Idem ego ſpero. *Eu.* Quid me nunc quid vis? *Me.* Vale.
Eu. Et tu, frater. *Me.* Ego conveniam Euclionem, ſi domi
Eſt. ſed eccum. neſcio unde ſeſe homo recipit domum.

(51) *Nunc quid vis*. Formula diſcedentis.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, MEGADORUS.

Megadorus poſcit ab Euclione filiam in conjugem, idque exorat, ſed ea lege, ut ſine dote eam ducat.

PRaeſagibat mihi animus, fruſtra me ire, quom exibam domo.
Itaque abibam invitus. nam neque quiſquam Curialium
Venit, neque Magiſter, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hic; animus domi eſt.
Me. Salvus atque fortunatus, Euclio, ſemper ſies.
Eu. Di te ament, Megadore. *Me.* Quid tu? recten' atque ut vis vales?
Eu. Non temerarium eſt, ubi dives blande appellat pauperem.
Jam illic homo aurum me ſcit habere, eo me ſalutat blandius.
Me. Ain' tu te valere? *Eu.* Pol ego haud a pecunia perbene.

Me.

(2) *Curialium*. *Curiales* dicti qui ejuſdem erant *Curiae*, *Tribules* qui ex eadem *tribu*.

(9) *A pecunia*. Quod ad pecuniam attinet.

*Me.*Pol SI EST animus aequus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.
*Eu.*Anus hercle huic indicium fecit de auro: perspicue palam est.
Cui ego jam linguam praecidam, atque oculos effodiam domi.
*Me.*Quid tu solus tecum loquere? *Eu.*Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. *Me.* Tace: bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adjuvabere a me: dic si quid opus est, impera.
*Eu.*Nunc petit, quom pollicetur: inhiat aurum ut devoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi.
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego istos novi polypos, qui ubi quid tetigerint, tenent.
*Me.*Da mihi operam parumper. paucis, Euclio, est quod te volo
De communi re appellare, mea & tua. *Eu.*Hei misero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum est. nunc hic eam rem volt, scio,
Mecum adire ad pactionem: verum intervisam domum.
*Me.*Quo abis? *Eu.*Jam ad te revortar: namque est quod visam domum.

Me.

(10) *Satis habes*. Ex his verbis suspicatur Euclio, istum de auro aliquid rescivisse.

(14) *Cassam*. Carentem.

Illocabilem. Quae propter pauperiem nuptui collocari nequit.

(18) *Altera* &c. Translatum ab iis, qui canes ostentato pane pelliciunt, deinde accedentibus saxum illidunt.

(20) *Manum injicit*. Manum cum manu copulat.

Onerat zamiam. Infert damnum.

(21) *Polypos*. Intelligit rapaces & tenaces homines. *Polypus* enim quicquid suis branchiis prehendit, firmissime tenet.

(24) *Eam rem*. Sub. *Ob*, κατά.

(25) *Adire* &c. Inire mecum pactum.

Me. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.
Eu. Di me servant, salva res est: salvom est, si quid non perit.
Nimis male timui. priusquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. *Me.* Habeo gratiam.
Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
Eu. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
Me. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? *Eu.* Bono.
Me. Quid fide? *Eu.* Bona. *Me.* Quid factis? *Eu.* Neque malis, neque improbis.
Me. Aetatem meam scis? *Eu.* Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
Me. Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, & nunc arbitror. *Eu.* Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *Me.* Quoniam tu me, & ego te, qualis sis, scio:
Quae res recte vortat mihique, tibique, tuaeque filiae,
Filiam tuam mihi uxorem posco: promitte hoc fore.
Eu. Heja! Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te, atque abs tuis me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres quod facis.
Me. Neque edepol ego te derisum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. *Eu.* Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

Me.

(27) *Mentionem*. Intellige de futuris sponsalibus, de petenda filia in uxorem. nam qui poscit, *mentionem facere* dicimus, qui respondet, *repromittere*.

(29) *Ex paupertate*. Ex numero pauperum.

(44) *Innoxium*. Qui nec tibi nec tuis nocui.

(45) *Ut faceres* &c. Ut posceres tibi uxorem meam filiam pauperem.

Me. Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te & tuos.
Eu. Venit hoc mihi, Megadore, in mentem, te esse hominem divitem,
Factiosum; me item hominem pauperum pauperrimum.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, & me esse asellum: ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto:
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.
Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.
Hoc MAGNUM est periculum, me ab asinis ad boves transcendere.
Me. QUAM AD probos propinquitate proxime te adjunxeris,
Tam optumum est. tu conditionem hanc accipe: ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi. *Eu.* At nihil est dotis quod dem. *Me.* Ne duas.
DUMMODO morata recte veniat, dotata est satis.
Eu. Eo dico, ne me thesauros reperisse censeas.
Me. Novi, ne doceas. desponde. *Eu.* Fiat, sed pro Jupiter!
Non ego disperii? *Me.* Quid tibi est? *Eu.* Quid crepuit quasi ferrum modo?
Me. Hic apud me hortum confodere jussi. sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit; fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, per metum male rem gerit.
Idem

(50) *Factiosum.* Praepotentem, multisque clientelis florentem.
(51) *Locassim.* Collocaverim tibi in matrimonium.
(54) *Gnatus* &c. Plus est autem *nunquam natum esse*, quam *mortuum esse.*
(57) *Mordicibus.* Dentibus.
(58) *Ab asinis.* H. e. a pauperum ordine ad divitum affinitatem prorumpere.

Idem, quando illaec occasio periit, post sero cupit.
*Eu.*Si hercle ego te non eliguandam dedero usque ab radicibus,
„ Impero, auctorque sum, ut tu me cuivis caedendum loces.
*Me.*Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.
*Eu.*Neque edepol, Megadore, facio: neque si cupiam, copia est.
*Me.*Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? *Eu.* Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *Me.*Sponden' ergo? *Eu.* Spondeo.
*Me.*Istuc Di bene vortant. *Eu.*Ita Di faxint. illud facito ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
*Me.*Memini. *Eu.*At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
PACTUM non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.
*Me.*Nulla controversia mihi tecum erit. sed nuptias
Hodie quin faciamus num quae caussa est? *Eu.*Imo edepol optuma.
Me. Ibo igitur, parabo. numquid me vis? *Eu.* Istuc. *Me.*Fiet. vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.
Eu. Illic hinc abiit. Di immortales, obsecro, AURUM quid valet!
Credo ego illum jam inaudisse, mihi esse thesaurum domi:
Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.

(73) *Caedendum.* Sub fustibus.
(76) *Copia est.* Possum.
(81) *Perplexarier.* Perplexe & captiose agere.
(89) *Obstinavit.* Obfirmato & perseveranti animo expetivit.

SCENA TERTIA.

Euclio, Staphyla.

Euclio Staphylae mandat, ut omnia paret ad nuptias.

UBi tu es, quae deblaterasti jam vicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? heus, Staphyla, te voco:
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi ego: hodie nuptum huic Megadoro dabo.
St. Di bene vortant. verum ecastor non potest: subitum est nimis.
Eu. Tace, atque abi: curata fac sint quom a foro redeam domum.
Atque occlude aedes: jam ego hic adero. *St.* Quid ego nunc agam?
Ibo intro, ut herus quae imperavit, facta, cum veniat, sient.
Nam; ecastor, malum moerorem metuo ne mistum bibam.

(3) *Propera atque elue*. Ἓν διὰ δυοῖν. pro *propera eluere*.
(5) *Subitum est*. Scil. Ita festinatum est, ut ad id parati esse nequeamus.
(9) *Mistum*. Paratum mihi.

SCENA QUARTA.

Strobilus, Congrio, Anthrax.

Strobilus obsonia, cocos, & tibicinas secum e foro ducit. Narratque Congrioni turpissimas avaritiae Euclionianae sordes.

POstquam obsonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
Ut dispartirem obsonium hic bifariam.

Co.

(1) *Conduxit*. Privatae personae, quae coquos familiares domi non habebant, in foro conducebant.

*Co.*Me quidem, hercle, dicam palam, non divides.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
,, *An.*O hominem bellum & lepidum! *St.*Sed herus nuptias
Meus hodie faciet. *Co.*Cujus ducit filiam?
*St.*Vicini hujus Euclionis e proxumo.
Ei adeo obſonii hinc dimidium juſſit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
*Co.*Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi?
,, *St.*Nempe ſicut dicis. *Co.*Quid? hic non poterat de ſuo
Senex obſonari filiae in nuptiis?
*St.*Vah! *Co.*Quid negotii eſt? *St.*Quid negotii ſit rogas?
Pumex non aeque eſt aridus, atque hic eſt ſenex.
*Co.*Ain' tandem ita eſſe ut dicis? *St.*Tute exiſtuma.
Quin divum atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier,
De ſuo tigillo fumus ſi qua exit foras.
Quin cum it dormitum, follem ſibi obſtringit ob gulam.
*Co.*Cur? *St.*Ne quid animae forte amittat dormiens.
,, *Co.*Vin' credam? *St.*Ita pol eſt: at ſcin' etiam quomodo?
Aquam, hercle, plorat, quom lavat, profundere.
*Co.*Cenſen' talentum magnum exorari poteſſe
Ab iſtoc ſene, ut det, qui fiamus liberi?
*St.*Famem, hercle, utendam, ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues demſerat;

Col-

(4) *Me non divides*. Jocus eſt ſumtus ab ipſius Congrionis nomine, quo nim. nomine & piſcis genus appellatur. dicit igitur ſe eſſe obſonium minime dividendum.

(11) *Huic*. Euclioni dandum eſſe dimidium, dimidium ducendum eſſe domum Megadori. Tò *domi* autem, ut ait hic Donatus, ad locum ſignificat.

(19) *Tigillo*. Titione.

(20) *Follem*. Crumenam nummorum.

(21) *Ne quid*. Cum rogaſſet cocus *cur?* illudens Strobilus ſtupori illius, παρὰ προσδοκίαν falſam cauſſam invenit; tanquam id faceret Euclio, ne inter reſpirandum aliquid animae amitteret. & in riſum ſolvuntur auditores nil tale expectantes.

(24) *Talentum magnum*. Apud Atticos conſtabat octoginta minis: *parvum* ſexaginta. Vid. Terent. Phor. IV. 3. 38. in not.

(26) *Famem* &c. Hyperbole. Nam quis unquam famem utendam rogavit, aut, cum ab aliquo rogatus eſſet, negavit?

(27) *Demſerat*. Purgarat ungues eminulos.

Collegit, omnia abstulit praesegmina.
Co. Edepol mortalem parce parcum praedicas.
Censen' vero adeo esse parcum & misere vivere?
St. Pulmentum pridem ei eripuit milvius:
Homo ad praetorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare, plorans, ejulans,
Ut sibi liceret milvium vadarier.
Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.
Co. Ego, ut multo melior. *St.* Cocum ego, non furem rogo.
Co. Cocum ego dico. *St.* Quid tu ais? *An.* Sic sum, ut vides.
Co. Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum. *An.* Tun' trium litterarum homo
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.

(28) *Collegit*. Euclio.
(34) *Vadarier*. A milvo vades postulare, qui illum certae pecuniae sponsione vadimonium obiturum praestarent.
(36) *Celerior*. Furum manus *celeres* vulgo dicuntur, quo alludit hic Plautus.
(39) *Nundinalis*. Novendialis, seu feralis cocus, qui coquit cibos nono die in parentalibus mortuorum. Id autem per contemtum dicitur in Anthracem tanquam Bustuarii ordinis cocum, qui coenam non nisi mortuis, qui nec mordent, nec gustant, parare valeat.

SCENA QUINTA.

STROBILUS, CONGRIO, ANTHRAX.

Strobilus dividit obsonium, tibicinas, & cocos partim Megadoro, partim Euclioni.

TAce nunc jam tu: atque agnûm hinc uter est pinguior.
Co. Licet. *St.* Tu Congrio eum sume, atque abi
Intro illuc, & vos illum sequimini:
Vos ceteri illuc ad nos. *An.* Hercle injuria

Di-

(2) *Licet*. Patet. quasi diceret, *licet id quidem videre vel coeco*.
(4) *Ad nos*. Ad aedes Megadori.

Dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.
*St.*At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia. tu autem, Eleusium,
Huc intro abi ad nos. *Co.*O Strobile subdole,
Huccine detrusisti me ad senem parcissumum?
Ubi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quicquam detur. *St.*Stultum & sine gratia est
Ibi recte facere, quando quod facias perit.
*Co.*Qui vero? *St.*Rogitas? jam principio in aedibus
Turba istic nulla tibi erit: si quod uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poscere.
Hic apud nos magna turba, ac magna familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi si perierit quippiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est)
Dicant, coci abstulerunt; comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi istic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est. sequere hac me. *Co.*Sequor.

(10) *Ad ravim*. Ad raucedinem.

(11) *Sine gratia est*. Ingratum est.

(12) *Quod facias*. H. e. quod aliquis faceret recte.

(18) *Quod*. Quoniam, nam.

(21) *Puteum*. Profundum carcerem.

SCENA SEXTA.

STROBILUS, STAPHYLA, CONGRIO.

Congrio a Staphyla in Euclionis aedes recipitur.

HEus Staphyla prodi, atque ostium aperi. *St.* Qui vocat?
*Str.*Strobilus. *St.* Quid vis? *Str.*Hos ut accipias coquos,
Tibicinamque, obsoniumque in nuptias.
Megadorus jussit Euclioni haec mittere.
*St.*Cererine, Strobile, has facturi nuptias?

Str.

(5) *Cereri*. Nam Θεσμοφορίοις (i. e. Cerealibus) apud Graecos vini usus interdictus.

*Str.*Qui? *St.*Quia temeti nihil allatum intellego.
*Str.*At jam afferetur, si a foro ipsus redierit.
*St.*Ligna hic apud nos nulla sunt. *Co.*Sunt asseres?
*St.*Sunt pol. *Co.*Sunt igitur ligna; ne quaeras foris.
*St.*Quid? impurate, quamquam Vulcano studes,
Coenaene caussa, aut tuae mercedis gratia,
Nos nostras aedes postulas comburere?
*Co.*Haud postulo. *Str.*Duc istos intro. *St.*Sequimini.

(10) *Impurate* &c. Sanguine contaminate, licet assidue igni [quo vel metalla puriora redduntur] accendendo operam das.

[11] *Mercedis*. Qua conductus es.

SCENA SEPTIMA.

PYTHODICUS.

Cocos se observaturum dicit, ne quid furentur.

CUrate: ego intervisam quid faciant coqui:
Quos pol ut ego hodie servem, cura maxuma est
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo coenam coquant.
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incoenati sunt, & coenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negotii nihil fiet,
Rapacidarum ubi tantum fiet in aedibus.

[3] *In puteo*. Non in aedibus, aut culina, unde aliquid furari possint.

[5] *Deorsum*. Non de loco, sed in loco significat.

[6] *Superi*, *inferi*. Ludit in his verbis, quae proprie *vivos* & *mortuos* significant.

[8] *Rapacidarum*. Plautinum patronymicum a *rapax*, quasi familia sit *Rapacidarum*, ut *Aeacidarum*, aut *Scipiadarum*.

SCE-

SCENA OCTAVA.

EUCLIO, CONGRIO.

Queritur Euclio de caritate obsoniorum; videnſque aedes ſuas apertas, ſe compilari a furibus arbitratur.

VOlui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene haberem filiae nuptiis.
Venio ad macellum, rogito piſces. indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil eſt qui emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi: FESTO die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Acceſſit animus ad meam ſententiam,
Quam minimo ſumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Haec imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias.
Sed quid ego apertas aedes noſtras conſpicor?
Et ſtrepitus eſt intus. numnam ego compilor miſer?
Co. Aulam majorem, ſi pote, ex vicinia
Pete: haec eſt parva, capere non quit. *Eu.* Hei mihi,
Perii hercle! aurum rapitur, aula quaeritur.
Nimirum occidor, niſi ego intro huc propere propero currere.
Apollo, quaeſo, ſubveni mihi, atque adjuva:
Confige ſagittis fures theſaurarios:

Cui

(8) *Adii manum*. Illos decepi. *Adire* enim *alicui manum* dicitur ille, qui oſtentat cuipiam aliquid tanquam in manum traditurus, cumque ille alter manum porrexerit accepturus, ipſe ſuam manum retro trahat, eumque inanem hiantemque deſtituat.

[24] *Apollo*. Invocatur hic Deus tamquam malorum depulſor.

Cui in re tali jam ſubveniſti antidhac.
Sed ceſſo, prius quam prorſus perii, currere?

SCENA NONA.

ANTHRAX

Domo egrediens aliis mandat, quid facere interea debeant.

DRomo, deſquama piſces: tu Machaerio
Congrum, muraenam exdorſua, quantum potes:
Atque omnia, dum abſum hinc exoſſata fac ſient.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. tu iſtum gallum, ſi ſapis
Glabriorem reddes mihi, quam volſus ludiu'ſt.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui, hercle, credo faciunt officium ſuum.
Fugiam intro, ne quid hic turbae fiat itidem.

[4] *Artoptam*. Coquinarium inſtrumentum coquendis placentis idoneum.

[6] *Volſus*. Evulſis pilis laevis & glaber factus.

Ludius. *Ludii* proprie dicti adoleſcentes impuberes, qui *Lydiorum* exemplo ludos obibant. *Lydiis* autem, quo gratiores eſſent ſpectatoribus, barba radicitus vellebatur.

ACTUS

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

CONGRIO

Fuſtibus contuſus ab Euclione, illius domo aufugit.

OPtati cives, populares, incolae, accolae, advenae omnes
Date viam, qua fugere liceat, facite totae plateae pateant.
Neque ego unquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum,
Ita me miſerum & meos diſcipulos fuſtibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iſte habuit ſenex gymnaſium.
Neque ligna ego uſquam gentium praeberi vidi pulchrius:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos onuſtos fuſtibus.
Attat, perii hercle ego miſer! aperit Bacchanal. adeſt:
Sequitur. ſcio quam rem geram: hoc ipſus Magiſter me docuit.

[3] *Ad Bacchas* &c. Veni ad coquinandum in locum baccharum furentium, non in culinam.

[5] *Ita* &c. Fui equidem iſti ſeni pro gymnaſio, in quo ſe exerceret, me verberando.

[6] *Neque ligna* &c. Jocus ex ambiguo. Antea ligna ad ravim poſcebam, ut obſonia coquerem, venit ſenex, qui *pulcre* i.e. largiter praebuit, fuſtibus caput mihi meiſque contundendo.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, CONGRIO.

Euclio Congrionem fugientem revocat, interminaturque; hinc fit jurgium inter utrumque.

REdi, quo fugis nunc: tene, tene. *Co.*Quid, stolide, clamas?
*Eu.*Quia ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen. *Co.*Quamobrem?
*Eu.*Quia cultrum habes. *Co.*Cocum decet. *Eu.*Quid comminatus
Mihi? *Co.*Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
*Eu.*Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie,
Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.
*Co.*Pol etsi taceas, palam id quidem est. res ipsa testis est.
Ita fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinaedus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est? quae res?
*Eu.*Etiam rogitas? an quia minus quam aequom erat feci?
*Co.*Sine. at hercle cum malo magno tuo, si hoc caput sentit.
*Eu.*Pol ego haud scio quid post fiat, tuum nunc caput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meisnam erat negotii,
Me absente, nisi ego jusseram? volo scire. *Co.*Tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. *Eu.*Quid tu, malum, curas.

Utrum

[2] *Tresviros*. Treviri, seu Triumviri duplex erat Romae magistratus. Alteri *capitales* dicti, de quibus hic; alteri cudendae pecuniae praefecti.

[8] *Cinaedus*. Saltator enervis & veluti exos, quique corpore plicatili fit.

[9] *Quid nos tactio*. H.e. Quid pulsasti nos? *Tactio nos* pro *tactio nostri*; ut *curatio rem*, pro *curatio rei*. more antiquo.

[11] *Sine*. Minantis verbum. *Caput sentit*. Si quid ego sapio. quae verba Euclio in jocum transfert, dicens *caput* illius *nunc sentire* dolorem scilicet inflictorum ictuum.

Utrum crudum an coctum edim; niſi tu mihi es tutor?
*Co.*Volo ſcire, ſinas an non ſinas nos coquere hic coenam?
*Eu.*Volo ſcire item ego, meae domi meane ſalva futura?
*Co.*Utinam mea mihi modo auferam, quae attuli, ſalva!
Me haud poenitet. tuane expetam? *Eu.*Scio: ne doce, novi.
*Co.*Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic coenam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſecus, quam velles?
*Eu.*Etiam rogitas, ſceleſte homo, qui angulos omnis
Mearum aedium & conclavium mihi perviam facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum ſi adeſſes,
Non fiſſile haberes caput. merito id tibi factum eſt.
Adeo ut tu meam ſententiam jam jam noſcere poſſis,
Si ad januam huc acceſſeris, niſi juſſero, propius,
Ego te faciam miſerrimus mortalis uti ſis.
Scis jam meam ſententiam? quo abis? redi rurſum.
*Co.*Ita me bene amet Laverna, te jam, niſi reddi
Mihi vaſa jubes, pipulo hic differam ante aedis.
Quid ego nunc agam? nae ego edepol veni huc auſpicio malo
Nummo ſum conductus: plus jam medico mercede opus eſt.

[20] ***Haud poenitet***. Me, vel meis bonis contentus vivo.

[24] *Perviam*. Adverbium, ut *obviam*: *facere* autem *perviam* eſt aperire, ſcrutari.

[25] ***Ad focum***. Si foco affuiſſes ubi id negotium [ſcil. coquendi] tibi erat, non haberes caput diffiſſum fuſtibus.

[31] *Laverna*. Dea furum apud Romanos.

[32] *Pipulo differam*. Nomen tuum conviciis ſibilisque longe lateque ſpargam.

[34] *Nummo*. Scil.didrachmo.

SCE-

SCENA TERTIA.

EUCLIO, CONGRIO.

Postquam Euclio animadvertisset ollam esse salvam, revocat in aedes quos expulerat.

HOc quidem, hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque istuc in tantis periculis unquam committam ut fiet.
Ite sane nunc jam intro omnes & coqui, & tibicinae,
Etiam introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc jam quantum lubet.
Co. Temperi: postquam implevisti fustibus horum caput.
Eu. Intro abi; opera huc conducta est vestra, non oratio.
Co. Heu senex, pro vapulando, hercle, ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
Eu. Lege agito mecum, molestus ne sis; i, & coenam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus. *Co.* Abi tu modo.

(1) *Hoc*. Haec olla auri.
(4) *Venalium*. Servorum, qui plerumque fures.
(10) *Lege agito*. Actionem intende.
[11] *Cruciatum*. Crucem.

SCENA QUARTA.

EUCLIO

Narrat se obtruncasse gallum gallinacium in furto deprehensum.

ILlic hinc abiit. Di immortales, FACINUS audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine coepit rem habere, aut negotium,
Veluti Megadorus tentat me omnibus miserum modis:
Qui simulavit, mei honoris mittere huc caussa coquos,

Is

Is ea caussa misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit paenissume.
Ubi erat haec defossa, occepit ibi scalpurire ungulis
Circumcirca, quid opus est verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam fecisset. exemi e manu manubrium.
Quid opus est verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis eccum incedit a foro.
Jam hunc non ausim praeterire, quin consistam & colloquar.

[7] *Peculiaris*. In peculio anus Staphylae. Adi notas in Prol. Capt. v. 20.
Perdidit &c. Paene [unde *paenissume*] nihil abfuit, quin perderet.
[8] *Haec*. Olla.
[9] *Peracuit*. Movit bilem.
[10] *Manifestarium*. In manifesto furto deprehensum.
(12) *Si id* &c. Si manifestasset ollam.
Exemi manubrium. Furibus occasionem inveniendi thesaurum praeripui. *Manubrium* enim uti & *ansa* pro occasione quandoque accipitur.

SCENA QUINTA.

Megadorus, Euclio.

Megadorus gratulatur sibi de nuptiis cum paupere muliere faciendis; & recenset incommoda eorum, qui divites uxores ducunt.

Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum & consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat civitas concordior,

Et

(2) *Conditione hac*. His nuptiis. Hinc sollemnia repudii verba fuere: *Conditione tua non utor.*
(4) *Animo*. Sententia.

Et invidia nos minore utamur, quam utimur:
Et illae malam rem metuant, quam metuunt, magis:
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem est optumum.
In pauciores avidos altercatio est:
Quorum animis avidis, atque insatietatibus,
Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: quoi illae nubent divites
Dotatae, si istud jus pauperibus ponitur?
Quoi lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.
*Eu.*Ita me Di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens.
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
*Me.*Nulla igitur dicat: equidem dotem ad te attuli
Majorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem aequom est purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos:
Salutigerulos pueros, vehicula, quî vehar.
*Eu.*Ut matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus praefectum mulierum hunc factum velim.
*Me.*Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum est, prae quam ubi sumtus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius:

Cau-

(9) *Malam* &c. Malefacta facere timerent.

(11) *In maxumam* &c. Sententia est. Id major pars populi probat.

(12) *In pauciores* &c. Sensus est. Restant pauci locupletes & avari, quibuscum controversia mihi est, qui hoc non probant.

(14) *Capere*. Ponere, constituere.

(15) *Qui*. Si quis.

(28) *Salutigerulos*. Ita dicti pueri, qui ad salutandum mittebantur.

(30) *Praefectum*. Erant apud Graecos constituti XX. Viri, qui mulierum ornatui praeessent.

(33) *Prae quam* &c. Prae eo quod fit, ubi artifices sumtus petunt.

(34) *Phrygio*. Qui acu pingit, vel auro intexit vestes.

Caupones, patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobractarii,
Propolae, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant, astant molochinarii,
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Strophiarii astant, astant semizonarii.
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Treceni cum stant phylacistae in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Aes. Jam hosce absolutos censeas,
Cum incedunt infectores crocotarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.
*Eu.*Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.
*Me.*Ubi nugigerulis res soluta est omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.

Itur,

(35) *Caupones*. Nomen est generale mercatorum & institorum, a *copiis* ita dictum, ut hic Turnebus. Alii legunt *Cinistones*.

Patagiarii. Qui vendebant *Patagium*, quod matronis erat idem ac clavus viris; scil. plagula, quae ab humeris in pectus dimittebatur, clavos habens latiores in Senatoribus, angustiores in Equitibus: hinc tota plagula *clavus* dicta.

(36) *Flammearii*. Qui *flammeo*, *Violarii* qui *violaceo*, *Carinarii* qui *cerino* colore vestes tingunt.

(37) *Manulearii*. Qui tunicarum manicas vendunt.

Murobractarii. Unguentarii. Graece dicti μυροβρέκται.

(38) *Propolae*. Proprie dicebantur ii, qui primi merces venderent.

Linteones. Textores linteorum.

(39) *Sedentarii*: *Qui domi sedent totos dies*, ut idem Poeta habet sup. I. 1. 34.

Diabathrarii. A *diabathro*, quod erat genus calcei apud Graecos.

(40) *Molochinarii*. Qui colorem miscent ad purpuram inclinantem. Qualis in malvae (quae Graece μολόχη dicitur) flore spectatur.

(42) *Strophiarii*. A *strophio* pectorali fascia.

(43) *Absolutos*. Dimissos.

Cedunt. Accedunt alii.

(44) *Phylacistae*. Qui servos in ergastulo servabant.

(52) *Petit*. Quoniam milites non ab aliis, nisi a Tribunis aerariis aes militare petebant; hinc dicendum, virum hunc, ad quem miles venit aes petitum, Tribunum esse a Megadoro fingi.

Itur, putatur ratio cum argentario.
Impransus miles astat, aes censet dari.
Ubi disputata est ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultro debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
Incommoditates, sumtusque intolerabiles.
Nam QUAE INDOTATA est, ea in potestate est viri;
Dotatae mactant & malo & damno viros.
Sed eccum affinem ante aedes. Quid ais, Euclio?

(61) *Mactant*. H.e. magis augent viros *malo*, quia in servitutem eos redigunt; *damno*, quia sunt sumtuosae.

SCENA SEXTA.

EUCLIO, MEGADORUS.

Euclio suspicatus, ne quid Megadoro de olla auri suboluerit, illam in Fidei fano abscondere statuit.

NImium lubenter edi sermonem tuum.
*Me.*Ain'? Audivisti? *Eu.*Usque a principio omnia.
*Me.*Tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiae nuptiis.
*Eu.*PRO RE nitorem, & gloriam pro copia.
Qui habent, meminerint se se unde oriundi sient.
Neque pol, Megadore, mihi, neque cuiquam pauperi
Opinione melius res structa est domi.
*Me.*Imo est, & Dii faciant uti siet,
Plus plusque istuc sospitent quod nunc habes.
*Eu.*Illud mihi verbum non placet; quod nunc habes.
Tam hoc scit me habere, quam egomet. anus fecit palam:
*Me.*Quid tu te solus e senatu sevocas?
*Eu.*Pol ego te ut accusem merito meditabar. *Me.*Quid est?
Eu.

(1) *Edi*. *Edere sermones* est attente, & libenter audire. Eandem phrasin legesis apud Jeremiam cap. 15. v. 16.
(5) *Nitorem*. Sub. facio.
(13) *Senatu*. De coetu seducis.

Eu. Quid ſit, me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in aedibus miſero mihi:
Qui intromiſiſti in aedibus quingentos coquos,
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo:
Quos ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Joni Juno cuſtodem addidit,
Is numquam ſervet. praeterea tibicinam,
Quae mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.
Tum obſonium autem! *Me.* Pol vel legioni ſat eſt.
Etiam agnum miſi. *Eu.* Quo quidem agno, ſat ſcio,
Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam.
Me. Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.
Eu. Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet.
Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet,
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
Me. Caedundum illum ego conduxi. *Eu.* Tum tu idem optimum eſt
Loces efferendum: nam jam, credo, mortuus eſt.
Me. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
Eu. Non potem ego quidem hercle. *Me.* At ego juſſero,
Cadum unum vini veteris a me afferrier.
Eu. Nolo hercle. nam mihi bibere decretum eſt aquam.
Me. Ego te hodie reddam madidum, ſed vino, probe,
Te, cui decretum eſt bibere aquam. *Eu.* Scio quam rem agat.
Ut me deponat vino, eam affectat viam.
Poſt hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abſtrudam foris.

Ego

(18) *Geryonaceo.* Geryon fingitur a Poetis tricorpor cum ſenis brachiis.

(19) *Argus.* A Græcis Πανόπτης cognomine dictus, quia *totus oculis* conſtaret.

(22) *Interbibere.* Bibere totum fontem Pirenem, ſi vino ſcateret.

(26) *Curioſam. Curioſi* dicti graciles & macilenti; quaſi hi *curis* ſemet macerarent.

(29) *Vivo.* Illi agno vel vivo.

(30) *Punica.* Laternae enim Africanae ſupra ceteras erant pellucidae.

(35) *A me.* A domo mea.

(39) *Deponat.* Nimio vino ſternat.

(40) *Ut commutet* &c. Ut haec olla, quam habeo, poſtea mutet locum more coloniarum.

(41) *Abſtrudam.* Ollam abſcondam.

Ego faxo, & operam & vinum perdiderit simul.
Me. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.
Eu. Edepol nae tu, aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est.
Nunc hoc mihi factum est optumum, ut te auferam
Aulam in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me, & ego te: cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

(43) *Sacruficem.* Veteres ibant lavatum ante sacrificium, sacrificabant ante nuptiarum celebrationem.

(44) *Inimicos.* Diogenes rogatus cur aurum palleret, respondit; quia multos habet insidiatores.

(47) *In Fidei fanum.* Loquitur de Fidei templo Athenis exstructo. Mos olim obtinuit ut in Templis pecuniae deponerentur.

(49) *Ne tu* &c. Ne fias in me infidelis: ut tibi pro *fidei* nomine *perfidiae* nomen sit imponendum.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

STROBILUS

Lyconidis jussu observat quid agatur in nuptiis Phaedriae.

HOc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor:
Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servom sese ut cogitet.

,, Nam

(2) *Nec morae.* Ne habeat sibi pro mora &c. Ita Teren. Adel. III. 3.: *Utrum studione sibi habet* &c.

(5) *Sin dormitet.* Si sit negligentior.

,, Nam qui adolescenti hero servitutem servit, quasi ego servio.
,, Si herum videt superare animi motum, hoc servi esse officium reor,
Retinere ad salutem: non eum, quo incumbat, eo impellere.
Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus; facilius ut nent: & moveant manus:
,, Eodem modo servom ratem esse adolescenti hero aequom censeo,
Ut toleret, ne pessum abeat, tanquam
Herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant.
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula.
Nec sua opera rediget unquam in splendorem compedes.
,, Nunc herus meus ducere vult hujus Euclionis filiam:
Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari.
Is speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic assidam sacra.
Hinc ego & huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.

(8) *Non eum* &c. Non adjuvare ejus amentiam.

(9) *Scirpea*. Scirpis intexta. *Scirpeam* hanc *ratem* Hor. *corticem* dixit lib. I. sat. 4. v. 170.

Induitur. Subjicitur.

(12) *Tanquam*. Ut sensus constet, legendum est cum Salmasio *tamque* i. e. *Et adeo ediscat* &c.

(15) *Censione*. Animadversione, vindicta bubula, nimirum verberibus lori bubuli.

(16) *Nec rediget* &c. Nunquam vincietur. Ex consequente intelligendum antecedens, ut illud Virg. Georg. I. 46. *Incipiat . . . Sulco attritus splendescere vomer*.

(17) *Filiam*. Phaedriam, quicum sponsalia fecerat.

(20) *In ara*. Erant arae in viis & compitis, non tantum in templis.

(21) *Arbitrarier*. Vid. Capt. II. 1, 24.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, STROBILUS.

Strobilus Fidei fanum perscrutari statuit, ubi ab Euclione abstrusam esse ollam audiverat.

TU modo cave cuiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides.
Non metuo ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est.
Edepol nae illic pulchram praedam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri. verum id te quaeso ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin, ubi arcessat me, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
Tuae fidei concredidi aurum: in tuo luco & fano modo est situm.
St. Di immortales! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano. Fides,
Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, hujus, herus quam amat.
Ibo hinc intro: perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus: sed si reperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

(1) *Cave* &c. Hinc mos erat sacrificare Fidei manu panno velata, quia fides tecta esse debet & velata.

(15) *Congialem*. A *congio*, qui sex sextarios capiebat.
Fidelia. Samium vas ad plurimos usus.

SCE-

SCENA TERTIA.

Euclio

Ob sinistrum corvi auspicium de olla timere coepit.

NOn temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu.
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat sua:
Continuo meum cor coepit artem facere ludricam,
Atque in pectus emicare. sed ego cesso currere?

(1) *Ab laeva*. Vanitas augurum, auspicia corvorum fausta a dextra, a laeva infausta jactabat.

(3) *Artem* &c. Saltare, palpitare.

(4) *Emicare*. Erigi.

SCENA QUARTA.

Euclio, Strobilus.

Euclio Strobilum male accipit, ejusque manus & vestes perscrutatur, veritus ne ollam surripuerit.

FOras, foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo, Qui modo nusquam comparebas: nunc, quom compares, peris.
Ego edepol te, praestigiator, miseris jam accipiam modis.
St. Quae te mala crux agitat? quid tibi mecum est commercii, senex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me caussa verberas?
Eu. Verberabilissime, etiam rogitas? non fur, sed trifur.

St.

(1) *Lumbrice*. *Lumbricus* proprie est vermis sub terra nascens; per metaphoram vero dicebatur ille, qui ex imis sordibus ad summas dignitates erat evectus, gemina ratione *terrae filius*.

(5) *Afflictas*. *Afflictare* est ad terram dare.

Raptas. *Raptare* est hic secundum aliquos idem ac convitiari.

(6) *Verberabilissime*. *Verberabilis* est μαστιγώσιμος i. e. *verberibus dignus*.

St. Quid tibi surripui? *Eu.* Redde huc sis. *St.* Quid tibi vis reddam? *Eu.* Rogitas?
St. Nihil equidem tibi abstuli. *Eu.* At illud, quod tibi abstuleras, cedo.
Equid agis? *St.* Quid agam? *Eu.* Auferre non potes. *St.* quid vis tibi?
Eu. Pone hoc sis: aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.
St. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quicquid est, suo nomine.
Non, hercle, equidem quicquam sumsi, nec tetigi. *Eu.* Ostende huc manus.
St. Hem tibi. *Eu.* Ostende. *St.* Eccas. *Eu.* Video. age ostende etiam tertiam.
St. Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.
Facisne injuriam mihi, an non? *Eu.* Fateor, quia non pendes, maxumam.
Atque id quoque jam fiet, nisi fatere. *St.* Quid fatear tibi?
Eu. Quid abstulisti hinc? *St.* Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli.
Eu. Nive adeo abstulisse vellem. Agedum, excutedum pallium.
St. Tuo arbitratu. *Eu.* Ne inter tunicas habeas. *St.* Tenta qua lubet.
Eu. Vah, scelestus, quam benigne! ut ne abstulisse intelligam.
Novi sycophantias. age rursum, ostende huc manum
Dexteram. *St.* Hem. *Eu.* Nunc laevam ostende. *St.* Quin equidem ambas profero.

Eu.

(8) *Tibi*. H.e. usus tui gratia.

(10) *Cavillam*. Jocosam calumniationem.

(13) *Tertiam*. Sub. manum. Senex animo perturbatus ne oculis quidem suis credit, Strobilumque de genere Geryonaceo esse arbitratur; visisque duabus manibus tertiam rogat.

(15) *Non pendes*. Non vapulas per pedes pendens.

(18) *Nive*. Pro *neve*. Mallem ego legi *sive*. Haec autem Euclio addit de suo, quae a servo adhuc dici volebat.

Pallium. Vestis Graecorum exterior, ἱμάτιον dicta; *Tunica* interior, χιτών appellata.

(19) *Ne inter*. Nam vereor, ne &c.

Eu. Jam ſcrutari mitto . redde huc . *St.* Quid reddam? *Eu.*Aſh nugas agis,
Certe habes. *St.*Habeo ego? quid habeo? *Eu.*Non dicó: audire expetis.
Id meum quicquid habes, redde. *St.*Inſanis: perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inveniſti penes.
*Eu.*Mane, mane: quis illic eſt, qui hic intus alter erat tecum ſimul?
Perii hercle! ille nunc intus turbat; hunc ſi amitto, hic abierit.
Poſtremo jam hunc perſcrutavi . hic nihil habet . abi quo lubet.
Jupiter te Dique perdant. *St.*Haud male agit gratias.
*Eu.*Ibo hinc intro , atque illi ſocienno tuo jam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc , an non? *St.* Abeo. *Eu.*Cave ſis te videam.

(27) *Quis illic. Quis ille* &c. Nemo erat omnino praeter Strobilum; ſed homo avariſſimus tuta etiam timet.

SCENA QUINTA.

STROBILUS

Inſidias molitur Euclioni ollam alio transferenti.

EMortuum ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nam hic jam non audebit aurum abſtrudere.
Credo referet jam ſecum, & mutabit locum.
At at foris crepuit! ſenex eccum aurum effert foras.
Tantiſper hic ego ad januam conceſſero.

SCENA SEXTA.

EUCLIO, STROBILUS.

Euclione ollam abſtruſuro in Silvani luco, Strobilus illuc praecurrit.

FIdei cenſebam maxumam multo fidem
Eſſe. ea ſublevit os mihi paeniſſume.
Ni ſubveniſſet corvus, periiſſem miſer.
Nimis hercle ego illum corvum ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abſtrudam, cogito ſolum locum.
Silvani lucus extra murum eſt avius,
Crebro ſalicto oppletus, ibi ſumam locum.
Certum eſt, Silvano potius credam, quam Fidei.
St. Euge! euge! Dii me ſalvom & ſervatum volunt.
Jam ego illuc praecurram, atque inſcendam aliquam in arborem.
Indeque obſervabo, aurum ubi abſtrudat ſenex.
Certum eſt, malam rem potius quaeram cum lucro.

(2) *Sublevit*. Me deluſit, & pro ridiculo habuit. Sumtum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur. cujus rei veſtigium eſt apud Virg. Ecl. VI. 22.

(6) *Dicam*. Notandum hic eſt, ſenem non dicere *donem*, ſed *dicam aliquid boni*: hoc enim fit ſine ſumtu.
Edit. Pro *edat*, ut *duim*, pro *dem*.

SCENA SEPTIMA.

LYCONIDES, EUNOMIA.

Lyconides cum matri narraſſet ſponſalia inter ſe & Euclionis filiam facta eſſe, eam obſecrat, ut id avunculo ſignificet, impetretque ſibi ſponſam Phaedriam.

DIxi tibi, mater: juxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia. Nunc te obſecro,
Fac mentionem cum avonculo, mater mea.

Eu.

(3) *Fac mentionem*. Age cum eo verbis.

Eu. Scis tute, facta velle me, quae tu velis.
Et istuc confido a fratre me impetrassere.
Et caussa justa est, siquidem ita est ut praedicas.
Ly. Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?
Eu. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc quod tu me oras, efficiam tibi,
Ut istuc quod me oras impetratum ab eo auferam.
Ly. I, jam sequor te, mater. sed servom meum
Strobilum miror ubi sit, quem ego me jusseram
Hic opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

(5) *Impetrassere*. Vid. Capt. I. 2. 65.
(6) *Ut praedicas*. Quod scil. sponsalia facta sint inter te, & Phaedriam.
(15) *Sunt comitia*. Ubi de salute mea agitur. Tractum a populi Rom. comitiis.

SCENA OCTAVA.

STROBILUS

Laetus narrat, quomodo Euclionis ollam surripuerit.

Pici divitiis qui aureos montes colunt,
Ego solus supero, nam istos reges ceteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego sum ille rex Philippus. o lepidem diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior,
Multoque prius me collocavi in arborem:
Indeque expectabam ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
Effodio aulam auri plenam. inde ex eo loco
Video recipere se senem: ille me non videt.
Nam ego modo declinavi paulum me extra viam.
At at! eccum ipsum. ibo, ut hoc condam domum.

SCE-

(1) *Pici*. Graece Γρύπες appellati: hi autem ex montibus Hyperboreis aurum effodere creduntur. Porro *Pici qui . . . . colunt, divitiis supero*, est eadem constructio, quam in Prol. Capt. v. 1. notavimus.
(8) *Duco*. Demitto me sensim.

SCENA NONA.

EUCLIO, LYCONIDES.

Euclio, amissa olla, ejulans in scenam prodit, seque perditum clamat.

PErii! interii! occidi! quo curram? quo non curram?
Tene, tene! quem? quis? nescio, nihil video, caecus eo; atque
Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo
Certum investigare. Obsecro vos ego, mihi auxilio,
Oro, obtestor, sitis, & hominem demonstretis, qui eam abstulerit,
Qui vestitu & creta occultant se se, atque sedent quasi sint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum est. nam esse bonum, e vultu cognosco.
Quid est? quid ridetis? novi omnes, scio fures esse hic complures.
Hem, nemo habet horum! occidisti. dic igitur, quis habet? nescis!
Heu me miserum, miserum! perii male perditus! pessume ornatus eo.
Tantum gemiti, & malae moestitiae hic dies mihi obtulit,
Famem & pauperiem: perditissimus ego sum omnium in terra.
Nam quid mihi opus est vita, qui tantum auri perdidi?
Quod custodivi sedulo. egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum. nunc eo alii laetificantur,

Meo

(2) *Tene*. Furem insequentes clamabant *tene*, vel *prehende furem*.

(6) *Vestitu & creta*. Ἐν λευχ᾽ ἐσθῆσιν. Nitido & cretato vestitu. dicuntur autem *vestitu, & creta se occultare*, qui toga candida simulant se probos & magistratu dignos. Hinc Plautus transtulit ad eos, qui honestate vestis, mores improbos dissimulant.

(7) *Quid ais*. Ex abrupto ad alium forte sibi oblatum, sermonem Euclio convertit, priore sententia nondum expleta.

(8) *Quid ridetis?* Haec ad spectatores.

Hic. In cavea.

Meo malo & damno: pati nequeo.
Ly.Quinam homo hic ante aedis nostras ejulans conqueritur moerens?

(16) *Pati*. Vivere, durare.

SCENA DECIMA.

EUCLIO, LYCONIDES.

Lyconides ab avunculo repudium Euclioni renunciat, sibique Phaedriam poscit.

„ QUis homo hic loquitur? *Ly*.Ego sum, Euclio. *Eu*.Nisi refers. *Ly*.Quid tibi ego referam? *Eu*.Quod surripuisti meum.
Jam quidem hercle te ad praetorem rapiam, & tibi scribam dicam.
Ly.Surripio ego tuum? unde? at quid id est? *Eu*.Ita te amabit Jupiter.
Ut tu nescis? *Ly*. Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.
„ *Eu*.Aulam auri, inquam, te reposco, quam surripuisti mihi.
„ *Ly*. Edepol ego neque aurum neque istaec aula, quae siet
Scio, nec novi. *Eu*.Illam ex Silvani luco, quam abstuleras cedo.
I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero. i vero, refer.
Ly.Sanus tu non es, qui furem me voces. Ego, Euclio,
„ De alia re tecum agere volo, quod ad me attinet.
Magna est res, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.
Eu.Dic bona fide: tu id aurum non surripuisti? *Ly*.Bona.
Eu.Neque scis quis abstulerit? *Ly*. Istuc quoque bona.
Eu.Atque id si scies,

Qui

(2) *Nisi refers*. Repetit Euclio ollam a Lyconide, quem aurum abstulisse temere suspicatur.

(3) *Rapiam*. Dixit ut perturbatus. nam ad praetorem *dufere* licebat; *rapere* nemini licebat nisi ei, qui antestatus esset. *Scribam dicam*. Accusabo.

(14) *Bona fide*. Jurabant & *per fidem* simpliciter. Quod sanctissimum erat jusjurandum.

Qui abstulerit, mihi indicabis? *Ly.*Faciam. *Eu.*Neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, inde posces: neque furem excipies. *Ly.*Ita.
*Eu.*Quid si fallis? *Ly.*Tum me faciat quod volt magnus Jupiter.
*Eu.*Sat habeo, age nunc loquere quid vis. *Ly.*Si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avunculus;
Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia. *Eu.* Novi genus. Nunc quid vis? Id volo
Noscere. *Ly.*Filiam ex te tu habes? *Eu.* Imo eccillam domi.
*Ly.*Eam tu despondisti, opinor, meo avunculo. *Eu.* Omnem rem tenes.
*Ly.*Is me nunc renunciare repudium jussit tibi.
*Eu.*Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?
Ut illum Di immortales omnes Deaeque, quantum est, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi, infelix, miser.
*Ly.*Bono animo es, & benedice. nunc quae res tibi & gnatae tuae
Bene feliciterque vortat. Ita Di faxint, inquito.
*Eu.*Ita Di faciant. *Ly.* Et mihi ita Di faciant. Audi nunc jam.
Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget se. nunc te obtestor, Euclio,
„ Si quid ego erga te imprudens peccavi cum gnata tua.
„ Uti mihi ignoscas, eamque mihi uxorem libens duis.
„ Fidem uterque nuptiarum, te insciente, dedimus invicem,

Ea

(17) *Excipies*. Celabis; nam qui *excipit*, seu *recipit* dat locum delitescendi.

(25) *Renunciare* &c. Remisit tibi per me repudium.

(29) *Quae res* &c. Formula precandi in qualibet re gerenda.

(34) *Peccavi cum* &c. Ego & gnata tua peccavimus contrahendo sponsalia te inscio.

(35) *Eamque* &c. Romano jure Euclionis consensus in filiae sponsalibus quaeritur. Sponsalia enim injussu parentum contracta [ut nostra hic] civiliter nulla erant. Vid. Mazochium in Mantissa de Spons. &c. apud Muscettulam.

Ea re repudium remisit avunculus caussa mea.
„ Illuc vero factum est Cereris vigiliis, decem abhinc mensibus.
I intro, exquire; sit ne ita, ut ego praedico. *Eu.* Perii oppido!
Ita mihi ad malum malae res plurimae se agglutinant.
Ibo intro, ut quid hujus veri sit, sciam. *Ly.* Jam te sequor.
Haec propemodum jam esse in vado salutis res videtur.
Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio.
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar. nunc interim spacium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatae pedissequa nutrice anu. ea rem novit.

(42) *In vado salutis*. In salute explorata & certa. Vid. Terent. Andr. V. 2.

(46) *Anu*. Staphyla.

ACTUS QUINTI

SCENA UNICA.

STROBILUS, LYCONIDES.

Lyconides ollam auri a servo poscit, ut Euclioni restituat.

Di immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis,
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me est divitior?
Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui Di sint propitii?
Ly. Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum. *St.* Hem!
Herumne ego aspicio meum? *Ly.* Videon' Strobilum servum meum?
St. Ipsus est. *Ly.* Haud alius est. *St.* Congrediar. *Ly.* Contollam gradum.

G Cre-

Credo ego illum, ut juſſi, eampſe anum adiſſe, hujus nutricem virginis.
*St.*Quin ego illi me inveniſſe dico hanc praedam, atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat. ibo atque eloquar.
Repperi. *Ly.*Quid repperiſti? *St.*Non quod pueri clamitant,
In faba ſe repperiſſe. *Ly.*Jam ne autem, ut ſoles, deludis?
St. Here mane, eloquar: jam auſculta. *Ly.* Age ergo loquere. *St.*Repperi hodie,
Here, divitias nimias. *Ly.*Ubi nam? *St.* Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
*Ly.*Quod ego facinus audio ex te? *St.* Euclioni huic ſeni ſurripui.
*Ly.*Ubi id eſt aurum? *St.*In arca apud me. nunc volo me emitti manu.
*Ly.*Egone te emittam manu, ſcelerum cumulatiſſime? *St.*Abi here, ſcio
Quam rem geras. lepide, hercle, animum tuum tentavi. jam
Ut eriperes, apparabas. quid faceres, ſi repperiſſem?
*Ly.*Non potes probaſſe nugas, i, redde aurum. *St.*Reddam ego aurum?
Ly. Redde inquam: ut huic reddatur. *St.* Ah, unde? *Ly.*Quod modo faſſus es eſſe
In arca. *St.*Soleo, hercle, ego garrire nugas: ita loquor. *Ly.*At ſcin'
Quomodo? *St.*Vel hercle enica, nunquam hinc feres a me.

(9) *Manu* &c. Manumittebatur ſervus, cum dominus caput ejus tenens dicebat, *hunc hominem liberum eſſe volo*; & emittebat manu.

(10) *Non quod* &c. Ne exiſtimes rem nihili, puta vermiculum *in faba* me reperiſſe; ſed quiddam pretioſum.

(21) *At ſcin' Quomodo*. Formula minitantis Plauto uſitata.

RELIQUA

Hujus Scenae, atque Actus deſiderantur, de quibus vide totius fabulae argumentum.

FINIS AULULARIAE.


PUBLII
TERENTII
AFRI
COMOEDIAE OMNES.

TERENTII VITA.

P. TERENTIUS *Afer natus Carthagine Anno U. C. DLXII. ante* CHRISTUM *natum* CXCII. *decem annis post finem belli secundi Punici. Romam venit servus, sed a Terentio Lucano Senatore ob ingenii, ac formae elegantiam mature manumissus amicitia Virorum nobilissimorum P. Corn. Scipionis Africani, & C. Laelii sapientis usus est, ita ut etiam ab his adjuvari in componendis fabulis diceretur. Obiit teste Eusebio in Arcadia, Anno U. C. DXCIX. Ætatis XXXVII. sex annis ante coeptum bellum Punicum tertium, cum itinere in Asiam suscepto naufragium fecisset, atque in illo CVIII. fabulas e Menandro versas perdidisset. Detractorem habuit Terentius Lucium sive Luscium Lavinium . . . . Extant sex ejus Comoediae, neque plures veteribus cognitae fuerunt, qui in eis nativam elegantiam puri ac simplicis laudarunt sermonis, ingeniumque suave, et τὸ ἠθικόν, quod e Graecorum, Menandri praecipue, imitatione feliciter consequutus est.* Haec & plura alia de Terentio legesis apud Fabricium in Bibl. Lat. lib. 1. cap. 3.

TERENTII ANDRIA.

Acta ludis Megalensibus, M. Fulvio, & M. Glabrione Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio, & L. Attilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudii filius, tibiis paribus, dextris & sinistris. Et est tota Graeca. Edita M. Marcello, & C. Sulpitio Consulibus. Anno ab urbe condita DLXXXVII. Ante Christum natum CLXII.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
SIMO, *Senex*.
PAMPHILUS, *Adolescens*, *filius Simonis*.
SOSIA, *Libertus* } *Simonis*.
DAVUS, *Servus* }
CHREMES, *Senex*.
CHARINUS, *Adolescens*.
BYRRHIA, *Servus Charini*.
CRITO, *Hospes ex Andro*.
DROMO, *Lorarius*.
MYSIS, *Ancilla Glycerii*.
LESBIA, *Nutrix*.

PERSONAE MUTAE.

GLYCERIUM, *quae* & PASIBULA, *Chremetis filia*, *Chrysidis soror credita*.
PHILUMENA, *Chremetis filia*.
ARCHILLIS, *Glycerii ancilla*.

ARGUMENTUM.

Pamphilus adolescens Atheniensis uxorem clam patre duxerat peregrinam quandam virginem nomine Glycerium. Simo ejus pater id suspicatus, ut rem totam, & animum filii certius cognosceret, simulat se uxorem illi dare velle Philumenam Chremetis civis honestissimi & amici hominis filiam. Annuit Pamphilus, qui per servum intellexerat simulari nuptias; Simo ut vidit annuentem Pamphilum, serio cogitare coepit de tradenda illi Philumena. Itaque Chremetem adiit, rogatque ut filiam Pamphilo conjugem det. Assentitur Chremes, licet aegre, quia cognoverat Pamphilum in alio occupatum esse conjugio. Graviter id fert Charinus adolescens, qui ejusdem Chremetis filiae nuptias ambit. Pamphilus aestuat, non audet patri resistere, Glycerium deserere non potest: instat Simo, & confecisset nuptias, nisi casus laborantem Pamphilum adjuvisset. Crito quidam ex Andro insula veniens (unde Glycerium Athenas adducta fuerat a Chryside) docet Chremetem (cui notus erat) Glycerium esse Pasibulam alteram ipsius filiam, quae olim periisse credita erat. Hanc igitur Pamphilus summa Chremetis & Simonis voluntate uxorem palam accipit: Philumena vero ducenda datur Charino.

* PROLOGUS.



Poëta cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intellegit:
Nam in Prologis scribundis operam abutitur,
Non

(*) Defendit se ipse Terentius contra Lavinium obtrectatorem.

(1) *Scribendum*. *Scribere* proprie dicitur de poëtis; qui indidem *scriptores* denominantur.

(5) *Nam*. Pro *ideo*, *propterea*. *Prologis*. Recte hinc conficitur, jam ante Andriam plures Prologos, atque adeo plures etiam

Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris Poëtae maledictis reſpondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quaeſo animum advortite.
Menander fecit Andriam, & Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita ſunt diſſimili argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factae, ac ſtylo.
Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atque uſum pro ſuis.
Iſti id vituperant factum, atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt nae intellegendo, ut nihil intellegant.
Qui cum hunc accuſant, Naevium, Plautum, Ennium
Accuſant, quos hic noſter auctores habet:
Quorum aemulari exoptat neglegentiam
Potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc ut quieſcant porro, moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Favete, adeſte aequo animo, & rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis, ecquid ſpei ſit relliquum,
Poſthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae, au exigendae ſint vobis prius.

tiam Fabulas ſcripſiſſe Terentium.

Abutitur. Opera & ſtudio largiter uſus eſt in refutando veteri Poëta.

(6) *Qui*. Valet *ut*.

(7) *Poëtae*. Scil. Lavinii, quem tamen non nominat: cautum quippe erat, ne quis in theatro proſcinderetur.

(9) *Perinthiam*. Menandri Comoediam ita dictam a muliere, quae ex *Perintho* Thraciae urbe venerat Athenas. Uti mulier (quae apud Noſtrum eſt *Chryſis*) ex *Andro* inſula alteri fabulae nomen *Andriae* dedit.

(13) *Convenere*. Quae apta & commoda fuerunt, in Andriam ſuam Terentius tranſtuliſſe fatetur ex Perinthia Menandri.

(16) *Contaminari*. Miſceri, confundi.

(19) *Auctores*. H. e. ita ſibi praeeuntes, ut eorum veſtigiis tuto inſiſtere queat.

(20) *Quorum* &c. Cum quibus errare negligenter mavult, quam malevolorum ſectari ignobilem curioſitatem.

(24) *Aequo animo*. Nullo partium ſtudio.

(25) *Ecquid* &c. Ecquid porro expectandum ſit vobis utrum *ſpectandae* (i. e. perſpectandae uſque ad finem) *an prius exigendae* (h. e. potius explodendae) ſint vobis Fabulae, quas poſthac Terentius denuo faciet.

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

SIMO, SOSIA.

Simo aperit Sosiae consilium suum de simulatis filii nuptiis; simulque totius fabulae argumentum, quasi aliud agens, exponit.

VOs istaec intro auferte: abite. Sosia
Ades dum: paucis te volo. *So.* Dictum puta.
Nempe ut curentur recte haec. *Si.* Imo aliud. *So.* Quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro.
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide & taciturnitate. *So.* Expecto, quid velis.
Si. Ego postquam te emi a parvulo, ut semper tibi
Apud me justa, & clemens fuerit servitus,
Scis: feci e servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
So. In memoria habeo. *Si.* Haud muto factum. *So.* Gaudeo.

Si

(1) *Vos* &c. Simo jubet omnes servos abire praeter Sosiam, quicum secretum communicaturus est.

Isthaec. Obsonia, olera, pisciculos.

(2) *Dictum puta*. Puta te dixisse. intelligo quid velis, licet nullus dixeris.

(3) *Curentur*. Verbum hoc proprium est culinae.

(4) *Ars*. Coquinaria.

(7) *Fide* &c. *Fide* opus est ad complenda mandata; *taciturnitate* ad celanda.

Quid velis. Subaudi, dicere.

(9) *Justa*. Tolerabilis, non dura.

(10) *E servo*. Cum antea esses servus. Ita Virg: Aen. X. 221. *Nimphasque e navibus esse*.

(12) *Summum pretium*. Nempe libertatem.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, &,
Id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam.
Sed mi hoc moleſtum eſt: nam iſtaec commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris benefici.
Quin tu uno verbo dic, quid eſt, quod me velis.
Si. Ita faciam: hoc primum in hac re praedico tibi.
Quas credis eſſe has, non ſunt verae nuptiae.
So. Cur ſimulas igitur? *Si.* Rem omnem a principio audies;
Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te velim.
Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas: nam antea
Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum aetas, metus, magiſter prohibebant? *So.* Ita eſt.
Si. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat, & tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. *So.* Non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, ut NE QUID nimis.
Si. Sic vita erat: facile omneis perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, iis ſeſe dedere,

Eo-

(15) *Advorſum te*. Pro *tibi*.

(17) *Quaſi* &c. Hinc celebratiſſima illa apud Graecos ſententia. χάριν λαβὼν μέμνησο, δοὺς ἐπιλάθου.

Immemoris. Scil. mei, qui non ſim memor accepti beneficii. Niſi mavis legere cum Guyeto, & Boëclero *Immemori*: ut ſit ſenſus: exprobratio beneficii facta mihi immemori.

(19) *Praedico*. Primo loco dico.

(22) *Eo pacto* &c. Breviter, & commode partitur, quae cognoſcere libertum velit. Quemadmodum autem in partitione propoſuit, ita narrat. I. nati vitam. v. 24. *Nam is* &c. II. ſuum conſilium v. 130. *Et nunc id* &c. III. quid Soſiam velit facere. v. 141. *Nunc tuum* &c.

(24) *Nam*. Eleganter adhibetur in tranſitione.

Exceſſit ex ephebis. Sumtum a Graecis, qui dicunt ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων.

(28) *Quod*. Pro *quae*. Mox enim ſequitur *nihil horum*. Qua Συλλήψει utitur etiam in Prol. Eun. v. 3. quem vide.

(34) *Ne quid nimis*. Sub. agas. Graece Μηδὲν ἄγαν.

(35) *Pati*. Sub. ſolebat.

(36) *Quibus erat cumque*. Τμῆσις.

Re-

Eorum obsequi studiis, advorsus nemini,
Nunquam praeponens se aliis, ita facillime
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.
*So.*Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
OBSEQUIUM amicos, veritas odium parit.
*Si.*Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia, & cognatorum neglegentia
Coacta, egregia forma, atque aetate integra.
*So.*Hei vereor, ne quid Andria adportet mali.
„ *Si.*Haec primum misere vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans:
„ Sed postquam alienigenam visendi gratia
„ Unus, & item alter adiit adolescentulus,
„ Opemque ultro tulit; ita ut Atheniensium
„ Ingenium proclive est ad misericordiam,
„ Laute ac beate de alieno illa vivere.
„ Qui tum eam conveniebant (quum saepe de suo
„ Irent coenatum) forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc secum, ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus est.
„ Habet. Observabam aliquando illorum servulos
Venienteis, aut abeunteis: rogitabam, heus puer,
„ Quis Chrysidem expetit uxorem sibi? nam Andriae
Illi id erat nomen. *So.* Teneo. *Si.* Phaedrum, aut Cliniam
„ Dicebant, aut Niceratum cupere has nuptias.

Eho

Dedere. Sumtum hoc a victis, qui ita se dedunt hosti, ut ad ejus voluntatem se cogantur componere.

(39) *Invenias.* Adquiras.

(41) *Obsequium* &c. Improbatur a Sapientibus haec sententia. Nam obsequium assentator debet, veritatem amicus; sed in theatro dicitur, non in schola.

(42) *Quaedam.* Ita per contemtum,

(43) *Huc viciniae.* In haec vicina loca Urbis.

(54) *De suo.* Ut modo dixit *de alieno.* Sub. *aere.*

Mecum. Cogitabam, dicebam.

(57) *Captus est.* Tenetur, irretitur. Sumtum a venatione.

(58) *Habet.* Vulneratus est: proprie de gladiatoribus. Haec autem dixisse videtur Chremes, propterea quod vereretur, ne filius Chrysidem conveniendo, illius nuptias ambiret.

(63) *Symbolam.* Pecuniam ad coenam collatitiam.

,, Eho quid illuc Pamphilus? quid? ſymbolam
,, Dedit nonnunquam, coenavit. Gaudebam. Item
,, Alias quaerebam: comperiebam ad Pamphilum
,, Nihil attinere. Enim vero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiae:
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi,
Neque commovetur animus in ea re, ſcias
Tum jam ipſum habere poſſe ſuae vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem, ut daret.
Placuit: deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.
*So.*Quid obſtat, cur non verae fiant? *Si.*Audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta ſunt,
Chryſis vicina haec moritur. *So.*O factum bene!
Beaſti: heu! metui a Chryſide. *Si.*Ibi tum filius
,, Una cum aliis adoleſcentibus aderat frequens:
Curabat una funus: triſtis interim,
Nonnumquam conlacrumabat. Placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: hem, hic parvae conſuetudinis
Cauſſa mortem hujus tam fert familiariter:
,, Quid, ſi eam duxiſſet? quid mihi hic faciet patri?
Haec ego putabam eſſe omnia humani ingeni,
Manſuetique animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoque ejus cauſſa in funus prodeo,
Nihil ſuſpicans etiam mali. *So.*Hem, quid eſt? *Si.*Scies.
Effertur. Imus. Interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam adſpicio adoleſcentulam,
Forma. *So.*Bona fortaſſe. *Si.*Et voltu, Soſia,
,, Adeo modeſto, & ingenuo, ut nihil ſupra.

Quia

(68) *Ingeniis*. Cum hujuſmodi ſodalibus atteritur, ſollicitatur; neque corrumpitur.

(70) *Modum*. Moderationem, regimen.

(76) *Dote*. Decem ſcilicet talentorum; ut habetur infra V. 4. 47.

(77) *Dictus eſt*. Conſtitutus eſt.

(92) *Effertur*. *Efferri* dicuntur cadavera mortuorum.

Imus. Nempe ad exequias.

(95) *Nihil ſupra*. Sub. dici queat.

Quia tum mihi lamentari praeter ceteras
Visa est: & quia erat forma praeter ceteras
Honesta, & liberali; accedo ad pedissequas;
Quae sit, rogo. Sororem esse ajunt Chrysidis.
Percussit illico animum. At at! hoc illud est!
Hinc illae lacrumae! haec illa est misericordia!
*So.*Quam timeo, quorsum evadas! *Si.*Funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus.
In ignem imposita est: fletur. Interea haec soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus,
„ Dissimulatum conjugium, & celatum indicat:
„ Accurrit praeceps, mulierem ab igne submovet.
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
*So.*Quid ais? *So.*Redeo inde iratus, atque aegre ferens.
Nec satis ad objurgandum caussae. Diceret.
Quid feci? quid commerui, aut peccavi pater?
Quae sese voluit in ignem injicere, prohibui,
Servavi. Honesta oratio est. *So.*Recte putas:
Nam si illum objurges, vitae qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?
*Si.*Venit Chremes postridie ad me, clamitans,
Indignum facinus! comperisse Pamphilum
„ Uxorem habere hanc peregrinam. Ego illud sedulo
Negare factum. Ille instat factum. Denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. *So.* Non tu ibi gnatum? *Si.* Ne haec quidem
Satis vehemens caussa ad objurgandum. *So.* Qui, cedo?
„ *Si.*Quum nondum id mihi compertum esset, qui Pamphilum
„ Arguerem, factas si negasset nuptias?
*So.*Quis igitur relictus est objurgandi locus?
„ *Si.*Si propter has uxorem nolit ducere:
Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias

Ve-

(100) *Hoc illud est.* Μίμησις eorum, quae cogitaverat Simo.

(120) *Instat.* Contendit, urget.

(122) *Gnatum?* Ἀποσιώπησις. deest, objurgasti.

(128) *Ab illo* &c. Injuria illius nuptias a me oblatas recusantis vindicanda est.

Vera objurgandi caussa sit, si deneget;
Simul, sceleratus Davus si quid consili
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli:
Quem ego credo manibus, pedibusque obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. *So.* Quapropter? *Si.* Rogas?
MALA mens, malus animus. Quem quidem ego si sensero.
Sed quid opus est verbis? sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nil sit morae: restat Chremes:
Qui mihi exorandus est, & spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias,
Perterrefacias Davum, observes filium
Quid agat, quid cum illo consilii captet. *So.* Sat est!:
Curabo: eamus jam nunc intro. *Si.* I prae, sequar.

(132) *Consumat*. *Consumere consilia* eodem sensu hic dicitur, ac sup. *operam abuti*. Prol. v. 5.

(134) *Incommodet*. Incommodum det, noceat.

(136) *Sensero*. Ἀποσιώπησις est gravissimam poenam minitantis.

SCENA SECUNDA.

SIMO, DAVUS.

Simo interminatur Davo, ne quid ad nuptias disturbandas doli struat.

NOn dubium est, quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.
Da. Mirabar, hoc si sic abiret: & heri semper lenitas,
Verebar, quorsum evaderet.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Nun-

(2) *Timere sensi*. Id quidem, sensit Simo non in theatro, sed vel intus, vel apud forum.

(4) *Abiret*. Impune fieret. *Semper lenitas*. Per ὑφ᾽ ἕν jungi volunt, ut illud Virg. Ecl. I. 7. *Namque erit ille mihi semper-Deus*. Guyetus mavult τὸ *semper* referri ad *verebar*.

Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id aegre tulit.
Si. At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
Da. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,
Speranteis jam, amoto metu; interea oscitanteis opprimi,
Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias:
Astute! *Si.* Carnufex quae loquitur? *Da.* Herus est, neque provideram.
„ *Si.* Dave. Ehodum, ad me. *Da.* Quid hic volt? *Si.* Quid ais? *Da.* Qua re? *Si.* Rogitas? Pamphilum
„ Duxisse rumor est peregrinam. *Da.* Id populus curat, scilicet!
Si. Hoccine agis, an non? *Da.* Ego vero istuc. *Si.* Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet:
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive aequum est, te oro Dave, ut redeat jam in viam.
„ *Da.* Hoc quid sit? *Si.* Graviter plerique sibi dari a patre uxorem ferunt.
Da. Ita ajunt. *Si.* Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
Da. Non hercle intellego. *Si.* Non? hem. *Da.* Non: Davus sum, non Oedipus.

Si.

(8) *Faciet*. Sub. *verbum*. *Facere* autem *verbum* hic, & vers. antec. valet idem, ac *stomachari*. item infra IV. 4. 13.

(9) *Id . . . sic*: Demonstratio est, ut magis gestu, quam sensu intelligatur.

Nec opinantes. Ὑφ' ἕν.

(14) *Id populus*. Haec Davus ad Spectatores conversus salse dicit.

(15) *Hoccine* &c. Formula est, qua utimur in eos, quos ad sermonem nostrum non advertere animum credimus. Ita Eun. I. 3. 28.

(18) *Sive* &c. Vel si aequum est servum orari ab hero.

In viam. Quasi ille devius sit, & erravit a recta via.

(19) *Quid sit*. Sub. nescio, miror.

(22) *Davus* &c. Servus sum simplex, non Oedipus, qui aenigmata solvere possim.

Si. Nempe ergo aperte vis, quae reſtant, me loqui. *Da.* Sane quidem.
Si. Si ſenſero hodie, quidquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus:
Aut velle in ea re oſtendi, quam ſis callidus:
Verberibus caeſum te in piſtrinum, Dave, dedam uſque ad necem,
Ea lege atque omine, ut, ſi te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? *Da.* Immo callide:
Ita aperte ipſam rem modo locutus: nihil circuitione uſus es.
Si. Ubivis facilius paſſus ſim, quam in hac re, me deludier.
Da. Bona verba quaeſo. *Si.* Irrides? nihil me fallis. Sed dico tibi,
Ne temere facias, neque tu haud dicas tibi non praedictum. Cave.

(28) *Lege.* Conditione. loquendi ratio a JCtis petita.
(30) *Circuitione.* Periphraſi, circumlocutione.
(32) *Bona* &c. Meliora loquere. Graece ἐυφήμει, ἐυφήμει.

SCENA TERTIA.

D A V U S

Heri minis territus multa ſecum volutat.

ENim vero, Dave, nihil loci eſt ſegnitiae, neque ſocordiae.
Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis.
Quae ſi non aſtu providentur, me, aut herum peſſumdabunt.
Nec, quid agam, certum eſt, Pamphilum ne adjutem, an auſcultem ſeni.

Si

(1) *Segnitiae.* Ad agendum. *Socordiae.* Ad conſiderandum.
(3) *Providentur.* Caventur, vitantur. *Providere* enim dicitur de bono, & malo.

Si illum relinquo, ejus vitae timeo: sin opitulor, hujus minas:
„ Cui verba dare difficile est. Primum jam de uxore comperit:
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii. aut si libitum fuerit, caussam ceperit,
Qua jure, quaque injuria praecipitem me in pistrinum dabit.
„ Ad haec mala hoc mi accedit etiam: hanc Andriam
„ Audivi filium peperisse Pamphilo:
Audireque eorum est operae pretium audaciam:
„ Uterque puerum decreverunt tollere.
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc: fuit olim quidam senex
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam. Fabulae.
Mihi quidem non hercle fit verisimile.
Atqui ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. At ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

(6) *Verba dare*. Fallere, decipere.

(8) *Caussam*. Praetextum invenerit.

(13) *Tollere*. Educare.

(15) *Fuit olim* &c. Totius summae argumentum.

SCENA QUARTA.

MYSIS

Exiens a Glycerio incidit in Pamphilum.

Audivi, Archillis, jam dudum: Lesbiam adduci jubes.
Sed, quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor, quid fiet.
Opperiar, ut sciam, num quidnam haec turba tristitiae adferat.

SCE-

(1) *Audivi* &c. Haec ait domo egrediens.

(3) *Turba*. Perturbatio.

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, MYSIS.

Pamphilus de uxore ducenda monitus a patre, aegre id habet: seque fidem Glycerio datam servaturum pollicetur Mysidi.

HOccine est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris?
My. Quid illud est? *Pa.* Pro Deûm fidem! quid? si haec non contumelia est?
Uxorem decrerat dare sese mi hodie. Nonne oportuit
Praesciisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
My. Miseram me, quod verbum audio? *Pa.* Quid Chremes? qui denegaverat,
Se commissurum mihi gnatam suam uxorem: mutavit id:
Quoniam me immutatum videt.
Ita ne obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat?
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quemquam, ut ego sum?
Pro Deum, atque hominum, nullon' ego
Chremetis pacto affinitatem effugere potero? quot modis
Contemtus, spretus? facta, transacta omnia. Hem,
Repudiatus repetor. Quamobrem? nisi si id est, quod suspicor:
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. *My.* Oratio haec me miseram exanimavit metu.

Pa.

(2) *Quid? si.* Quid est aliud contumelia, si haec non est contumelia? Emphatice dictum.

(10) *Invenustum.* Infortunatum. *Venus* enim (unde *invenustus*) in talorum jactu felicissima est.

(13) *Transacta.* A foro sumtum, & quidem a contractibus. Ita enim significatur, omnia, quae ad nuptias pertinerent, esse praestita.

(15) *Aliquid* &c. Haec per convicium in Philumenam.

Pa. Nam quid ego dicam de patre? ah!
Tantam ne rem tam neglegenter agere? praeteriens modo
Mihi apud forum, uxor tibi ducenda est Pamphile hodie, inquit: para:
Abi domum. Id mihi visus est dicere, abi cito, & suspende te.
Obstupui. Censen' ullum me verbum potuisse proloqui?
Aut ullam caussam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.
Quod si ego prius id rescissem; quid facerem, si quis nunc me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc primum quid exequar?
Tot me impediunt curae, quae meum animum divorse trahunt;
„ Glycerii misericordia, nuptiarum sollicitatio,
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,
Quae meo cunque animo libitum est, facere: ei ne ego ut advorser? hei mihi!
Incertum est, quid agam. *My.* Misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropu' est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.
Pa. Quis hic loquitur? Mysis salve. *My.* O salve Pamphile. *Pa.* Quid agit? *My.* Rogas?
„ Misera ex hoc sollicita est die,
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae: tum autem hoc timet,
Ne deseras se. *Pa.* Hem, ego ne isthuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quae mihi suum animum, atque omnem vitam credidit;
Bene & pudice eju' doctum, atque eductum, sinam,
Coactum egestate ingenium immutarier?

Non

(20) *Abi cito* &c. Τὸ *cito* retulit ad τὸ *hodie*; τὸ *suspende te* ad τὸ *ducenda est uxor*.

(26) *Sollicitatio*. Proprie est tristitia, quae ab alio infertur.

(33) *Ex*. Pro *de*.

(38) *Eductum*. Educatum.

(39) *Ingenium*. Mores, vitam labefactari inopia.

Non faciam. *My.*Haud vereor, si in te solo sit situm:
Sed vim ut queas ferre. *Pa.*Adeon' me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum?
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?
*My.*Unum hoc scio, meritam esse, ut memor esses sui.
*Pa.*Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Jam ferme moriens me vocat:
Accessi: vos semotae: nos soli: incipit:
„ Mi Pamphile per dextram hanc, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive haec te solum semper fecit maxumum,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
„ Te huic do virum, patronum, tutorem, patrem:
Bona nostra haec tibi committo, & tuae mando fidei.
Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo. *My.*Ita spero quidem.
„ *Pa.* Sed quo tu abis hinc? *My.* Nutricem accerso.
*Pa.*Propera:
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis:
„ *My.*Jam teneo.

(41) *Sed*. Sub. vereor.

(53) *Si*. Confirmantis est, pro *siquidem*, *quoniam*. uti mox *sive*, & *seu*.

(58) *In manum*. In meam potestatem. Nam quae nubebat, dicebatur venire in manum viri.



ACTUS SECUNDI
SCENA PRIMA.

CHARINUS, BYRRHIA, PAMPHILUS.

Charinus audit ex Byrrhia parari nuptias Philumenae cum Pamphilo: qui superveniens significat Charino se ab hujusmodi conjugio vehementer abhorrere.

QUid ais, Byrrhia? Datur illa Pamphilo hodie nuptum? *By.* Sic est. *Ch.* Qui scis, Byrrhia?
By. Apud forum modo de Davo audivi. *Ch.* Vae vae misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit;
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus stupet.
By. Quaeso edepol Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest,
„ Velis id, quod possit: aliam invenias tibi.
Ch. FACILE omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias. *By.* Age age, ut lubet. *Ch.* Sed Pamphilum
„ Video. Omnia experiri certum est. *By.* Quid is agit?
„ *Ch.* Ipsum hunc orabo, huic supplicabo scilicet:
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
„ Interea fiet aliquid, spero. *By.* Id aliquid nihil est. *Ch.* Carnufex,
„ Abin' hinc in malam rem, ne ultra molestus sis mihi.
Pa. Charinum video. Salve. *Ch.* O salve Pamphile:

Ad

(4) *Spe* &c. Est quaedam naturalis spei, & timoris conjunctio. Virg. Aen. 1. 218. *Spemque, metumque inter dubii.*

(7) *Invenias*. Compares tibi aliunde uxorem.

Ad te advenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
*Pa.*Neque pol conſilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed iſtuc quidnam eſt? *Ch.*Hodie uxorem ducis? *Pa.*Ajunt. *Ch.*Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremum me vides. *Pa.* Quid ita? *Ch.*Hei mihi,
Vereor dicere: huic dic quaeſo Byrrhia. *By.*Ego dicam. *Pa.*Quid eſt?
„ *By.*Sponſam hic tuam volt. *Pa.*Nae iſte haud mecum ſentit. *Ch.*Quare Pamphile
„ Te ſupplex ego nunc te per amicitiam, & per amorem obſecro,
Principio, ut ne ducas. *Pa.* Dabo equidem operam. *Ch.*Sed ſi id non potes:
Aut tibi nuptiae hae ſunt cordi. *Pa.*Cordi? *Ch.*Saltem aliquot dies
„ Profer. *Pa.*Charine neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum is nil promereat, poſtulari id gratiae apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
*Ch.*Reddidiſti animum. *Pa.*Nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. *Ch.* Sat habeo. *Pa.* Davum optume
Video. Hujus conſilio fretu' ſum. *Ch.*At tu hercle haud quidquam mihi,
Niſi ea, quae nihil opu' ſunt ſciri. Fugin' hinc? *By.*Ego vero, ac lubens.

(20) *Haud mecum ſentit.* Quoniam uxorem vult ducere eam, quam ego nolo.

(25) *Gratiae* &c. Beneficio verti ſibi illud, quod tale non eſt.

(31) *Ea, quae*. Intelligit ea, quae a Byrrhia invitus audierat principio hujus Scenae.

Vero. Omnis emphaſis eſt in hac affirmandi particula.

SCENA SECUNDA.

DAVUS, CHARINUS, PAMPHILUS.

Docet Davus Pamphilum fictas ac simulatas esse nuptias inter ipsum & Philumenam.

DI boni, boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum,
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
*Ch.*Laetus est, nescio quid. *Pa.*Nihil est. Nondum haec rescivit mala.
*Da.*Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias.
*Ch.*Audin' tu illum? *Da.*Toto me oppido exanimatum quaerere.
Sed ubi quaeram? quo nunc primum intendam? *Ch.*Cessas alloqui?
Da. Abeo. *Pa.* Dave ades, resiste. *Da.* Quis homo est, qui me? o Pamphile,
Te ipsum quaero. Euge o Charine! ambo opportune: vos volo.
*Ch.*Dave, perii. *Da.*Quin tu hoc audi. *Ch.*Interii. *Da.* Quid timeas, scio.
*Pa.*Mea quidem hercle certe in dubio vita est. *Da.* Et quid tu, scio.
*Pa.*Nuptiae mihi. *Da.*Et id scio. *Pa.*Hodie. *Da.*Obtundis, tametsi intellego.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. *Ch.* Rem tenes.
*Pa.*Istuc ipsum. *Da.* Atqui istuc ipsum nil pericli est: me vide.

Pa.

(1) *Boni quid porto*. Quam laetum nuntium porto. Emphatice dictum.

(6) *Intendam*. Sub. Iter.

(7) *Resiste*. Siste gradum; jam enim Davus abierat.

Qui me. Sub. vocat.

(11) *Nuptiae*. Sub. parantur.

(12) *Tu autem*. Haec ad Charinum.

(13) *Me vide*. In me nitere.

Pa. Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſerum metu. *Da.* Hem,
Libero: uxorem tibi jam non dat Chremes. *Pa.* Qui ſcis? *Da.* Scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare
Hodie, item alia multa, quae nunc non eſt narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.
Ubi te non invenio, ibi aſcendo in quemdam excelſum locum.
Circumſpicio. nuſquam. Forte ibi hujus video Byrrhiam.
Rogo: negat vidiſſe: mihi moleſtum: quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipſa re mi incidit ſuſpicio. Hem,
Paululum obſoni, ipſus triſtis, de improviſo nuptiae:
Non cohaerent. *Pa.* Quorſumnam iſtuc? *Da.* Ego me continuo ad Chremem.
Cum illo advenio, ſolitudo ante oſtium: jam id gaudeo.
Pa. Recte dicis, perge. *Da.* Maneo: interea introire neminem
Video exire, neminem, matronam nullam, in aedibus
Nil ornati, nil tumulti. Acceſſi, introſpexi. *Pa.* Scio.
Magnum ſignum. *Da.* Num videntur convenire haec nuptiis?
Pa. Non opinor, Dave. *Da.* Opinor, narras? non recte accipis.
Certa res eſt. Etiam puerum inde abiens conveni Chremi,
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in coenam ſeni.
Ch. Liberatus ſum Dave hodie tua opera. *Da.* At nullus quidem.

Ch.

(19) *Ubi*, *ibi*. H. e. quum, tum.

(20) *Nuſquam*. Sub. video.

(22) *Suſpicio*. De nuptiis ſcilicet, quas ſimulatas eſſe a Simone recte colligit ab antecedentibus.

(23) *Ipſus*. Simo: ita ſervi dominos, magiſtros diſcipuli vocabant: hinc illud Pythagoraeorum αὐτὸς ἔφα.

(31) *Chremi*. Pro *Chremis* vel *Chremetis*; ut Ulyſſi; Achilli &c.

(32) *Obolo*. Minimi emtos. Obolus enim ſexta pars drachmae.

(33) *Nullus*. Pro *non*, *minime*.

*Ch.*Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. *Da.*Ridiculum caput.
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. *Ch.*Bene mones.
Ibo: etsi hercle saepe jam me spes haec frustrata est. Vale.

(36) *Vides*. Provides, curam adhibes.

SCENA TERTIA.

Pamphilus, Davus.

Suadet Pamphilo Davus, ut simulet se uxorem velle ducere, idque patri denuntiet.

QUid igitur sibi volt pater? cur simulat? *Da.*Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsu' sibi esse injurius videatur: neque id injuria:
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illae turbae fient. *Pa.*Quid vis patiar. *Da.*Pater est Pamphile.
Difficile est. Tum haec sola est mulier. Dictum ac factum invenerit

Ali-

(2) *Si id*. Sensus est. Pater videretur sibi ipse iniquus esse in re, si ob id irasceretur tibi, quod Chremes &c.

(3) *Neque* &c. Jure se ipse ita condemnaret, quum nondum perspexerit &c.

(6) *Illae*. Tò *illae* ad terrorem retulit.

Quidvis patiar. Transferat in me culpam; fiant turbae, nihil moror: patris iram subire malim, quam Philumenam uxorem ducere.

(7) *Difficile*. Sub. resistere.

Sola. Sine auxilio.

Dictum ac factum. Proverbium: idemque valet, ac cito, actutum. Graece ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον. Varie id expressit Virg. Aen. I. 146. *Sic ait, & dicto citius* &c.

Aliquam caufsam, quamobrem ejiciat oppido. *Pa.*Ejiciat? *Da.*Cito.
Pa. Cedo igitur, quid faciam Dave? *Da.* Dic te ducturum. *Pa.*Hem! *Da.*Quid eft?
Pa. Ego dicam? *Da.* Cur non? *Pa.* Nunquam faciam. *Da.*Ne nega.
*Pa.*Suadere noli. *Da.*Ex ea re quid fiat, vide.
Pa. Ut ab illa excludar, huc concludar. *Da.* Non ita eft.
Nempe hoc fic effe opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem. Tu, ducam, inquies;
Cedo, quid jurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quae nunc funt certa ei confilia, incerta ut fient,
Sine omni periclo: nam hocce haud dubium eft, quin Chremes
„ Tibi non det gnatam, quem aliam habere comperit.
Patri dic velle: ut, cum velit tibi jure irafci, non queat.
„ Tum fi te aequo animo ferre accipiet, neglegentem feceris.
Aliam otiofus quaeret: interea aliquid acciderit boni.
*Pa.*Itan' credis? *Da.* Haud dubium id quidem eft. *Pa.* Vide, quo inducas. *Da.*Quin taces?
*Pa.*Dicam. Puerum autem ne refcifcat mihi effe ex illa, cautio eft.
*Da.*Curabitur. Sed, pater adeft. Cave, te effe triftem fentiat.

(12) *Ab illa* &c. A Glycerio feparer, & in Philumenae nuptias, velut in parata retia, conjiciar.

(22) *Quin taces?* Cur non fecurus es?

(23) *Cautio eft.* Pro *cavendum eft.*

SCENA QUARTA.

SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

Filio & fervo inter fe colloquentibus, Simo intervenit.

REvifo, quid agant, aut quid captent confilî.
*Da.*Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges;
Ve-

Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te: proin tu face, apud te ut sies.
*Pa.*Modo ut possim Dave. *Da.*Crede hoc mihi, inquam, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

(3) *Solo*. Deserto loco, ubi meditari facilius licet.
(5) *Qui*. Qua oratione consilia disturbet tua, teque in diversum rapiat.
(7) *Commutaturum* &c. Altercaturum. Vid. Phor. IV. 3. 33.

SCENA QUINTA.

BYRRHIA, SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

Pamphilus se ducturum uxorem patri pollicetur; id audiens Byrrhia, illum perfidiae accusat.

HErus me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
Scirem. Id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo praesto video cum Davo. Hoc agam.
*Si.*Utrumque adesse video. *Da.*Hem, serva. *Si.*Pamphile.
*Da.*Quasi de improviso respice ad eum. *Pa.*Ehem pater.
*Da.*Probe. *Si.*Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
*By.*Nunc nostrae parti timeo, quid hic respondeat.
Pa. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. *By.*Hem!
*Da.*Obmutuit. *By.*Quid dixit? *Si.*Facis, ut te decet,
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.

Da.

(1) *Relictis rebus*. Ceteris negotiis posthabitis. Ita Eun. I. 2. 49.
(3) *Id*. Abundat.
Hunc. Simonem.
(4) *Ipsum*. Pamphilum.
Hoc agam. Observabo quid agatur.
(5) *Serva*. Observa ea praecepta, quae dedi.
(7) *Ut dixi*. Respicitur id, quod Pamphilus narraverat sup. I. 5. 19.
(11) *Postulo* &c. Nimis obsequenter locutus est pater; *postulo*, pro *jubeo*; *impetro*, pro *extorqueo*. *Postulo* autem est juste volo. Petimus enim precario,

*Da.*Sum verus? *By.*Herus, quantum audio, uxore excidit.
*Si.*I jam nunc intro, ne in mora, cum opu' sit, sies.
*Pa.*Eo. *By.*Nulla ne in re esse homini cuiquam fidem?
Verum illud verbum est, volgo quod dici solet,
OMNES sibi malle melius esse, quam alteri.
Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

rio, poscimus imperiose, postulamus jure.

Cum gratia. Faciente te id libenter.

(12) *Verus*. Veridicus. Davus tacite gloriatur, se praedicente fieri, quod verbum nullum cum Pamphilo commutet Simo.

Excidit. Decidit spe habendi uxorem Philumenam.

(17) *Det malum*. Ludit servus in re seria. Respicit autem praemia laeti nuntii.

SCENA SEXTA.

DAVUS, SIMO.

Davus confirmat Simoni filium a nuptiis minime abhorrere.

HIc nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitisse gratia.
*Si.*Quid Davus narrat? *Da.*Aeque quidquam nunc quidem.
*Si.*Nihil ne? hem. *Da.*Nihil prorsus. *Si.*Atqui expectabam quidem.
*Da.*Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
*Si.*Potin' es mihi verum dicere? *Da.*Nihil facilius.
*Si.*Num illi molestae quidpiam hae sunt nuptiae?
„ *Da.*Nihil hercle: nam ipse id recta reputavit via.
„ *Si.*At tristis visu'est esse aliquantulum mihi.
*Da.*Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.

Si.

(1) *Hic nunc* &c. Haec Davus ad spectatores, sed ita, ut verba non capiat senex.

(3) *Quidquam*. Sub. narro. Sensus est. aeque aliquid nunc atque antea loquor: nihil modo loquor, quum antea nihil loquerer.

(5) *Praeter* &c. Haec tacite servus. Respicit autem responsum Pamphili v. 9. sc. antec.

(8) *Recta via*. Sapienti consilio.

*Si.*Quidnam est? *Da.*Puerile est. *Si.*Quid est? *Da.*Nihil.
*Si.*Quin dic, quid est?
Da. Ait, nimium parce facere sumtum. *Si.* Me ne?
*Da.*Te.
Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem:
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad coenam meorum aequalium
Potissimum nunc? &, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium. Non laudo. *Si.*Tace.
*Da.*Commovi. *Si.*Ego, istaec recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quidnam hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.

(16) *Hic.* In hac re.

(19) *Quidnam.* Verba Simonis secum cogitantis: commotus enim erat argumento falsarum nuptiarum.

Veterator. In omni re callidus, vetus in astutia.

(20) *Nam si* &c. Si promissa non compleverit Pamphilus.

Illic. Ille, nempe Davus.

Caput. Auctor, caussa.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

MYSIS, SIMO, DAVUS, LESBIA.

Simo, quum ab ancilla forte audivisset Glycerium peperisse, id quasi ab Davo fictum accipit.

ITa pol quidem res est, ut dixti Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
*Si.*Ab Andria est ancilla haec. Quid narras? *Da.*Ita est.
*My.*Sed hic Pamphilus. *Si.*Quid dicit? *My.*Firmavit fidem. *Si.*Hem.

Da.

(1) *Ita pol* &c. Inducitur Mysis respondens Lesbiae, quae videtur una cum illa locuta esse in via de viris infidelibus.

(4) *Fidem.* Quam dedit verbis, re firmavit, jubens tolli i. e. educari filium.

*Da.*Utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.
,, *My.*Nam puerum natum jussit tolli. *Si.*O Jupiter,
Quid ego audio? actum est, siquidem haec vera praedicat.
*Le.*Bonum ingenium narras adolescentis. *My.*Optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. *Le.*Sequor.
*Da.*Quod remedium nunc huic malo inveniam? *Si.*Quid hoc?
Adeon' est demens? ex peregrina? jam scio: ah!
Vix tandem sensi stolidus. *Da.*Quid hic sensisse ait?
*Si.*Haec primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia.
,, Peperisse hanc simulant, quo Chremetem absterreant.
,, Hui, ridiculum; nutricem, postquam ante ostium
,, Me stare vident, introducunt: sat commode.
Divisa sunt temporibus tibi Dave haec. *Da.*Mihin'?
,, *Si.*Memor es discipuli. *Da.*Ego, quid narres, nescio.
*Si.*Hiccine si me imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc hujus periclo fit. Ego in portu navigo.

(7) *Actum est*. In summa rerum desperatione ponitur; idemque valet, ac *perii*.

(11) *Ex peregrina*? Sub. suscepit filium.

Jam scio. Haec laetus pronuntiat Simo, postquam meditabundus paullulum tacuisset, arbitratus omnia simulari, ut eum decipiant.

(13) *Hoc*. Davo.

(16) *Sat commode*. Laudat per ironiam.

(17) *Divisa*. Digesta, & distributa per tempora.

(18) *Discipuli*. Pamphili. Quemadmodum sup. I. 2. 20. Davum *magistrum* dicit.

(19) *Imparatum*. Inopinantem. Legesis ea, quae sup. I. 1. 31. idem Simo de Davo dixit.

(20) *Ludos redderet*. Irrisiones faceret.

(21) *In portu*. In tranquillo, in vado &c. ut alibi Noster.

SCE-

SCENA SECUNDA.

LESBIA, SIMO, DAVUS.

Animadvertens Davus, Simonem verum Glycerii partum pro falso habere, eum magis inducit in errorem.

„ POl, Mysis, scitus puer est natus Pamphilo.
Deos quaeso, ut sit superstes: quandoquidem ipse est ingenio bono,
Cumque huic veritus est optumae adolescenti facere injuriam.
Si. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? *Da.* Quidnam id est?
„ *Si.* Haec postquam egressa est, illis, quae sunt intus, clamat de via:
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim.
Da. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. *Si.* Edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo?
Da. Teneo, quid erret: & quid agam, habeo. *Si.* Quid taces?
Da. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint haec sic fore.

Si.

(2) *Superstes*. Pamphilo scilicet. Usitata formula bene precandi recens natis. Sic Penelope ad Ulyssem de Telemacho puero Ovid. Heroid. I. 101. *Di, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis, Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

(3) *Cumque*. Conjunctio causalis pro *&* *quoniam*.

Facere injuriam. Faceret enim injuriam, si desereret eam, quam olim duxisset uxorem.

(8) *Accurate*. Caute, non ita aperte fefellisse debebas.

(10) *Quid retulit?* Quid profuit interminari?

(12) *Agam*. Respondeam.

(13) *Quid credas?* Cur credas? repetit hic Davus Simonis verbum *Credo*.

Si. Mihin' quisquam? *Da.* Eho, an tute intellexti hoc adsimulari? *Si.* Irrideor.
Da. Renunciatum est: nam qui istaec tibi incidit suspicio?
Si. Qui? quia te noram. *Da.* Quasi tu dicas, factum id consilio meo.
Si. Certe enim scio. *Da.* Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.
Si. Ego ne te? *Da.* Sed, si quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba censes. *Si.* Falso. *Da.* Itaque hercle nihil jam mutire audeo.
Si. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. *Da.* Intellextin'?
Sed nihilo seciu' mox deferent puerum huc ante ostium.
Id ego jam nunc tibi renuncio here futurum, ut sis sciens:
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.
Si. Unde id scis? *Da.* Audivi, & credo. Multa concurrunt simul,
,, Qui conjecturam hanc nunc facio. Jam primum haec se filium
,, Peperisse dixit, inventum hoc est falsum. Nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico
,, Nutricem hanc accersitum ad eam, & puerum ut adferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nil moventur nuptiae.

Si.

(19) *Mutire*. Minimam vocem mittere, unum verbum facere. Mū enim (unde *mutus*, & *mutio*) est sonus canum latrare incipientium, uti γρύ porcorum.

(22) *Id ego* &c. Fingit se prodere, quod ipse mox facturus est [vide infra IV. 4.] ne credat senex ab eo fieri, quod praedixerat fore.

(29) *Adferret*. Puerum aliunde quaesitum adduceret.

(30) *Nil* &c. Nuptiae, quas paras filio, nihil turbabuntur, nisi videas puerum allatum. Haec autem dicta sunt ex opinione Glycerii.

Si. Quid ais! cum intellexeras,
Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
„ *Da.* Quis igitur abstraxit illum a Glycerio nisi ego, Simo?
Postremo id mihi da negoti. Tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: & id spero adjuturos Deos.
Si. Imo abi intro. Ibi me opperire, &, quod parato opus est, para.
Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quae dixit, sint vera omnia.
Sed parvi pendo. Illud mihi multo maxumum est,
Quod mihi pollicitu' est ipsus gnatus. Nunc Chremem
Conveniam: orabo gnato uxorem: id si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitu' est, haud dubium est mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in tempore eccum ipsum obviam Chremem.

(34) *Id negoti*. Scilicet, ut caveatur ab appositione pueri ante ostium.

(38) *Haud scio* &c. H. e. fortasse omnia sunt vera.

SCENA TERTIA.

SIMO, CHREMES.

Simo arbitratus iras esse inter gnatum, & Glycerium (ita enim a Davo acceperat) Chremetem orat, ut filiam Pamphilo uxorem det; idque exorat.

JUbeo Chremetem. *Ch.* Oh, te ipsum quaerebam. *Si.* Et ego te. *Ch.* Optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui ajebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tu ne, an illi insaniant.
Si. Ausculta pauca: & quid ego te velim, & tu quod quaeris, scies.
Ch. Ausculto: loquere, quid velis.
Si. Per ego te deos oro, & nostram amicitiam, Chreme,

Quae

Quae incepta a parvis cum aetate accrevit simul,
Perque unicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cujus tibi potestas summa servandi datur;
Ut me adjuves in hac re, atque ita, uti nuptiae
Fuerant futurae, fiant. *Ch.* Ah, ne me obsecra:
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.
Sed si ex ea re plus mali est, quam commodi
Utrique; id oro te, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
Si. Imo ita volo, itaque postulo ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. *Ch.* Quid est?
Si. Irae sunt inter Glycerium, & gnatum. *Ch.* Audio.
Si. Ita magnae, ut sperem posse avelli. *Ch.* Fabulae.
Si. Profecto sic est. *Ch.* Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae, amoris integratio est.
Si. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Uxorem demus, spero consuetudine, &
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.
Ch. Tibi ita hoc videtur; at ego non posse arbitror
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
Si. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
Ch. At istuc periculum in filia fieri, grave est.
Si. Nempe incommoditas denique huc omnis redit;

Si

(13) *Alium* &c. Si per codices liceret, libentius legerem *cense*, pro *censes*, sine ulla interrogatione. ita ut sensus esset. Arbitrare, me nunc sententiam mutasse, & alium esse ab illo Chremete, qui olim filiam meam Pamphilo uxorem dare volebam.

(16) *Commune*. Sub. utile.

(18) *Imo ita volo*. Quia in rem est, utile est.

(20) *Audio*. Vox respondentis negligenter, aut cum risu.

(24) *Ante eamus*. Maturemus nuptias, dum tempus datur, & sunt inimiciriae inter Pamphilum, & Glycerium.

(26) *Liberali*. Quod inter liberos fit conjugium *liberale* dicitur. Ἐμφατικῶς autem id dixit, Glycerio nondum cognita, & pro peregrina habita.

(27) *Ex illis malis*. E Glycerii conjugio illiberali.

(29) *Hanc*. Philumenam.

Perpeti. Dissidium inter Pamphilum, & gnatam meam.

I

Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide:
Principio amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, & filiae invenies virum.
*Ch.*Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
*Si.*Merito te semper maxumum feci Chreme.
*Ch.*Sed quid ais? *Si.* Quid? *Ch.* Qui scis eos nunc discordare inter se?
Si. Ipsu' mihi Davus, qui intimu' est eorum consiliis, dixit:
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle?
Tute adeo jam ejus audies verba. Heus, evocate huc Davum.
Sed eccum, video ipsum foras exire.

(36) *Firmum?* Gener seu vir firmus opponitur ei, qui divortium facit.

(37) *Quid istuc?* Formula concedentis post aliquam reluctationem. Sic Adelph. I. 2. 53.

(38) *Claudier.* Occlusum esse, quominus eo potiri possis.

SCENA QUARTA.

DAVUS, SIMO, CHREMES.

Audiens Davus a Simone revera fieri Pamphili nuptias, mirum quantum perturbatur.

Ad te ibam. *Si.*Quid nam est?
Da. Cur non arcessitur? jam advesperascit. *Si.*Audin' tu illum?
Ego dudum non nil veritus sum Dave abs te, ne faceres idem,
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod tu amas filium. *Da.*Egon' istuc facerem? *Si.*Credidi.
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. *Da.* Quid? *Si.*Scies:

Nam

(2) *Arcessitur?* Philumena.

Nam propemodum habeo tibi jam fidem. *Da.* Tandem agnosti, qui siem.
Si. Non fuerant nuptiae futurae. *Da.* Quid? non? *Si.* Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. *Da.* Quid ais? *Si.* Sic res est. *Da.* Vide.
Nunquam quivi ego istuc intellegere. Vah consilium callidum!
Si. Hoc audi: ut hinc te jussi introire, opportune hic fit mihi obviam.
Da. Hem, numnam periimus? *Si.* Narro huic, quae tu dudum narrasti mihi.
Da. Quidnam audio? *Si.* Gnatam ut det oro, vixque id exoro. *Da.* Occidi.
Si. Hem, quid dixti? *Da.* Optume inquam factum. *Si.* Nunc per hunc nulla est mora.
Ch. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.
Si. Nunc te oro Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.
Da. Ego vero solus. *Si.* Corrigere mihi gnatum porro enitere.
Da. Faciam hercle sedulo. *Si.* Potes nunc, dum animus irritatus est.
Da. Quiescas. *Si.* Age igitur: ubi nunc est ipsus? *Da.* Mirum, ni domi est.
Si. Ibo ad eum, atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam itidem illi: *Da.* Nullu' sum.
Quid caussae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia:
Herum fefelli: in nuptias conjeci herilem filium.
Feci hodie, ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.
Hem astutia! quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum: ipsum video: occidi:

Uti-

(14) *Optume*. Παρόμοιον. *Occidi*, *optime*. Similitudine soni fallit Simonem.

(17) *Vero*. Affirmandi vim habet, licet tristis haec Davus, damnans suum consilium.

(24) *Hoc*. Simone-

Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, DAVUS.

Ubi audit Pamphilus veras esse suas cum Philumena nuptias, Davum auctorem mali graviter objurgat.

UBi illic scelus est, qui me perdidit? *Da.* Perii. *Pa.* Atque hoc confiteor
Jure obtigisse: quandoquidem tam iners, tam nulli consili
Sum. Servon' fortunas meas me commisisse futili?
Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum nunquam id auferet.
Da. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si evito hoc malum.
Pa. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. *Da.* Nec de me equidem, atque id ago sedulo.
Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. *Pa.* Oh.
Da. Visus sum. *Pa.* Ehodum bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis
Miserum impeditum esse? *Da.* At jam expediam. *Pa.* Expedies? *Da.* Certe Pamphile.
Pa. Nempe ut modo. *Da.* Imo melius spero. *Pa.* Oh', tibi ego ut credam furcifer?
Tu rem impeditam, & perditam restituas? hem, quo fretu' sum?
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
An

(1) *Illic scelus.* Σύλληψις pro *ille scelestus.*
(2) *Nulli.* Antiquum est; pro *nullius.*
(4) *Pretium ob* &c. Poenam stultitiae.
(7) *Fiducia.* Impudentia.
(8) *Quid me* &c. Constructio qualis illa Plauti Capt. II. 3. 16. ubi vide not.
(11) *Impeditum.* Proprie sic dicimus eum, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi nequeat.

An non dixi hoc esse futurum ? *Da.* Dixti . *Pa.* Quid meritus? *Da.*Crucem.
Sed paululum sine ad me ut redeam : jam aliquid dispiciam . *Pa.*Hei mihi,
Cum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, uti volo.
Nanque hocce tempus , praecavere mihi me , haud te ulcisci , sinit.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS.

Conqueritur Charinus de Pamphilo, Pamphilus de Davo, qui se aliquid doli, quo utrumque expediat, structurum pollicetur.

HOccine credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeat alienis, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparet commoda ? ah,
Idne est verum? imo id genus est hominum pessumum
In denegando modo queis pudor est paululum :
Post ubi jam tempus est promissa perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt, & timent,
Et tamen res cogit eos denegare. Ibi
Tum impudentissima eorum oratio est:
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus
Proxumus sum egomet mihi. Attamen ubi fides?

(2) *Vecordia.* Animus malignus.
(8) *Aperiunt.* Ostendunt malitiam, quae latebat tunc cum promittebant.
(11) *Quis tu es?* Formula contemnendi alterum prae se. *Quis mihi es?* Refertur ad necessitudinem.
Cur meam tibi? Sub. sponsam cedam.
(12) *Proxumus.* In eandem sententiam Plautus Trin. V. 2. 30. *Tunica propior pallio est*.

Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est,
Non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc expostulem?
Mala ingeram multa? Atque aliquis dicat, nihil promoveris.
Multum: molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.
*Pa.*Charine, & me, & te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.
*Ch.*Ita ne imprudens? tandem inventa est caussa: solvisti fidem.
Habeas. *Pa.*Habeam? ah nescis quantis in malis verser miser.
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines
Meus carnufex. *Ch.* Quid istuc tam mirum, si de te exemplum capit.
„ *Pa.* Haud istuc dicas, si cognoris me, vel ingenium meum.
*Ch.*Scio: cum patre altercasti dudum, & is nunc propterea tibi
Succenset, nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
*Pa.*Imo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hae nuptiae non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam dare.
*Ch.*Scio: tu coactus tua voluntate es. *Pa.*Mane.
Nondum etiam scis. *Ch.* Scio equidem illam ducturum esse te.
*Pa.*Cur me enicas? hoc audi. Nunquam destitit
Instare, ut dicerem esse ducturum patri:
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
*Ch.*Quis homo istuc? *Pa.* Davos. *Ch.*Davos? *Pa.*Davos omnia.

Ch.

(16) *Ingeram mala.* Convicium faciam cum clamore maximo.

Atque. Positum hic pro *atqui.*

(17) *Morem gessero.* Animo irato parebo, eritque mihi fructus iracundiae ex vindicta.

(20) *Habeas.* Vox invito animo concedentis. Sub. Philumenam.

(22) *Meus carnufex.* In me carnufex, qui me torserit.

(24) *Scio.* Ita solent qui per ironiam respondent. Uti mox v. 29.

(26) *Quo tu* &c. Vide, quanto minus &c.

*Ch.*Quamobrem? *Pa.*Nescio. Nisi mihi Deos satis
Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
*Ch.*Factum hoc est, Dave? *Da.*Factum est. *Ch.*Hem! quid ais scelus?
At tibi Dii dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod, ni hoc, consilium darent?
*Da.*Deceptus sum, at non defatigatus. *Ch.*Scio.
*Da.*Hac non successit, alia aggrediemur via:
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
*Pa.*Imo etiam: nam sati' credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
*Da.*Ego Pamphile hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque, & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Tuum 'st, si quid praeter spem evenit, mi ignoscere.
Parum succedit quod ago, at facio sedulo.
Vel melius tu aliud reperi, me missum face.
*Pa.*Cupio. Restitue in quem me accepisti locum.
*Da.*Faciam. *Pa.*At jam hoc opus est. *Da.*Hem, st, mane: crepuit a Glycerio ostium.
*Pa.*Nihil ad te. *Da.*Quaero. *Pa.*Hem nunccine demum?
*Da.*At jam hoc tibi inventum dabo.

(35) *Nisi*. Pro *sed*; ut passim apud Comicos.

(47) *Servitio*. Servitute.

(51) *Parum succedit*. At fortunae culpa, non mea, qui sedulo facere omnia studeo.

(52) *Vel melius* &c. Pendet hic versus a v. 50. *Tuum* &c. Intermedius enim versus Synchysim facit.

Me missum &c. Noli uti opera mea.

(53) *In quem*. Hellenismus. Latine enim dicendum erat *restitue me in eum locum, in quo accepisti*.

(55) *Nunccine*. An nunc denique invenisti consilium?

Inventum dabo. I.e. Inveniam. Sic infra IV. 2. 1. & IV. 19. *effectum reddam* pro *efficiam*.

SCENA SECUNDA.

MYSIS, PAMPHILUS, CHARINUS, DAVUS.

Pamphilus a Myside arcessitus, Glycerium convenit. Davus fallaciam se invenisse dicit.

JAm, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
Pa. Mysis. *My.* Quid est? hem Pamphile, optume mihi te offers. *Pa.* Quid est?
My. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias:
Videre ait te cupere. *Pa.* Vah, perii: hoc malum integrascit.
Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier?
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mi apparari sensit.
Ch. Quibu' quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset.
Da. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *My.* Atque edepol.
Ea res est, proptereaque nunc misera in moerore est. *Pa.* Mysis.
Per omneis tibi adjuro Deos: nunquam eam me deserturum,
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant,
Qui inter nos dissidium volunt: hanc, nisi mors, mi adimet nemo.

My.

(8) *Quibus*. Mallem cum Daciera τὸ *quibus* referri ad Pamphilum & Glycerium, quam ad nuptias; ut alii contendunt.

(9) *Age, si* &c. Davus Pamphili objurgationem aequo animo tulit, Charini non item; quem propterea comprimit, ne Pamphili animum per se satis incensum magis irritet, *oleum*, ut ajunt, *camino addens*.

*My.*Resipisco. *Pa.* Non Apollinis magi' verum, atque hoc, responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hae fierent nuptiae; volo. Sed si id non poterit;
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? *Ch.*Miser aeque atque ego. *Da.*Consilium quaero. *Ch.*Fortis es.
Scio, quid conere. *Da.*Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
*Pa.*Jam hoc opus est. *Da.*Quin jam habeo. *Ch.*Quid est? *Da.*Huic, non tibi habeo; ne erres.
*Ch.*Sat habeo. *Pa.* Quid facies? cedo. *Da.* Dies hic mî ut sit sati', vereor,
Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas:
Proinde hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis.
*Pa.*Ego hanc visam. *Da.*Quid tu? quo hinc te agis? *Ch.* Verum vis dicam? *Da.*Imo etiam
Narrationis incipit mihi initium. *Ch.*Quid me fiet?
*Da.*Eho impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *Ch.*Dave, attamen. *Da.*Quid ergo?
*Ch.*Ut ducam. *Da.*Ridiculum. *Ch.*Huc face ad me venias, si quid poteris.
Da. Quid veniam? nihil habeo. *Ch.* Attamen si quid? *Da.*Age, veniam. *Ch.*Si quid,
Domi ero. *Da.*Tu Mysis, dum exeo, parumper opperire hic.
My. Quapropter? *Da.* Ita facto est opus. *My.* Matura. *Da.*Jam inquam hic adero.

(18) *In proclivi*. *Proclive* pro *facile* dicebant, ut *arduum* pro *difficile*.

Stetisse: H. e. factum esse.

(24) *Amolimini*: Amovete: abite hinc.

[26] *Narrationis* &c. Nam verba illa *verum vis dicam?* velut prooemium narraturi est.

[28] *Quantum* &c. In quantum tempus differo nuptias Pamphilo. Meminit enim Davus, Charinum nuptiarum dilationem petiisse sup. II. 1.

[29] *Ridiculum*. Hominem.

Si quid poteris. Sub. invenire, vel potius, efficere ut ducam.

SCE-

SCENA TERTIA.

MYSIS

Sortem Glycerii deplorat.

NIl ne esse proprium cuiquam? Dii vostram fidem.
Summum bonum esse herae putabam hunc Pamphilum,
Amicum, patronum, virum, in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. Mi homo, quid istuc obsecro est?
Quo portas puerum?

[1] *Proprium*. Perpetuum. Ita Virg. Aen. VI. 872. *Propria haec si dona fuissent.*

(5) *Facile* &c. Certe *hic* (h.e. in Glycerio) plus mali est, quam boni *illic*, h.e. in Pamphilo.

SCENA QUARTA.

DAVUS, MYSIS.

Davus puerum fasciis involutum ex aedibus Glycerii exportat ante fores Simonis.

MYsis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria, atque astutia.
My. Quidnam incepturus? *Da.* Accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam appone. *My.* Obsecro,
Humi ne? *Da.* Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. *My.* Quamobrem id tute non facis?
Da. Quia, si forte opus ad herum jusjurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. *My.* Intellego.
Nova nunc religio in te istaec incessit: cedo.
Da. Move ocius te, ut, quid agam, porro intellegas.
Pro

(5) *Verbenas*. Sacras frondes herbasque, impositas Apollinis arae, quae erat in ipsa Scena. Vide, quae hic Westerhovius.

[7] *Ad herum*. Coram

[8] *Liquido*. Apert[illegible] dacter possim jurare

[9] *Cedo*. Da mi[illegible]

Pro Jupiter! *My.*Quid? *Da.*Sponsae pater intervenit.
Repudio consilium, quod primum intenderam.
My. Nescio, quid narres. *Da.*Ego quoque hinc ab dextera
Venire me adsimulabo. Tu, ut subservias
Orationi, utcunque opu' sit verbis, vide.
*My.*Ego, quid agas, nihil intellego: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quid vestrum remorer commodum.

(12) *Repudio* &c. Haec secum Davus, ut vix a Myside, quid dicat, audiatur. Videtur autem aliud acturus fuisse, si Chremes non intervenisset.

(14) *Subservias.* Orationi meae tuam accommodes responsionem.

(15) *Vide.* Cauta esto, cura.

(17) *Vides.* Sapis, intelligis.

SCENA QUINTA.

CHREMES, MYSIS, DAVUS.

Chremes cum Simonem conveniret, eum de paratis nuptiis moniturus, offendit puerum ad fores Simonis: audiensque a Myside, puerum hunc esse Pamphili e Glycerio filium, statuit filiam suam Pamphilo non dare.

REvertor, postquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut jubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer hercle est. Mulier, tun' apposuisti hunc? *My.*Ubi
Illic est? *Ch.*Non mihi respondes? *My.* Hem, nusquam est. Vae miserae mihi,
Reliquit me homo, atque abiit. *Da.*Di vostram fidem.
Quid turbae est apud forum! quid illic hominum litigant!
Tum annona cara est. Quid dicam aliud, nescio.
*My.*Cur te obsecro hic me solam? *Da.*Hem, quae haec est fabula?
Eho

(2) [illegible] Mirantis est.

(6) [illegible] Fingit se Davus [illegible]e.

(7) [illegible] Haec tacite, vel ad spectatores conversus.

(8) *Solam.* Sub. reliquisti.

Quae est &c. Quid sibi vult hoc, quod dicis?

Eho Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
*My.*Satin' sanus es, qui me id rogites? *Da.* Quem ego igitur rogem,
Qui hic neminem alium video? *Ch.*Miror, unde sit.
*Da.*Dicturan' quod rogo? *My.*Au. *Da.* Concede ad dexteram.
*My.*Deliras. Non tute ipse? *Da.*Verbum si mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.
*My.*Male dicis? *Da.*Unde est? dic clare. *My.*A vobis. *Da.*Ha ha he.
Mirum vero, impudenter mulier si facit.
*Ch.*Ab Andria est ancilla haec, quantum intellego.
*Da.*Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? *Ch.*Veni in tempore.
Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco.
*My.*Dii te eradicent: Ita me miseram territas.
*Da.*Tibi ego dico, an non? *My.*Quid vis? *Da.*At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic apposuisti, dic mihi.
*My.*Tu nescis? *Da.*Mitte id, quod scio; dic, quod rogo:
*My.*Vestri. *Da.* Cujus vestri? *My.* Pamphili. *Da.* Hem, quid Pamphili?
*My.*Eho, an non est? *Ch.*Recte ego semper fugi has nuptias.
*Da.*Oh facinus animadvertendum! *My.* Quid clamitas?
*Da.*Quem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
My O hominem audacem! *Da.*Verum. Vidi Cantharam
Subfarcinatam. *My.*Diis pol habeo gratias,

Cum

(11) *Neminem*. Callide affirmat non sibi visum Chremem, cum & praeviderit venientem, & praesentem videat.

Miror. Idem ac *nescio*. Nam admiratio ab ignorantia proficiscitur.

(12) *Concede* &c. Haec & quae sequuntur usque ad verba illa *male dicis*, presse inter se loquuntur servus & ancilla, Chremete non audiente.

(13) *Ipse*? Sub. attulisti.

(15) *Male dicis*? Minitaris? *A vobis*. E domo vestra.

(21) *Mane* &c. Tacite hoc dicit.

(24) *Cedo*. Iterum rogat, ut apertius illa loquatur.

(30) *Verum*. Est confirmantis.

(31) *Subfarcinatam*. Suffertam onere, quod sub axillis portabat, & veste tegebat.

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
*Da.*Ne illa illum haud novit, cujus caufsa haec incipit.
Chremes, fi pofitum puerum ante aedes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
*Ch.*Non hercle faciet. *Da.*Nunc adeo, ut tu fis fciens,
Ni puerum tollis, jamjam ego hunc mediam in viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
*My.*Tu pol homo non es fobrius. *Da.*Fallacia
Alia aliam trudit. Jam fufurrari audio,
,, Civem Atticam effe hanc. *Ch.*Hem. *Da.* Aliam Pamphilus nequit
,, Ex lege ducere. *My.*Au, obfecro, an non civis eft?
*Ch.*Jocularium in malum infciens pene incidi.
*Da.*Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis:
Aufculta. *Ch.*Audivi jam omnia. *Da.*An ne tu omnia?
Ch. Audivi inquam a principio. *Da.* Audiftin' obfecro? hem
Scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi:
Hic ille eft: non te credas Davom ludere,
*My.*Me miferam: nihil pol falfi dixi, mi fenex.
Ch. Novi rem omnem. Sed eft Simo intus? *Da.* Intus eft.
*My.*Ne me attingas, fcelefte. Si pol Glycerio non omnia haec.
*Da.*Eho inepta, nefcis quid fit actum. *My.* Qui fciam?
*Da.*Hic focer eft. Alio pacto haud poterat fieri,
Ut fciret haec, quae volumus. *My.*Hem, praediceres,
*Da.*Paulum intereffe cenfes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de induftria.

(32) *Liberae*. Mulieres. Teftimonium liberarum adhibet contra fervum negantem.

(33) *Illa illum*. Glycerium Chremetem.

Haec incipit. Hoc facit. Scil. puerum exponi juffit.

(34) *Chremes* &c. Ita per μίμησιν cogitata Glycerii narrat Davus. Item infra v. 41.

(40) *Trudit*. Sequitur deinceps.

(51) *Ne me attingas*. Haec Myfis Davo minitanti, & quafi illam caedere parato, dum Chremes abiret.

Omnia haec, Sub. narratura fum.

SCENA SEXTA.

CRITO, MYSIS, DAVUS.

Crito sobrinus Chrysidis Andro veniens Athenas,
ut illius demortuae bonis potiretur, deduci
se ad Glycerium postulat.

IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem;
„ Ejus morte sua ad me lege redeunt bona.
Sed quos perconter, video. Salvete. *My.*Obsecro,
Quem video? est ne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. *Cr.*O Mysis, salve. *My.*Salvos sis Crito.
*Cr.*Itan' Chrysis? hem. *My.*Nos quidem pol miseras perdidit.
Cr. Quid vos? quo pacto hic? sati' ne recte? *My.* Nos ne? sic.
Ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet.
*Cr.*Quid Glycerium? jam hic suos parentes repperit?
*My.*Utinam. *Cr.*An nondum etiam? haud auspicato huc me attuli.
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.
Semper enim dicta est ejus haec, atque habita est soror:
Quae illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
Jam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta est illinc. Clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum. Tum ipsam despoliare non libet.
*My.*O optume hospes pol Crito antiquum obtines.
*Cr.*Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *My.* Maxume.
*Da.*Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

[6] *Itan'Chrysis?* Sub. periit. Gemitu significat, quod tacuit.
[7] *Recte.* Sub. agitis. *Sic.* Idem est, ac mediocriter.
[20] *Antiquum.* Sub. morem, ingenium.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

Chremes, Simo.

Chremes Simoni renuntiat se filiam suam Pamphilo non daturum.

SAti' jam, sati' Simo spectata erga te amicitia est mea:
Sati' periculi coepi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiae.
Si. Immo enim, nunc quammaxume abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.
Ch. Vide, quam iniquus sis prae studio. Dum efficias id quod cupis;
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Si. Quibus? *Ch.* Ah rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
„ In alio occupato conjugio, invitus Philumenam
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias;
„ Eju' labore, atque eju' dolore gnato ut consulerem tuo.
Impetrasti, incepi, dum res tetulit: nunc non fert: feras.

Illam

[3] *Illusi*. Lusi in vitam Philumenae, atque adeo ludendo pene perdidi.

[5] *Initum*. Coeptum verbis, re efficias.

[7] *Modum*. Modus vocatur quidquid inter nimium, & parum est. Sensus autem est. Non cogitas quantum de benignitate mea praesumendum sit tibi, aut quam sit impossibile, quod petis.

[11] *Seditionem*. Discessionem quam ipse Simo praemetuebat sup. III. 3. 37. Nisi forte per *seditionem*, rixas, & jurgia intelligat.

a

Illam hinc civem esse ajunt: puer est natus: nos missos face.
Si. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile est, illum esse quam deterrimum,
Nuptiarum gratia haec sunt ficta, atque incepta omnia,
Ubi ea caussa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, desinent.
Ch. Erras. Cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam.
Si. Scio. *Ch.* At
Vero voltu; cum ibi me adesse, neuter dum persenserat.
Si. Credo; & id facturas, Davus dudum praedixit mihi;
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

[15] *Illis*. Servis, ancillis.
[21] *Praedixit mihi*. Factum id sup. III. 5. 2.
[22] *Nescio* &c. Formula est, qua uti licet, quoties, quod dicendum est, memoria excidit. *Quid*. Pro *quomodo*.

SCENA SECUNDA.

DAVUS, CHREMES, SIMO, DROMO.

Cum Davus triumphans gaudio diceret se a Critone rescivisse Glycerium esse civem Atticam, jubente Simone in vincula rapitur.

ANimo jam nunc otioso esse impero. *Ch.* Hem Davom tibi.
Si. Unde egreditur? *Da.* Meo praesidio, atque hospitis.
Si. Quid illud mali est?
Da. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. *Si.* Scelus,
Quemnam hic laudat? *Da.* Omnis res est jam in vado.
Si. Cesso alloqui?
Da. Herus est: quid agam? *Si.* O salve bone vir. *Da.* Ehem Simo! o noster Chremes!

Omnia

[1] *Animo* &c. Haec Pamphilo Davus ab aedibus Glycerii egrediens.
[2] *Hospitis*. Critonis.
(4) *Est in vado*. Proverbium indicans summam rei securitatem.
[5] *Bone vir*. Εἰρωνεία major est, quam increpatio.

Omnia apparata jam sunt intus. *Si.*Curasti probe.
*Da.*Ubi voles, arcesse. *Si.*Bene sane. Id enim vero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? *Da.* Mihin'? *Si.*Ita.
*Da.*Mihi ne? *Si.*Tibi ergo. *Da.*Modo introii. *Si.*Quasi ego, quam dudum id rogem.
Da. Cum tuo gnato una. *Si.* An ne est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias carnufex?
*Da.*Sunt. Quin etiam indignum, Chreme, jam facinus faxo ex me audias.
Nescio qui senex modo venit: ellum, confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur esse quantivis preti:
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
*Si.*Quidnam adportas? *Da.*Nil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
*Si.*Quid ait tandem? *Da.*Glycerium se scire civem esse hanc Atticam.
*Si.*Hem Dromo, Dromo. *Da.*Quid est? *Si.*Dromo.
*Da.*Audi. *Si.*Verbum si addideris. Dromo.
*Da.*Audi obsecro. *Dr.*Quid vis? *Si.* Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
*Dr.*Quem? *Si.*Davom. *Da.*Quamobrem? *Si.*Quia lubet. Rape inquam. *Da.*Quid feci? *Si.*Rape.
*Da.*Si quidquam mentitum invenies, occidito. *Si.*Nihil audio.
Ego jam te commotum reddam. *Da.* Tamen etsi hoc verum est? *Si.*Tu tamen

Cura

[6] *Intus*. Intellige Simonis domum.

[7] *Id enim vero* &c. Nihil hic deest nisi, ut Philumena arcessatur.

[8] *Hoc*. Pro *ad hoc*.

[12] *Chreme*. Bene eum alloquitur, qui est a nuptiis deterrendus.

[13] *Ellum*. Ecce illum; licet non Critonem, sed Glycerii domum, ubi ille erat, ostendit Davus.

[18] *Dromo*. Simo ira commotus Dromonem lorarium iterum, atque iterum clamat.

[19] *Sublimem*. *Sublimem rapere* (Graece *μετεωρίζειν*) non est *suspendere*, ut vulgo interpretes; sed *aliquem medium abreptum sublimem inter brachia ferre*, vel, ut explicat Marcorellius noster, *supra humeros imponere*. Vide illius Thecam Calam. lib. 1. c. 1. opus sane auro contra non carum.

(22) *Ego* &c. Bene haec in Davum, qui sup. v. 1. dixerat: *Animo nunc jam otioso* &c.

SCENA SECUNDA.

MYSIS, PAMPHILUS, CHARINUS, DAVUS.

Pamphilus a Myside arcessitus, Glycerium convenit. Davus fallaciam se invenisse dicit.

JAm, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
Pa. Mysis. *My.* Quid est? hem Pamphile, optume mihi te offers. *Pa.* Quid est?
My. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias:
Videre ait te cupere. *Pa.* Vah, perii: hoc malum integrascit.
Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier?
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mi apparari sensit.
Ch. Quibu' quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset.
Da. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *My.* Atque edepol.
Ea res est, proptereaque nunc misera in moerore est. *Pa.* Mysis.
Per omneis tibi adjuro Deos: nunquam eam me deserturum,
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant,
Qui inter nos dissidium volunt: hanc, nisi mors, mi adimet nemo.

My.

(8) *Quibus*. Mallem cum Daciera τὸ *quibus* referri ad Pamphilum & Glycerium, quam ad nuptias; ut alii contendunt.

(9) *Age, si* &c. Davus Pamphili objurgationem aequo animo tulit, Charini non item; quem propterea comprimit, ne Pamphili animum per se satis incensum magis irritet, *oleum*, ut ajunt, *camino addens*.

*My.*Resipisco. *Pa.* Non Apollinis magi' verum, atque hoc, responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hae fierent nuptiae; volo. Sed si id non poterit;
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? *Ch.*Miser aeque atque ego. *Da.*Consilium quaero. *Ch.*Fortis es.
Scio, quid conere. *Da.*Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
*Pa.*Jam hoc opus est. *Da.*Quin jam habeo. *Ch.*Quid est? *Da.*Huic, non tibi habeo; ne erres.
*Ch.*Sat habeo. *Pa.* Quid facies? cedo. *Da.* Dies hic mi ut sit sati', vereor,
Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas:
Proinde hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis.
*Pa.*Ego hanc visam. *Da.*Quid tu? quo hinc te agis? *Ch.* Verum vis dicam? *Da.*Imo etiam
Narrationis incipit mihi initium. *Ch.*Quid me fiet?
*Da.*Eho impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? *Ch.*Dave, attamen. *Da.*Quid ergo?
*Ch.*Ut ducam. *Da.*Ridiculum. *Ch.*Huc face ad me venias, si quid poteris.
Da. Quid veniam? nihil habeo. *Ch.* Attamen si quid? *Da.*Age, veniam. *Ch.*Si quid,
Domi ero. *Da.*Tu Mysis, dum exeo, parumper opperire hic.
My. Quapropter? *Da.* Ita facto est opus. *My.* Matura. *Da.*Jam inquam hic adero.

(18) *In proclivi.* Proclive pro *facile* dicebant, ut *arduum* pro *difficile*.

Stetisse. H. e. factum esse.

(24) *Amolimini*. Amovete: abite hinc.

[26] *Narrationis* &c. Nam verba illa *verum vis dicam?* velut prooemium narraturi est.

[28] *Quantum* &c. In quantum tempus differo nuptias Pamphilo. Meminit enim Davus, Charinum nuptiarum dilationem petiisse sup. II. 1.

[29] *Ridiculum*. Hominem. *Si quid poteris*. Sub. invenire, vel potius, efficere ut ducam.

SCE-

SCENA TERTIA.

MYSIS

Sortem Glycerii deplorat.

NIl ne esse proprium cuiquam? Dii vostram fidem.
Summum bonum esse herae putabam hunc Pamphilum,
,, Amicum, patronum, virum, in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. Mi homo, quid istuc obsecro est?
Quo portas puerum?

[1] *Proprium*: Perpetuum. Ita Virg. Aen. VI. 872. *Propria haec si dona fuissent*.

(5) *Facile* &c. Certe *hic* (h.e. in Glycerio) plus mali est, quam boni *illic*, h.e. in Pamphilo.

SCENA QUARTA.

DAVUS, MYSIS.

Davus puerum fasciis involutum ex aedibus Glycerii exportat ante fores Simonis.

MYsis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem expromta memoria, atque astutia.
*My.*Quidnam incepturus? *Da.*Accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam appone. *My.*Obsecro,
Humi ne? *Da.*Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. *My.*Quamobrem id tute non facis?
*Da.*Quia, si forte opus ad herum jusjurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. *My.*Intellego.
Nova nunc religio in te istaec incessit: cedo.
*Da.*Move ocius te, ut, quid agam, porro intellegas.
Pro

(5) *Verbenas*: Sacras frondes herbasque, impositas Apollinis atae, quae erat in ipsa Scena. Vide, quae hic Westerhovius.

[7] *Ad herum*. Coram hero.

[8] *Liquido*. Aperte, & audacter possim jurare.

[9] *Cedo*. Da mihi puerum.

Pro Jupiter! *My.*Quid? *Da.*Sponsae pater intervenit.
Repudio consilium, quod primum intenderam.
My. Nescio, quid narres. *Da.*Ego quoque hinc ab dextera
Venire me adsimulabo. Tu, ut subservias
Orationi, utcunque opu' sit verbis, vide.
*My.*Ego, quid agas, nihil intellego: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quid vestrum remorer commodum.

(12) *Repudio* &c. Haec secum Davus, ut vix a Myside, quid dicat, audiatur. Videtur autem aliud acturus fuisse, si Chremes non intervenisset.

(14) *Subservias.* Orationi meae tuam accommodes responsionem.

(15) *Vide.* Cauta esto, cura.

(17) *Vides.* Sapis, intelligis.

SCENA QUINTA.

Chremes, Mysis, Davus.

Chremes cum Simonem conveniret, eum de paratis nuptiis moniturus, offendit puerum ad fores Simonis: audiensque a Myside, puerum hunc esse Pamphili e Glycerio filium, statuit filiam suam Pamphilo non dare.

REvertor, postquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paravi, ut jubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer hercle est. Mulier, tun' apposuisti hunc? *My.* Ubi
Illic est? *Ch.*Non mihi respondes? *My.* Hem, nusquam est. Vae miserae mihi,
Reliquit me homo, atque abiit. *Da.*Di vostram fidem.
Quid turbae est apud forum! quid illic hominum litigant!
Tum annona cara est. Quid dicam aliud, nescio.
*My.*Cur te obsecro hic me solam? *Da.*Hem, quae haec est fabula?

Eho

(2) *Quid hoc?* Mirantis est.

(6) *Quid turbae.* Fingit se Davus de foro venire.

(7) *Quid dicam.* Haec tacite, vel ad spectatores conversus.

(8) *Solam.* Sub. reliquisti.

Quae est &c. Quid sibi vult hoc, quod dicis?

Eho Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
My. Satin' sanus es, qui me id rogites? *Da.* Quem ego igitur rogem,
Qui hic neminem alium video? *Ch.* Miror, unde sit.
Da. Dicturan' quod rogo? *My.* Au. *Da.* Concede ad dexteram.
My. Deliras. Non tute ipse? *Da.* Verbum si mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Male dicis? *Da.* Unde est? dic clare. *My.* A vobis. *Da.* Ha ha he.
Mirum vero, impudenter mulier si facit.
Ch. Ab Andria est ancilla haec, quantum intellego.
Da. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? *Ch.* Veni in tempore.
Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco.
My. Dii te eradicent. Ita me miseram territas.
Da. Tibi ego dico, an non? *My.* Quid vis? *Da.* At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic apposuisti, dic mihi.
My. Tu nescis? *Da.* Mitte id, quod scio: dic, quod rogo:
My. Vestri. *Da.* Cujus vestri? *My.* Pamphili. *Da.* Hem, quid Pamphili?
My. Eho, an non est? *Ch.* Recte ego semper fugi has nuptias.
Da. Oh facinus animadvertendum! *My.* Quid clamitas?
Da. Quem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
My. O hominem audacem! *Da.* Verum. Vidi Cantharam
Subfarcinatam. *My.* Diis pol habeo gratias,

Cum

(11) *Neminem*. Callide affirmat non sibi visum Chremem, cum & praeviderit venientem, & praesentem videat.

Miror. Idem ac *nescio*. Nam admiratio ab ignorantia proficiscitur.

(12) *Concede* &c. Haec & quae sequuntur usque ad verba illa *male dicis*, presse inter se loquuntur servus & ancilla, Chremete non audiente.

(13) *Ipse?* Sub. attulisti.

(15) *Male dicis?* Miniraris? *A vobis*. E domo vestra.

(21) *Mane* &c. Tacite hoc dicit.

(24) *Cedo*. Iterum rogat, ut apertius illa loquatur.

(30) *Verum*. Est confirmantis.

(31) *Subfarcinatam*. Suffertam onere, quod sub axillis portabat, & veste tegebat.

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
Da.Ne illa illum haud novit, cujus caussa haec incipit.
Chremes, si positum puerum ante aedes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
Ch.Non hercle faciet. *Da*.Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Ni puerum tollis, jamjam ego hunc mediam in viam
Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
My.Tu pol homo non es sobrius. *Da*.Fallacia
Alia aliam trudit. Jam susurrari audio,
„ Civem Atticam esse hanc. *Ch*.Hem. *Da*. Aliam Pamphilus nequit
„ Ex lege ducere. *My*.Au, obsecro, an non civis est?
Ch.Jocularium in malum insciens pene incidi.
Da.Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis:
Ausculta. *Ch*.Audivi jam omnia. *Da*.An ne tu omnia?
Ch.Audivi inquam a principio. *Da*. Audistin' obsecro? hem
Scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi:
Hic ille est: non te credas Davom ludere,
My.Me miseram: nihil pol falsi dixi, mi senex.
Ch. Novi rem omnem. Sed est Simo intus? *Da*. Intus est.
My.Ne me attingas, sceleste. Si pol Glycerio non omnia haec.
Da.Eho inepta, nescis quid sit actum. *My*. Qui sciam?
Da.Hic socer est. Alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret haec, quae volumus. *My*.Hem, praediceres,
Da.Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria.

(32) *Liberae*. Mulieres. Testimonium liberarum adhibet contra servum negantem.
(33) *Illa illum*. Glycerium Chremetem.
Haec incipit. Hoc facit. Scil. puerum exponi jussit.
(34) *Chremes* &c. Ita per μίμησιν cogitata Glycerii narrat Davus. Item infra v. 41.
(40) *Trudit*. Sequitur deinceps.
(51) *Ne me attingas*. Haec Mysis Davo minitanti, & quasi illam caedere parato, dum Chremes abiret.
Omnia haec, Sub. narratura sum.

SCENA SEXTA.

Crito, Mysis, Davus.

Crito sobrinus Chrysidis Andro veniens Athenas, ut illius demortuae bonis potiretur, deduci se ad Glycerium postulat.

IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem;
„ Ejus morte sua ad me lege redeunt bona.
Sed quos perconter, video. Salvete. *My.*Obsecro,
Quem video? est ne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. *Cr.*O Mysis, salve. *My.*Salvos sis Crito.
*Cr.*Itan' Chrysis? hem. *My.*Nos quidem pol miseras perdidit.
Cr. Quid vos? quo pacto hic? sati' ne recte? *My.* Nos ne? sic.
Ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet.
*Cr.*Quid Glycerium? jam hic suos parentes repperit?
*My.*Utinam. *Cr.*An nondum etiam? haud auspicato huc me attuli.
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.
Semper enim dicta est ejus haec, atque habita est soror:
Quae illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
Jam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta est illinc. Clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum. Tum ipsam despoliare non libet.
*My.*O optume hospes pol Crito antiquum obtines.
*Cr.*Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *My.* Maxume.
*Da.*Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

[6] *Itan'Chrysis?* Sub. periit. Gemitu significat, quod tacuit.
[7] *Recte.* Sub. agitis.
Sic. Idem est, ac mediocriter.
[20] *Antiquum.* Sub. morem, ingenium.

ACTUS

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

Chremes, Simo.

Chremes Simoni renuntiat se filiam suam Pamphilo non daturum.

Sati' jam, sati' Simo spectata erga te amicitia est mea:
Sati' periculi coepi adire: orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiae.
Si. Immo enim, nunc quammaxume abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.
Ch. Vide, quam iniquus sis prae studio. Dum efficias id quod cupis;
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Si. Quibus? *Ch.* Ah rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
„ In alio occupato conjugio, invitus Philumenam
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias;
„ Eju' labore, atque eju' dolore gnato ut consulerem tuo.
Impetrasti, incepi, dum res tetulit: nunc non fert: feras.

Illam

[3] *Illusi*. Lusi in vitam Philumenae, atque adeo ludendo pene perdidi.

[5] *Initum*. Coeptum verbis, re efficias.

[7] *Modum*. Modus vocatur quidquid inter nimium, & parum est. Sensus autem est. Non cogitas quantum de benignitate mea praesumendum sit tibi, aut quam sit impossibile, quod petis.

[11] *Seditionem*. Discessionem quam ipse Simo praemetuebat sup. III. 3. 37. Nisi forte per *seditionem*, rixas, & jurgia intelligat.

Illam hinc civem esse ajunt: puer est natus: nos missos face.
Si. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile est, illum esse quam deterrimum,
Nuptiarum gratia haec sunt ficta, atque incepta omnia,
Ubi ea caussa, quamobrem haec faciunt, erit ademta his, desinent.
Ch. Erras. Cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. *Si.* Scio. *Ch.* At
Vero voltu; cum ibi me adesse, neuter dum persenserat.
Si. Credo; & id facturas, Davus dudum praedixit mihi;
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

[15] *Illis*. Servis, ancillis.
[21] *Praedixit mihi*. Factum id sup. III. 5. 2.
[22] *Nescio* &c. Formula est, qua uti licet, quoties, quod dicendum est, memoria excidit. *Quid*. Pro *quomodo*.

SCENA SECUNDA.

DAVUS, CHREMES, SIMO, DROMO.

Cum Davus triumphans gaudio diceret se a Critone rescivisse Glycerium esse civem Atticam, jubente Simone in vincula rapitur.

ANimo jam nunc otioso esse impero. *Ch.* Hem Davom tibi.
Si. Unde egreditur? *Da.* Meo praesidio, atque hospitis. *Si.* Quid illud mali est?
Da. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. *Si.* Scelus,
Quemnam hic laudat? *Da.* Omnis res est jam in vado. *Si.* Cesso alloqui?
Da. Herus est: quid agam? *Si.* O salve bone vir. *Da.* Ehem Simo! o noster Chremes!

Omnia

[1] *Animo* &c. Haec Pamphilo Davus ab aedibus Glycerii egrediens.
[2] *Hospitis*. Critonis.
(4) *Est in vado*. Proverbium indicans summam rei securitatem.
[5] *Bone vir*. Εἰρωνεία major est, quam increpatio.

Omnia apparata jam sunt intus. *Si.*Curasti probe.
*Da.*Ubi voles, arcesse. *Si.*Bene sane. Id enim vero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? *Da.* Mihin'? *Si.*Ita.
*Da.*Mihi ne? *Si.*Tibi ergo. *Da.*Modo introii. *Si.*Quasi ego, quam dudum id rogem.
Da. Cum tuo gnato una. *Si.* An ne est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias carnufex?
„ *Da.*Sunt. Quin etiam indignum, Chreme, jam facinus faxo ex me audias.
Nescio qui senex modo venit: ellum, confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur esse quantivis preti:
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
*Si.*Quidnam adportas? *Da.*Nil equidem, nisi quod illum audivi dicere:
*Si.*Quid ait tandem? *Da.*Glycerium se scire civem esse hanc Atticam.
*Si.*Hem Dromo, Dromo. *Da.*Quid est? *Si.*Dromo.
*Da.*Audi. *Si.*Verbum si addideris. Dromo.
*Da.*Audi obsecro. *Dr.*Quid vis? *Si.* Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
*Dr.*Quem? *Si.*Davom. *Da.*Quamobrem? *Si.*Quia lubet. Rape inquam. *Da.*Quid feci? *Si.*Rape.
*Da.*Si quidquam mentitum invenies, occidito. *Si.*Nihil audio:
Ego jam te commotum reddam. *Da.* Tamen etsi hoc verum est? *Si.*Tu tamen

[6] *Intus*. Intellige Simonis domum.

[7] *Id enim vero* &c. Nihil hic deest nisi, ut Philumena arcessatur.

[8] *Hoc*. Pro *ad hoc*.

[12] *Chreme*. Bene cum alloquitur, qui est a nuptiis deterrendus.

[13] *Ellum*. Ecce illum; licet non Critonem, sed Glycerii domum, ubi ille erat, ostendit Davus.

[18] *Dromo*. Simo ira commotus Dromonem lorarium iterum, atque iterum clamat.

[19] *Sublimem*. *Sublimem rapere* (Graece μετεωρίζειν) non est *suspendere*, ut vulgo interpretes; sed *aliquem medium abreptum sublimem inter brachia ferre*, vel, ut explicat Martorellius noster, *supra humeros imponere*. Vide illius Thecam Calam. lib. 1. c. 1. opus sane auro contra non carum.

(22) *Ego* &c. Bene haec in Davum, qui sup. v. 1. dixerat: *Animo nunc jam otioso* &c.

Cura adſervandum vinctum : atque audin' ? quadrupedem conſtringito .
Age , nunc jam ego pol hodie , ſi vivo , tibi
Oſtendam , herum quid ſit pericli fallere , &
Illi patrem . *Ch.*Ah ne ſaevi tantopere . *Si.*Chreme .
Pietatem gnati . Nonne te miſeret mei ?
Tantum laborem capere ob talem filium ?
Age Pamphile ; exi Pamphile : ecquid te pudet ?

[23) *Quadrupedem* . Κυφωνισμὸν vocabant Attici id genus ſupplicii , quo colla ſervorum cippis peſſum incurvabantur , ut quadrupedum praeberent ſpeciem.

(26] *Illi* . Pamphilo oſtendam, quid periculi ſit fallere patrem.

[27] *Pietatem* . Sub. Vides . Εἰρωνεία . pro *impietatem* .

SCENA TERTIA.

Pamphilus, Simo, Chremes.

Pamphilum graviter objurgat pater : Crito hoſpes foras evocatur .

QUis me volt ? perii , pater eſt . *Si.*Quid ais omnium? *Ch.*Ah .
Rem potius ipſam dic , ac mitte male loqui .
*Si.*Quaſi quidquam in hunc jam gravius dici poſſiet .
Ain tandem , civis Glycerium eſt ? *Pa.*Ita praedicant.
*Si.*Ita praedicant ? ingentem confidentiam :
Num cogitat , quid dicat ? num facti piget ?
Num ejus color pudoris ſignum uſquam indicat ?
Adeon' impotenti eſſe animo , ut praeter civium
Morem , atque legem , & ſui voluntatem patris ,
Tamen hanc habere cupiat cum ſummo probro ?

Pa.

[1] *Omnium* . Ἔλλειψις . Sub. peſſime , impudentiſſime ; aut aliquid ſimile .

[2] *Male loqui* . Pro *conviciari* ; eodem modo , quo ſup. IV. 5. 15. *male dicis* pro *minaris* uſurpatum eſt .

[8] *Impotenti* . Is dicitur *impotens* , qui contineri nequit , quin faciat , quaecumque impetus dictat .

[9] *Legem* . Qua civis Athenienſis vetabatur ducere uxorem ſervam , vel peregrinam , qualem Simo credebat eſſe Glycerium .

Pa. Me miserum! *Si.* Modo ne id demum sensti Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectam hujus sollicito amentia? an
Pro hujus ego ut peccatis supplicium sufferam?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa. *Pa.* Mi pater.
Si. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre:
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
Pa. Pater licet ne pauca? *Si.* Quid dices mihi?
Ch. Tamen Simo audi. *Si.* Ego audiam? quid audiam
Chreme? *Ch.* Attamen dicat sine. *Si.* Age dicat, sino.
,, *Pa.* Ego me duxisse hanc fateor. Si id peccatum est, fateor id quoque.
Tibi pater me dedo. Quidvis oneris impone: impera.
,, Vis aliam me ducere? hanc amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *Si.* Adducas? *Pa.* Sine pater.
Ch. Aequum postulat: da veniam. *Pa.* Sine te hoc exorem. *Si.* Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
Ch. Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

[12] *Istuc*. Sub. sensisse oportuit.

[13] *Aliquo*. Quoquo modo efficere, quod cuperes.

[14] *Istuc verbum*. Scil. te esse miserum.

[20] *Invito*. Vide, quae de necessitate consensus paterni in nuptiis filiorum notarunt Lindenbruchius, Pareus, & e nostris Muscettula [in Dissert. de matrim. &c. dub. 1. num.28. & seqq.] cum eruditissimis Mazochii adnotationibus.

[21] *Viceris*. Te penes sit victoria.

SCENA QUARTA.

CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILUS.

Crito probat Glycerium esse civem Atticam, & Chremetis filiam: Davus vinculis solvitur.

MItte orare. Una harum quaevis caussa me, ut faciam, monet:
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? & certe is est. *Cr.* Salvos sis Chreme.
Ch. Quid tu Athenas insolens? *Cr.* Evenit. Sed hiccine est Simo?
Ch. Hic est. *Si.* Me ne quaeris? eho, tu Glycerium hinc civem esse ais?
Cr. Tu negas? *Si.* Ita ne huc paratus advenis? *Cr.* Quare? *Si.* Rogas?
Tu ne impune haec facias? tu ne hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas? *Ch.* Sanun' es?
Pa. Perii: metuo, ut substet hospes. *Ch.* Si Simo hunc noris satis,
Non ita arbitrere. Bonus hic est vir. *Si.* Hic vir sit bonus?
Ita ne adtemperate venit hodie in ipsis nuptiis,

Ut

[1] *Mitte.* Fingitur Pamphilus intus orasse Critonem, ut quae ad Glycerii agnitionem pertinerent, confidenter diceret apud Simonem.

[4] *Insolens.* Propria significatio: pro *insuetus*, *insolitus*.

Evenit. Casu id contigit. pudet enim Critonem fateri propter hereditatem Athenas venisse; ne audiat ea, quae sup. IV. 6. 18. metuit.

[6] *Paratus.* Dolis instructus.

(10) *Substet.* Fortiter resistere possit. veretur enim Pamphilus, ne Crito patris dictis territus obmutescat.

[11] *Hic vir sit bonus?* Egone ut credam, hunc esse virum frugi?

Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendum Chreme?
*Pa.*Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.
*Si.*Sycophanta. *Cr.*Hem! *Ch.*Sic Crito est hic: mitte. *Cr.*Videat, qui siet.
Si mihi pergit, quae volt, dicere, ea, quae non volt, audiet,
Ego istaec moveo, aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?
Nam, ego quae dico, vera, an falsa audieris, jam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est,
Et istaec una parva virgo. Tum ille egens forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. *Si.*Fabulam inceptat. *Ch.*Sine.
*Cr.*Ita ne vero obturbat? *Ch.* Perge. *Cr.* Tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. Ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. *Ch.*Ejus nomen? *Cr.*Nomen tam cito tibi?
Phania. *Ch.*Hem, perii. *Cr.*Verum hercle opinor fuisse Phaniam:
Hoc certo scio, Rhamnusium se ajebat esse. *Ch.*O Jupiter!
*Cr.*Eadem haec, Chreme, multi alii in Andro tum audivere. *Ch.*Utinam id fiet,
Quod spero. Eho dic mihi, quid is eam tum, Crito,
Suam ne ajebat esse? *Cr.* Non. *Ch.* Cujam igitur? *Cr.* Fratris filiam.

Ch.

(14) *Habeo.* Venit in mentem, quod Critonem moneam valde apposite ad nostram rem, puta aliquid de Glycerio.

(15) *Sycophanta*, Fraudulente. Vox apud Atticos in conviciis adhibita; de cujus veriloquio vide Vossii Ethymol. *Hem!* Principium iracundiae.

[18] *Jam sciri* &c. Ex iis argumentis, quae nunc dicturus sum.

[21] *Primum*. Solet quandoque dici in narratione, etiam non sequente *secundum*.

(26) *Rhamnusium*. E Rhamno Atticae pago.

Ch. Certe mea est. *Cr.* Quid ais? *Si.* Quid tu ais? *Pa.* Arrige aures Pamphile.
Si. Quî credis? *Ch.* Phania ille, frater meus fuit. *Si.* Noram, & scio.
Ch. Is hinc bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam hic relinquere est veritus. Postilla nunc primum audio,
Quid illo sit factum. *Pa.* Vix sum apud me: ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
Si. Nae istam multimodis tuam inveniri gaudeo. *Pa.* Credo pater.
Ch. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. *Pa.* Dignus es
Cum tua religione odio. Nodum in scirpo quaeris. *Cr.* Quid istud est?
Ch. Nomen non convenit. *Cr.* Fuit hercle aliud huic parvae. *Ch.* Quod, Crito?
Numquid meministi? *Cr.* Id quaero. *Pa.* Ego ne hujus memoriam patiar meae
Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. Heus Chreme: quod quaeris, Pasibula. *Cr.* Ipsa est. *Ch.* Ea est.
Pa. Ex ipsa millies audivi. *Si.* Omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. *Cr.* Ita me Dii ament, credo. *Pa.* Quid restat pater?
Si. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. *Pa.* O lepidum patrem.

De

[30] *Arrige*. Dicitur quis *arrigere aures* ad inexpectatae rei laetum nuncium; contra *demittere*, ubi subito metu corripitur, vel spe decidit.

[34] *Illo*. De illo, nempe Phania.

[36] *Multimodis*. Multis de caussis gaudeo.

Credo. Sic responderi solet dicenti *gaudeo*.

[37] *Scrupulus*. Dubium, difficultas.

[38] *Nodum* &c. Proverbium. Sensus est: dubitas de iis, quae luce meridiana clariora sunt.

[45] *Jamdudum*. Satis superque casus placavit me tibi.

De uxore ita, ut possedi, nihil mutat Chremes. *Ch.* Caussa optuma est:
Nisi quid pater aliud ait. *Pa.* Nempe. *Si.* Id scilicet. *Ch.* Dos, Pamphile, est
Decem talenta. *Pa.* Accipio. *Ch.* Propero ad filiam. Eho mecum Crito:
Nam illam me haud nosse credo. *Si.* Cur non illam huc transferri jubes?
Pa. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. *Si.* Non potest.
Pa. Quî? *Si.* Quia habet aliud magis ex sese, & majus. *Pa.* Quidnam? *Si.* Vinctus est.
Pa. Pater, non recte vinctus est. *Si.* Haud ita jussi. *Pa.* Jube solvi obsecro.
Si. Age fiat. *Pa.* At matura. *Si.* Eo intro. *Pa.* O faustum, & felicem hunc diem.

[47] *Nempe*. Ita est. Hoc dicens Pamphilus agnoscit imperium patris in se.
Id scilicet. Sub. Volo. h.e. aliud non peto, caussa optima & mihi videtur, placetque conditio.
[48] *Talenta*. De talentis vid. Phorm. IV. 3. 38. in notis.
[51] *Magis ex sese*. Quod ipsum propius tangit, magisque ad eum pertinet.
[52] *Non recte*. Injuste.
Haud ita jussi. Quod Pamphilus de caussa dixit *non recte*, hoc senex iculariter ad rem ipsam retulit; quasi diceret. Davum quadrupedem constringi jussi *recte*, i. e. diligenter.

SCENA QUINTA.

CHARINUS, PAMPHILUS.

Pamphilus sua sorte laetatur.

PRoviso, quid agat Pamphilus: atque eccum. *Pa.* Aliquis forsan me putet
Non hoc putare verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror.
Quod voluptates eorum propriae sunt. Nam mihi immortalitas

 Par-

(4) *Voluptates*. Felicitates sunt perpetuae.

Parta est, si nulla huic aegritudo gaudio intercesserit.
Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui haec narrem, dari?
*Ch.*Quid illuc gaudii est? *Pa.*Davom video. Nemo est, quem mallem, omnium:
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum esse gaudia.

SCENA SEXTA.

DAVUS, PAMPHILUS, CHARINUS.

Pamphilus Davo & Charino gaudium suum exponit.

PAmphilus ubinam hic est? *Pa.* Dave. *Da.*Quis homo 'st? *Pa.*Ego sum. *Da.*O Pamphile.
Pa. Nescis, quid mihi obtigerit. *Da.* Certe: sed, quid mihi obtigerit, scio.
*Pa.*Et quidem ego. *Da.*More hominum evenit, ego ut quod sum nactus mali,
Prius resciseeres tu, quam ego, tibi quod evenit boni.
*Pa.*Mea Glycerium suos parentes repperit. *Da.*O factum bene.
Ch. Hem. *Pa.* Pater amicus summus nobis. *Da.* Quis? *Pa.*Chremes. *Da.*Narras probe.
*Pa.*Nec mora ulla est, quin domum ducam illam. *Ch.* Num ille somniat
Ea, quae vigilans voluit? *Pa.* Tum de puero Dave? *Da.*Ah desine:
Solus est, quem diligunt Dii. *Ch.* Salvus sum, si haec vera sunt.
Conloquar. *Pa.* Quis homo est? Charine, in tempore ipso mi advenis.
*Ch.*Bene factum. *Pa.*Hem, audisti? *Ch.* Omnia. Age, me in tuis secundis respice.
Tuus est nunc Chremes. Facturum, quae voles, scio omnia.

Pa.

[6] *Narras probe*. Formula approbandi.
[8] *De puero*. Sub. quid fiet?
[12] *Tuus est*. Tibi faventissimus.

Pa. Memini: atque adeo longum est, nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. Tu Dave abi domum,
Propere arcesse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? *Da.* Eo.
Ne expectetis, dum exeant huc: intus despondebitur:
Intus transigetur, si quid est, quod restet. Plaudite.

[13] *Exeat*. Chremes enim cum Critone intraverat in aedes Glycerii.

[15] *Hinc*. Glycerium e domo sua transferant ad nostram.

[17] *Quod restet*. De Charini scil. nuptiis cum Philumena.

Plaudite. Verbum sollemne addi solitum in fine Comoediarum.

FINIS ANDRIAE.

TERENTII

EUNUCHUS.

Acta ludis Megalensibus L. Postumio Albino L. Cornelio Merula Aedilib. Curulib. Egere L. Ambivius Turpio L. Attilius Praenestinus tibiis duabus dextris. Graeca Menandru. Acta II. Modos fecit Flaccus Claudii. M. Valerio C. Fannio Coss.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
PARMENO, *Servus Phaedriae.*
CHREMES, *Adolescens, frater* **Pamphilae:**
THAIS, *Phaedriae sponsa.*
DORIAS, PYTHIAS } *Ancillae Thaidis.*
THRASO, *Miles gloriosus.*
GNATHO, *Parasitus.*
SANGA, *Centurio.*
SOPHRONA, *Nutrix Pamphilae.*

PERSONAE MUTAE.

PHAEDRIA, *Adolescens.*
DORUS, *Eunuchus.*
PAMPHILA, *Mancipium, soror* **Chremetis agnita.**
SANNIO, *Servus atriensis.*
SIMALIO, SYRISCUS, DONAX } *ordinum Ductores.*

AR-

ARGUMENTUM.

Pamphilam Chremetis Atheniensis sororem, parvulam rapuere praedones, Rhodioque cuidam mercatori vendidere. Hanc paucis post annis Rhodi venu expositam quidam miles, Thraso nomine, Athenis in Cariam profectus, cum ex itinere divertisset Rhodum, emit. Is autem Athenas reversus, ut Thaidem Phaedriae sponsam sibi conciliaret, puellam ei dono dedit. Aegre id tulit Phaedria, sibique praeferri Thrasonem suspicatus, ancilla & Eunucho (unde fabulae nomen) Thaidem donavit, quo animum mulieris sibi arctius devinciret. Interim Pamphila soror Chremetis esse a Thaide agnoscitur, fratrique restituitur, Milite frustra obnitente.

* *PROLOGUS.*



SI quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, & minime multos laedere;
In his poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior.

Qui

[*] Lavinii fabulas carpit poëta, quaeque ille in hac ipsa Eunucho reprehendisset, scite refellit.

(2) *Quam*. Pro *potius quam*. Ita nonnulli; equidem mallem, *bonis quam plurimis* dici pro *quam plurimis bonis possit*.

Multos. Scil. *malos*; ut τὸ *bonis* habeat ἀντίθετον. Ita Cic. de Rep. VI. *In dissensione civili, quum boni plus, quam multi valent*.

(3) *In his*. Licet antea dixisset *quisquam*. Adi notas in And. I. 1. 28.

(4) *Si quis*. De Lavinio dictum accipe.

(6) *Laesit prior*. Ut in Prol. Phor. *vetus si poëta non lacessisset prior*.

Qui bene vertendo, & eas describendo male ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
Atque in Thesauro scripsit, caussam dicere
Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam illic qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi:
Is ne erret, moneo, & desinat lacessere:
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur;
Quae proferentur post si perget laedere
Ita, ut facere instituit. Nunc quam acturi sumus
Menandi Eunuchum, postquam aediles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adesset, occepta est agi.

Excla-

(7) *Qui bene* &c. H.e. qui fideliter ad verbum transferendo, & prave disponendo fabulas, ex Graecis &c. Noster igitur dupliciter hic arguit Lavinium 1. quod fuerit fidus Menandri interpres verbum verbo reddens, 2. quod ordinem inverterit, praveque actoribus personas attribuerit.

(10) *Atque in* &c. En argumentum τȣ̃ *male describendo*.

Thesauro. *Thesaurus* & *Phasma*. Nomina sunt Comoediarum Menandri, ad quarum exemplum suas latine scripserat Lavinius,

(11) *Prius unde*. H.e. prius illum, a quo petitur, scil. reum.

(12) *Quam* &c. Quam dicat ille qui petit, nim. actor. Sensus est: Lavinius praepostere inducit reum agentem contra petitorem, qui poscebat thesaurum patris sui in monimento conditum, & a reo ablatum.

(15) *Defunctus* &c. Jam egi meas fabulas; defunctus sum labore, & periculo; nihil est, quod Terentius me reprehendat, Haec a Lavinio dici fingit poëta.

(16) *Is ne* &c. Respondet Noster.

(17) *Quae* &c. Κατὰ quae ille a me condonabitur. Ita Phor. V. 8. *Argentum, quod habes, condonabo te*.

(20) *Aediles*. Scil. *Curules*, quibus praeter aedes ludi etiam sollennes curae erant, quos interdum suo sumtu edebant, emtis ab aliquo poëta fabulis. Hanc porro Comoediam [Eunuchum inquam] teste Fabricio in Bibl. Lat., constat veniisse VIII. H. S. [seu, quod idem est, ducentis aureis nostratibus] quanti scilicet nulla cujuspiam antehac valuerit.

(21) *Inspiciundi*. Accuratius examinandi.

(22) *Magistratus*. Iidem Aediles Curules, apud quos Co-

moe-

Exclamat, furem, non poëtam, fabulam
Dediſſe, & nil dediſſe verborum tamen:
Colacem eſſe Naevi, & Plauti veterem fabulam
Paraſiti perſonam inde ablatam, & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt
Poëtae, non qui furtum facere ſtuduerit.
Id ita eſſe, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri eſt: in ea eſt paraſitus Colax,
Et miles glorioſus: eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Graeca: ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet:
Quî magis licet currentes ſervos ſcribere,
„ Bonas matronas facere, ancillas ſubdolas,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.
Quare aequum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere,
Quae veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvortite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

moediae privatim agebantur, antequam publice darentur populo.

(23) *Furem* &c. Quaſi dicas. Fur non poëta; quippe qui dedit fabulam, at in ea ne verbum quidem de ſuo dedit. Ridiculum ſane Lavinianae eloquentiae dictum.

(27) *Imprudentia*. Ignorantia, non malitia peccatum eſt a poëta.

[33] *Eas fabulas*. Colacem Naevii, & Colacem Plauti. Obſervat autem Georg. Fabricius, multas ejuſdem argumenti Graecas fabulas a variis Latinis Scriptoribus eſſe tractatas; Colacem, Aululariam a Naevio & Plauto; Andriam a Caecilio & Terentio; Phormionem a Terentio & Valerio.

(39) *Supponi*. Puerum *ſupponere* dicuntur mulieres, quae foetum alienum pro ſuo alunt.

ACTUS PRIMI
SCENA UNICA.
THAIS, PARMENO.

Thais Parmenoni caussam exponit, cur tantopere cupiat abducere a Thrasone mancipium.

„ AT istaec mittas Parmeno; & huc qua gratia
„ Te arcessi jussi, ausculta: verum dic mihi
„ Hoc primum. Potin' es tu tacere? *Pa.*Egone? optume.
Verum heus tu, lege hac tibi meam adstringo fidem:
Quae vera audivi, taceo, & contineo optume:
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est,
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, tacere si vis, vera dicito.
*Th.*Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
*Pa.*Potest taceri hoc. *Th.*Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *Pa.*Civem ne? *Th.*Arbitror:
Certum non scimus: matris nomen & patris
Dicebat ipsa: patriam, & signa cetera
Neque scibat, neque per aetatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e praedonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, coepit studiose omnia
Docere, educere, ita uti si esset filia.

So-

(1) *Mittas*. Loqui desinas. Parmeno enim Phaedriae servus fortasse questus erat, quod Thais Thrasonem hero suo praeferre videretur; accipiens virginem, quam ei dono missurum Miles pollicitus erat.

(7) *Plenus* &c. Arcani prodigus sum, & aurem rimosam habeo. Sumtum a vase fictili fracto.

(9) *Samia*. Ex *Samo* ins. maris Icarii.

Rhodi. Ins. maris Carpathii.

[12) *Ex Attica hinc*. Athenis enim constituta est Scena.

(17) *Sunio*. Promontorio Atticae.

Sororem plerique esse credebant meam.
,, Ego cum meo, qui post deperiit, conjuge
Abii huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.
,, *Pa.*Hoc falsum est: effluet. *Th.*Qui istuc? *Pa.*Quia non dedit
,, Solus: nam herus quoque magnam partem ad te attulit.
*Th.*Ita est. Sed sine me pervenire, quo volo.
,, Interea nuper mater mea illic mortua est.
,, *Pa.*Neque hoc tacebo; dubium namque id est mihi.
,, *Th.*Hoc age, amabo. Ejus frater ad rem est avidior.
Is ubi hancce forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. Forte fortuna adfuit
,, Hic miles Thraso, qui fuerat hinc ex Attica
,, In Cariam profectus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum ignarusque omnium:
,, Is venit: & velle hanc dixit se mihi dare
,, Meae in spem gratiae. Nunc ego eam Parmeno,
Multae sunt caussae, quamobrem cupio abducere:
Primum, quod soror est dicta: praeterea, ut suis
Restituam, ac reddam. Sola sum: habeo hic neminem,
,, Neque amicum, neque cognatum. Quamobrem Parmeno
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
,, *Pa.*Recte pol dicis; at ne summam Phaedriae
,, Benignitatem in te arbitreris claudier:
,, Jam is, ubi illi dixi cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus.
,, Quaesivit. Eunuchum porro dixti velle te,
,, Quia solae utuntur his reginae: repperit:
,, Heri minas viginti pro ambobus dedit.

Th.

(24) *Partem*. Puta, sponsalitias donationes.

(28) *Hoc age*. Formula, qua monemus aliquem, ut ad ea, quae dicimus, animum advertat.

(31) *Producit*. Venalem exponit.

Forte fortuna. Vid. Phor. V. 6. 1.

(33) *Cariam*. Asiae minoris provinciam.

(35) *Venit*. Rhodo Athenas.

(37) *Abducere*. A Milite.

(44) *Aethiopia*. Aethiopissarum, & Eunuchorum ministerio utebantur matronae nobiliores.

(48) *Minas viginti*. Ducentos scil. aureos nostrates. *Mina* enim 100 drachmis Atticis, seu denariis Rom. valebat.

Th. Ego pol, quae mihi ſum conſcia, hoc certo ſcio,
Neque me finxiſſe falſi quidquam, neque meo
Cordi eſſe quenquam cariorem Phaedria:
„ Illi quam olim dedi, uſque ſervabo fidem.
„ Et quidquid antehac feci, cauſſa virginis
Feci: nam me ejus ſpero fratrem propemodum
Jam repperiſſe, adoleſcentem adeo nobilem: &
Is hodie venturum ad me conſtituit domum.
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

(52) *Fidem*. Intelligit ſponſalia cum illo contracta.

(53) *Feci*. Si quando Militem, verbi cauſſa, domum meam admiſerim, vel ad coenam vocaverim.

ACTUS SECUNDI

SCENA UNICA.

Parmeno, Gnatho.

Gnatho dum a Thraſone virginem ducit ad Thaidem, incidit in Parmenonem, eumque ludos facit.

Sed quis hic eſt, qui huc pergit? at at! hic quidem eſt paraſitus Gnatho
Militis: ducit ſecum una virginem dono huic: papae.
Gn. Dii immortales! homini homo quid praeſtat! ſtulto intellegens!
Quid intereſt! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.

Vi-

(5) *Conveni*. Obviam factus ſum.

[6] *Haud impurum*. Paraſitus laudat hominem ſuorum natalium, & fortunarum.

Itidem. Eodem modo, quo ego ipſe.

Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis annisque obſitum.
Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? quoniam miſer, quod habui, perdidi,
Hem quo redactus ſum: omnes noti me atque amici deſerunt.
Hic ego illum contemſi prae me: quid homo, inquam, ignaviſſime?
Ita ne paraſti te, ut ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?
Simul conſilium cum re amiſti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, veſtitus, quae habitudo eſt corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum eſt, nil deſit tamen.
At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
Poſſum. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quaeſtus apud ſeclum prius.
Hoc novum eſt aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me ut rideant.
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, ajo: poſtremo imperavi egomet mihi,

Omnia

(7) *Sentum*. Aſperum. quaſi *ſentibus* horrentem.

Squalidum. Sordidum, incultum.

Pannis &c. Lacero veſtitu, & enectute perditum;

(10) *Homo*. Dicitur hic per contemtum, ut alias *vir* honoris ergo: quod ſane diſcrimen inter ἄνθρωπον, & ἄνδρα ponunt etiam Graeci.

(15) *Neque ridiculus* &c. Notatur duplex Paraſitorum genus, alterum *Deriſorum*, qui ridiculis dicteriis, *Plagipatidarum* alterum, qui vapulando alienum cibum quaeritabant.

(18) *Hoc novum*. Tertium hoc Paraſitorum genus (*Adulatorum* ſcilicet) novum, & inventum meum.

(19) *Qui* &c. Φίλαυτοι, ſeu φιλόπρωτοι Graece dicuntur.

(23) *Negat* &c. *Ajo* & *nego* eleganter ſibi opponuntur.

Imperavi. *Sibi imperat*, qui ſtatuit facere aliquid, quod, niſi ratione quadam motus, nunquam ſponte facturus eſt.

Omnia assentari. Is quaestus nunc est multo uberrimus.
Pa. Scitum hercle hominem: hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
Gn. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus,
Concurrunt laeti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes,
Quibus, & re salva & perdita profueram, & prosum saepe:
Salutant: ad coenam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miser, famelicu', videt me esse in tantum honorem,
Et tam facile victum quaerere; ibi homo coepit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me. Sectari jussi:
Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis
Vocabula, parasiti itidem ut Gnathonici vocentur.
Pa. Viden' otium, & cibu' quid faciat alienus. *Gn.* Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, & rogitare ad coenam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video.
„ Compellabo hominem. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho. Quid agitur? *Pa.* Statur. *Gn.* Video:

Num-

(28) *Fartores*. Vel qui *farcimina* facerent, vel qui aves *farcirent* i. e. saginarent, *aviarii* etiam vocati.

(29) *Quibus* &c. Synchysis verborum ita restituenda. *Quibus re salva profueram saepe, & perdita prosum*.

(30) *Adventum*. Gratulantur mihi κατὰ adventum. Ita Cic. in Ver. *Et ei voce maxima victoriam gratulatur*.

(32) *Facile*. Emphaticum est τό *facile* h. e. laute. Ita Virg. Georg. II. 460. *Fundit humo facilem victum justissima tellus*.

(33) *Sectari*. Proprium discipulorum pone sequentium Philosophos, qui docentes praeibant. Unde & *sectae* nomen derivatum.

(34) *Disciplinae*. Sectae, discipuli.

(35) *Vocabula*. Ut Pythagorei, Platonici &c.

(39) *Compellabo*. Accedam, colloquar.

(40) *Summum suum*. Haec tota locutio parasiticae elegantiae, & simul εἰρωνίας plena est. Dixit autem *summum* pro *familiarissimum*. uti Adel. III. 2. 49.

Numquidnam hic, quod nolis, vides? *Pa.* Te. *Gn.* Credo. At numquid aliud?

Pa. Qui dum? *Gn.* Quia triſti' es. *Pa.* Nihil equidem. *Gn.* Ne ſis. Sed quid videtur

„ Hoc tibi mancipium? *Pa.* Non malum hercle. *Gn.* Thaidi dono mittitur.

„ *Pa.* Jam ſcio. *Gn.* Quam hoc munus gratum illi arbitrare eſſe. *Pa.* Ut nil ſupra.

Gn. Detineo te fortaſſe: tu profectus alio fueras.

Pa. Nuſquam. *Gn.* Tum tu igitur paululum da mihi operae: fac admittar

Ad illam. *Pa.* Age modo, nunc tibi patent fores hae, quia iſtam ducis.

„ *Gn.* Num quem evocari hinc vis foras? *Pa.* Sine, mancipio hoc potiatur Thais.

Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,

Nae tu iſtas faxo calcibus ſaepe inſultabis fruſtra.

Gn. Etiam nunc hic ſtas Parmeno? eho numnam tu hic relictus cuſtos?

Pa. Facete dictum. mira vero, militi quae placeant.

(43) *Non malum*. Mediocriter laudandi formula.

(44) *Jam ſcio*. Audierat enim omnia a Thaide.

Ut nil ſupra. Εἰρωνικῶς.

(45) *Profectus*. Dicuntur etiam *proficiſci*, qui in urbe e domo in domum eunt. And. III. 4. Phorm. V. 6.

(48) *Num* &c. Quaſi Parmeno intrare non poſſet.

Sine &c. Lente pronunciat, dum Gnatho aedes ingreditur. *Sine* autem eſt hic minitantis verbum, ut apud Plautum Aulul. III. 2. 11.

(49) *Uno digitulo*. Facili negotio.

(51) *Etiam* &c. Haec dicit rurſus egreſſus ex aedibus Thaidis.

(52) *Facete dictum* &c. Ironia. Quaſi diceret. O hominem inficetum, cujus frigida dicta nonniſi inſulſum Militem, cui mira videntur, delectare poſſunt.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

THRASO, GNATHO.

Thraso vocaturus Thaidem ad coenam adest; illi facete assentatur Gnatho.

MAgnas vero agere gratias Thais mihi?
*Gn.*Ingenteis. *Th.*Ain' tu, laeta est? *Gn.*Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id vero serio
,, Ovat, triumphat. *Th.*Est istuc datum, Gnatho,
Profecto mihi, ut sint grata, quae facio, omnia.
*Gn.*Advorti hercle animum. *Th.*Vel Rex semper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram, aliis non item.
*Gn.*Labore alieno magno partam gloriam
Verbis saepe in se transmovet; qui habet salem,
Qui in te est. *Th.*Habes. *Gn.* Rex te ergo in oculis.
*Th.*Scilicet.

Gn.

(1) *Magnas* &c. Citat hunc locum Cicero in de Amic. 26. additque: *Satis erat respondere magnas, ingentes inquit. Semper urget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.*

(4) *Ovat* &c. Militi assentatur verbis militaribus. Idem animadvertendum mox v. 26. in voce *jugularas*, & alibi.

(5) *Grata*. Gratiam concilliantia.

(6) *Rex*. Vel Darius tertius Persarum Rex, qui Menandri aetate vixit: vel Seleucus, qui in Asia regnavit. Nam infra IV.4. fit mentio Pyrrhi.

Maxumas. Sub. gratias.

(8) *Labore* &c. Haec Gnatho ad Spectatores.

(9) *Qui habet*. Ne quid vero in sui contumeliam dici Thraso suspicetur, rursus ad eum conversus addit Gnatho, *qui habet salem* [i. e. sapientiam] *qui* &c. ita ut Miles de laude sua securus, statim dixerit *habes*, i. e. intelligis.

(10) *In oculis . . . Gestare*. Summae benevolentiae expressio.

*Gn.*Gestare. *Th.*Vero. Credere omnem exercitum,
Consilia. *Gn.*Mirum. *Th.*Tum sicubi eum satietas
Hominum, aut negoti si quando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi: nostin'? *Gn.*Scio.
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. *Th.*Te-
nes.
Tum me convivam solum abducebat sibi. *Gn.*Hui,
Regem elegantem narras. *Th.*Imo sic homo
Est perpaucorum hominum. *Gn.*Imo nullorum arbitror;
Si tecum vivit. *Th.*Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego flocci pendere:
Illi invidere misere. Verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis praefecerat,
Is ubi molestus magis est, quaeso, inquam, Strato
Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas?
*Gn.*Pulcre mehercle dictum, & sapienter. Papae,
Jugularas hominem. Quid ille? *Th.*Mutus illico.
„ *Gn.*Quid ni esset? *Th.*At quid illud praeterea, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Numquid tibi dixi? *Gn.*Nunquam: sed narra obsecro.
Plus millies jam audivi. *Th.*Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
„ Is jam bene potus coepit me ultro tangere,
Et irridere. Quid agis, inquam, homo impudens?
LEPUS tute es, & pulpamentum quaeris? *Gn.*Ha, ha, he.
Th.

(11) *Vero*. Certe quidem.

(14) *Quasi: nostin'?* Grate expressit infantiam stulti Militis, qui vult intelligi quod sentit, antequam ipse dicat.

(17) *Elegantem*. Eligere scientem. Cic. ad Fam. VII. 23. *Hominem in omni judicio elegantissimum*.

(18) *Immo* &c. Aversus haec Gnatho: quanquam & impune potuit dicere Thrasoni audienti, qui non homo, sed fungus ei videbatur.

(22) *Elephantis* &c. Quem elephantorum praefectum [Graece ἐλεφαντάγωγον] rex fecerat.

(28) *Tetigerim*. Acri dicto pupugerim.

(29) *Numquid?* An nunquam?

(30) *Plus* &c. Haec ad Spectatores.

(34) *Lepus* &c. Adagium affine huic alteri *dasypus carnes desiderat*: utrumque dicitur in illos, qui requirunt ab aliis ea, quae ipsis affatim sunt domi: Lepus enim, ut auctor est Plinius lib.VIII.c.45. animal est esculentum, & foecundum, omnium praedae nascens. Sensus igitur hic est: tu ridiculus es, & risum ab aliis captas.

*Th.*Quid est? *Gn.*Facete, lepide, laute, nihil supra.
Tuum ne obsecro te hoc dictum erat? vetu' credidi.
*Th.*Audieras? *Gn.*Saepe; & fertur in primis. *Th.*Meum est.
*Gn.*Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.
„ Verum quid ille quaeso? *Th.*Omnino perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri. Denique
Metuebant omnes jam me. *Gn.*Non injuria.

(38) *Dolet*. Scil. mihi. *Libero*. H. e. liberae linguae.

SCENA SECUNDA.

THAIS, THRASO, PARMENO, GNATHO, PYTHIAS.

Thaidi offert Parmeno Phaedriae dona: ea irridet Thraso, adulante Gnathone. Thais cum milite ad coenam proficiscitur.

AUdire vocem visa sum modo militis:
„ Atque eccum. Salve mi Thraso. *Th.* Salve o mea
„ Thais, salve: quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? *Pa.*Quam venuste! Quod dedit
Principium adveniens. *Tha.*Plurimum merito tuo.
*Gn.*Eamus ergo ad coenam: quid stas? *Pa.* Hem alterum.
Ex homine hunc natum dicas. *Tha.*Ubi vis, non moror.
*Pa.*Adibo, atque adsimulabo, quasi nunc exeam.
Ituran' Thais quopiam es? *Tha.*Ehem Parmeno,
Bene pol fecisti: hodie itura. *Pa.* Quo? *Tha.* Ecquid hunc vides?

Pa.

(3) *Amas* &c. Habesne gratiam pro fidicina, quam dono misi?

(4) *Quam venuste!* Gravis εἰρωνεία. Nam in beneficiis debet oblivisci, qui dedit, & meminisse, qui accepit.

(6) *Eamus* &c. Decuit parasito de coena etiam importune admonere.

(7) *Ex homine* &c. Ex Milite natum Gnathonem diceres: ita pares sunt invicem; ille beneficium exprobrat, hic coenam ostendit.

(10) *Bene* &c. Commodum advenisti; mox enim domo exitura sum.

*Pa.*Video, & me taedet. Ubi vis, dona adſunt tibi
A Phaedria. *Th.*Quid ſtamus? cur non imus hinc?
*Pa.*Quaeſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quae volumus, convenire, & conloqui.
*Th.*Perpulchra credo dona, haud noſtris ſimilia.
*Pa.*Res indicabit. Heus jubete iſtos foras
Exire, quos juſſi. Ocius procede tu huc.
Ex Aethiopia eſt uſque haec. *Th.*Hic ſunt tres minae.
*Gn.*Vix. *Pa.*Ubi tu es Dore? accede huc. Hem Eunuchum tibi!
Quam liberali facie, quam aetate integra!
Tha. Ita me Di ament. Honeſtus eſt. *Pa.* Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem Thraſo?
Tacent: ſatis laudant. Fac periclum in litteris,
Fac in palaeſtra, in muſicis. quae liberum
Scire aequom eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.
„ Atque haec qui miſit, nullam poſcit gratiam;
Neque pugnas narrat, neque cicatrices ſuas
„ Oſtentat: neque te obtundit, quod quidam facit.
*Th.*Apparet ſervom hunc eſſe domini pauperis,
Miſerique. *Gn.*Nam hercle nemo poſſet, ſat ſcio,
Qui haberet quî pararet alium, hunc perpeti.
*Pa.*Tace tu: quem ego eſſe infra infimos omnes puto
Homines: nam, qui huic animum aſſentari induxeris,
E flamma petere te cibum poſſe arbitror.

Th.

(18) *Aethiopia*. Ex longinquitate loci dignitas muneris aeſtimatur.

Hic &c. Quaſi dicat *tribus minis valet*. Per contemtum autem tribus minis aeſtimat mancipium, quod una cum Eunucho viginti valuiſſe dixit Parmeno ſup. I. 1. 48.

(23) *Tacent*. Cic. p. Sext. 18. *Tacendo loqui, non inficiando confiteri videbantur*.

Litteris. Servi utique Grammaticam, & alias artes docebantur, ut pluris venderentur. Vid. Hor. II. ep. 2.

(26) *Nullam* &c. Tacita, & injurioſa deſcriptio Militis.

(28) *Quidam*. In contemtum dicitur, ut *neſcio quis*. Ita & Graecorum τὶς, vel δεῖνα.

(29) *Apparet* &c. Triſtiores enim, & nequiores ſunt ſervi pauperum.

(30) *Nam hercle*. Paraſitus aliter exponit dictum Thraſonis, adducens aliam cauſſam ſubtiliorem.

[34] *E flamma*. Ductum proverbium ab iis, qui prae nimia paupertate cibos petebant e coenis mortuorum. Catull. Carm.

 57.

Th. Jam ne imus? *Tha.* Hos prius introducam, & quae volo,
Simul imperabo: post continuo exeo.
Th. Ego hinc abeo: tu istam opperire. *Pa.* Haud convenit
„ Una ire cum Thaide imperatorem in via.
Th. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
Gn. Ha, ha, he. *Th.* Quid rides? *Gn.* Istuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. *Th.* Abi prae, curre, ut sint domi
Parata. *Gn.* Fiat. *Tha.* Diligenter Pythias
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum est,
Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. *Tha.* Quid? quid aliud volui dicere?
Hem, curate istam diligenter virginem.
Domi adsitis, facite. *Th.* Eamus. *Tha.* Vos me sequimini.

57. *Quam in sepulchretis Vidistis ipso rapere de rogo coena.* Hujusmodi hominem Plautus Pseud. I. 3. vocat *bustirapum*, Graece βωμολόχον.

[39] *Quid tibi* &c. Non habuit aliud Miles stultus: & redit ad illa, quae supra dixit inepto hoc joco [*domino similis es*] in quo servus injuriae vice domino comparatur.

[40] *Quid rides?* Non quod nesciat caussam risus, eo interrogat, quid riserit: sed ideo, ut denuo laudetur.

SCENA TERTIA.

CHREMES, PYTHIAS.

Chremes a Thaide arcessitus ejus domum venit, atque inde ad Thrasonem deducitur.

PRofecto quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.

Jam

[1] *Profecto* &c. Ἦθος hominis rustici, avari, suspiciosi, & blanditias aversantis.

[3] *Labefactarier.* Corrumpi, pessumdari.

Jam tum, cum primum juſſit me ad ſe arceſſier;
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem;
Ubi veni, cauſſam, ut ibi manerem, repperit:
Ait rem divinam feciſſe, & rem ſeriam
Velle agere mecum. Jam tum erat ſuſpicio,
Dolo malo haec fieri omnia. Ipſa accumbere
Mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quaerere.
Ubi friget, huc evaſit, quam pridem pater
Mihi & mater mortui eſſent. Dico, jamdiu.
Rus Sunii ecquod habeam, & quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: ſperat ſe a me avellere.
Poſtremo, ecqua inde parva periiſſet ſoror;
Ecquis cum ea una; quid habuiſſet, cum perit;
Ecquis eam poſſet noſcere. Haec cur quaeritet?
Niſi ſi illa forte, quae olim periit parvula
Soror, hanc ſe intendit eſſe, ut eſt audacia.
Verum ea ſi vivet, annos nata eſt ſedecim,
Non major: Thaïs, ego quam ſum, majuſcula eſt.
Miſit porro orare, ut venirem, ſerio.
Aut dicat quid volt, aut moleſta ne ſiet.
Non hercle veniam tertio. Heus heus. *Py.* Hic quis eſt?
Ch. Ego ſum Chremes. *Py.* O capitulum lepidiſſimum.
Ch. Dico ego mi inſidias fieri? *Py.* Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. *Ch.* Rus eo.

Py:

[7] *Rem divinam*. Sacrificabant veteres, antequam aggrederentur aliquid ſerium. Vid. Plau. Aul. III. *6.* 43.

(9) *Dolo* &c. Cic. in Top. *Dolus malus eſt, quum aliud dicitur, aliud ſimulatur.*

Accumbere. Ad convivium ex victima paratum.

(10) *Mihi* &c. Voluntati meae ſe accommodare, ut illud de Pamphilo And. I. 1. *iis ſeſe dedere.*

Sermonem &c. *Quaerere ſermonem* dicuntur ii, qui non ſolum, quod dicant ipſi, quaerunt, verum etiam quomodo alter ipſis reſpondeat: puta cum deficientibus ſermocinandi cauſſis percontari ſolent: *quota ſit hora:* aut aliquid ſimile.

(11) *Ubi friget*. Ubi re, & verbis deſtituta nihil aliud haberet, quod diceret.

(16) *Quid habuiſſet*. Reſpiciuntur annuli, aliave monumenta, unde poſſet cognoſci Chremetis ſoror.

(19) *Ut eſt audacia*. Idem valet, ac *quâ eſt audaciâ*.

(22) *Serio*. Referendum ad τὸ *orare:* ita mox Pythias *maxumo te orabat opere*.

(26) *Dico ego* &c. Haec ad Spectatores.

*Py.*Fac, amabo. *Ch.*Non possum, inquam. *Py.*At apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. *Ch.*Nihil minus. *Py.*Cur, mi Chremes?
*Ch.*Malam rem! Abis hinc? *Py.*Si istuc ita certum est tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. *Ch.*Eo.
*Py.*Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

(29) *Nihil minus*. Sub. faciam.
(31) *Illuc*. Δεικτικῶς pronunciatum a Pythia vicinam Thrasonis domum ostendente.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

DORIAS

Narrat, jurgium in convivio exortum esse inter Thaidem & Thrasonem.

ITa me Dii ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo
Misera, ne quam ille hodie insanu' turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens frater virginis,
Rogat, illum admitti ut jubeat. Ille continuo irasci, neque
Negare audere: Thais porro instare, ut hominem invitet. Id
Faciebat retinendi illius caussa: quia, illa quae cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat:
Invitat tristis, mansit. Ibi illa cum illo sermonem occipit.

Mi-

(1) *Quantum*. Valet, pro eo ac.

,, Miles, ubi ei suboluit, quod illi machinarentur simul,
,, Aegre ferens Chremeti mancipium datum iri a Thaide,
Voluit facere contra huic aegre: heus heus, inquit, puer huc Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. Illa exclamat, minime gentium.
Tun' in convivium illam? miles tendere. Inde ad jurgium.
Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi, ubi primum poterit, sese illinc subducet, scio.

(11) *Facere* &c. Molestia afficere Thaidem, scilicet hujus ingratiis mancipium repetere.
(12) *Delectet*. Saltando, vel cantando.
(13) *In convivium illam?* Sub. adducas. Quod quidem erat praeter morem Graecorum. Vid. Corn. Nep. in praef.
Tendere. Contendere coepit. *Ad jurgium*. Sub. ventum est.
(14) *Aurum*, Annulos, inaures, armillas &c. demit, ut esset ad fugam, vel ad rixam expeditior.

SCENA SECUNDA.

CHREMES, PYTHIAS.

Chremes bene potus & hilarior e milite domum Thaidis revertitur.

AT at, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius:
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
,, *Py.* Chreme. *Ch.* Quis est? ehem Pythia. *Py.* Videris pol multo hilarior.

Ch.

(1) *Data verba*. Fraus facta.
(3) *Satis suum* &c. Bene: non enim omnino non facit, nam hoc insani est; sed non satis facit, quod est ebrii.

,, *Ch.*Verbum hercule hoc est sane verum: LAETITIAE Bacchus dator.
Sed Thais multo ante venit. *Py.*An abiit jam a milite?
*Ch.*Jamdudum, aetatem. Lites factae sunt inter eos maxumae.
Py. Nil dixit tum, ut sequerere sese? *Ch.* Nihil, nisi abiens mihi innuit.
*Py.*Eho, nonne id sat erat? *Ch.* At nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam video: miror, ubi huic ego antevorterim.

(7) *Aetatem*. Diu, & longinquo tempore, ut est *aetas*.
(9) *Eho, nonne*. Adeo simplex hic inducitur adolescens, ut a Pythia reprehendi possit.
Dicere. Velle, significare.
(10) *Correxit* &c. Hoc videtur facetius, & sapientius, quam dici ab ebrio, & rustico debuisset. Hoc fit, quum Poëtae ingenium suum in personas conferunt.

SCENA TERTIA.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

Thais a Thrasone domum suam remeans in Chremetem incidit, quicum parat sustinere impetum militis Pamphilam ereptum venientis.

CRedo equidem illum jam affuturum esse, illam ut eripiat: sine
Veniat: atque si illam digito attigerit uno, oculi illico
Effodientur. Usque eo ego illiu' ferre possum ineptias,
Et magnifica verba, verba dum sint. Verum enim, si ad rem

Con-

(1) *Credo* &c. Hinc apparet, quam concitata ex recenti litigio veniat Thais.
(2) *Digito uno*. Pro *levissime*. Ita Plaut. Perf. V. 2. *Nae, si me uno digito attigeris, te ad terram affligam, scelus*.
(4) *Si ad rem* &c. Si exsequatur, quae minatus est.

Conferentur, vapulabit.
*Ch.*Thais, ego jamdudum hic adsum. *Th.* O mi Chreme, te ipsum expectabam:
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? *Ch.* Ad me? qui? quasi istuc! *Th.* Quia dum tibi sororem studeo
Reddere, & restituere, haec atque hujusmodi sum multa passa.
*Ch.*Ubi ea est? *Th.*Domi apud me. *Ch.*Hem! *Th.*Quid est?
Educta ita, uti teque, illaque dignum est. *Ch.* Quid ais? *Th.*Id quod res est.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretii.
*Ch.*Et habetur, & referetur, Thais, ita uti merita es,
Gratia. *Th.*At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas
Chreme: nam haec ea est, quam miles a me vi nunc venit ereptum.
Abi tu, cistellam, Pythia, domo affer cum monumentis.
*Ch.*Viden' tu illum, Thais? *Py.*Ubi sita est? *Th.*In risco. Odiosa cessas?
*Ch.*Militem secum ad te quantas copias adducere?
At at at. *Th.*Num formidolosus obsecro es, mi homo? *Ch.*Apagesis.
Egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus.
*Th.*Atque ita opu'est. *Ch.*Ah, metuo, qualem tu me esse hominem existumes.
*Th.*Imo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est.

Mi-

(8) *Quasi istuc*. Sub. fecerim.

[10] *Hem!* Extimuit adolescens, quum sororem suam apud mulierem non satis honestam esse audivit.

(16) *Monumentis*. Crepundiis, quae Graeci ἐπίσημα, & γνωρίσματα vocabant.

[17] *Risco*. Cista vestiaria.

[18] *Copias*. Convenit rustico, & timido adolescenti, sex homines *copias* dicere. Sic idem infra v. 27. usurpat vocabulum *turba*.

[22] *Peregrinus*. Cui difficile est in loco alieno lites facere.

Minu' potens quam tu, minu' notus, amicorum hic habens minus.
Ch. Scio istuc: sed tu quod cavere possis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta injuria.
Abi tu, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum:
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. *Th.* Mane.
Ch. Melius est. *Th.* Mane. *Ch.* Omitte, jam adero. *Th.* Nil opus est istis Chreme:
Hoc dic modo, sororem illam tuam esse, & te parvam virginem
Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. *Py.* Adsunt. *Th.* Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? *Ch.* Probe.
Th. Fac, animo haec praesenti dicas. *Ch.* Faciam. *Th.* Attolle pallium.
Perii! huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro.

[24] *Admittere*. Fieri sinere.
(32) *Praesenti*. Intrepido & constanti.

Attolle pallium. Para te ad resistendum. Qui enim expedire se volebat ad iter, vel cursum, aliamve rem agendam, aut deponebant, aut *attollebant* pallium, quod erat, non secus ac toga, ad pedes demissum. V. Plau. Capt. IV. 1. 12.

SCE-

SCENA QUARTA.

THRASO, GNATHO, SANGA, CHREMES, THAIS.

Miles abducturus Pamphilam accedit ad aedes Thaidis, velut ad urbem obsidendam, & ridicule imperatorem agit; tandem, infecta re, abscedit.

HAncine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam Gnatho?
Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum aedeis expugnabo. *Gn.*Recte. *Th.*Virginem eripiam. *Gn.*Probe.
*Th.*Male mulcabo ipsam. *Gn.*Pulchre. *Th.* In medium huc agmen cum vecti Donax,
Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? *Sa.*Eccum adest.
*Th.*Quid ignave? peniculon' pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
*Sa.*Egone? imperatoris virtutem noveram, & vim militum:
Sine sanguine hoc fieri non posse: qui abstergerem volnera.

Th.

[1] *Hancine* &c. Hic rursus demonstratur vanitas inepti Militis ad Thaidem tanquam ad hostilem exercitum pergentis. Omnia autem, ut solet, e militia transfert poëta.

Gnatho? Qui forte dehortator erat certaminis.

[4] *Cum vecti*. *Vectis* est palus ferreus, quo muri, vel aedes perfodiebantur, expugnandi vel furandi gratia.

[6] *Centurio*. Proprie dictus, qui in Rom. exercitu centuriae praeerat.

Manipulus. Erat apud Rom. tertia pars cohortis, constans duabus centuriis. Romana vero pro Graecis in Comoedia palliata usurpantur; more Plauti, quem vide in Aul. I. 2. 29.

[7] *Peniculo*. Veteres *peniculum* appellabant spongiam oblongam, qua rebus abstergendis utebantur.

*Th.*Ubi alii? *Sa.*Qui, malum, alii? solus Sannio servat domi.
*Th.*Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.
*Gn.*Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
*Th.*Idem hocce Pyrrhus factitavit. *Ch.*Viden' tu Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum est de occludendis aedibus.
*Tha.*Sane, qui tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est:
Ne metuas. *Ch.*Quid videtur? *Tha.* Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.
Th. Sed eccam Thaidem ipsam video. *Gn.* Quam mox irruimus? *Th.*Mane.
Omnia prius experiri verbis, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an quae jubeam, sine vi faciat? *Gn.*Dii vostram fidem.
Quanti est sapere! Nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior.
*Th.*Thais agedum Pamphilam huc redde, nisi vi mavis eripi.
*Ch.*Tibi illam reddat? aut tu eam tangas? omnium. *Gn.* Ah, quid agis? tace.
*Ch.*Quid tu tibi vis? *Th.*Ego non tangam meam? *Ch.* Tuam autem? furcifer!
*Gn.*Cave sis: nescis, cui nunc maledicas viro. *Ch.*Non hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quidquam hodie hic turbae coeperis,

Fa-

[11] *Principia.* Locum intellige Triariorum, qui erat ultimus in acie, atque adeo opportunissimus fugae.

[13] *Idem* &c. Comparatio gloriosa, & ridicula.

(23) *Omnium.* Sub. improbissime.

(25) *Nescis* &c. Cic. ad Fam. IX. 25. *Nescis quo cum imperatore tibi negotium est.*

(26) *Scin' tu* &c. Non parasito, sed Militi dicit.

Faciam, hujus loci, diique, meique semper memineris.
Gn. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
Ch. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. *Gn.* Ain' vero, canis?
Siccine agis? *Th.* Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
Ch. Scibis. Principio eam esse dico liberam. *Th.* Hem. *Ch.* Civem Atticam. *Th.* Hui.
Ch. Meam sororem. *Th.* Os durum. *Ch.* Miles, nunc adeo edico tibi
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego ad Sophronam eo
Nutricem, ut eam adducam, & signa ostendam haec. *Th.* Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? *Ch.* Prohibeo inquam. *Gn.* Audin' tu? hic furti se alligat.
Satis hoc est tibi. *Th.* Hoc idem tu ais? *Tha.* Quaere, qui respondeat.
Th. Quid nunc agimus? *Gn.* Quin redeamus: jam haec tibi aderit supplicans
Ultro. *Th.* Credin'? *Gn.* Imo certe: novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Th.* Bene putas.
Gn. Jam dimitto exercitum? *Th.* Ubi vis. *Gn.* Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.
Sa. Jamdudum animus est in patinis. *Gn.* Frugi es. *Th.* Vos me hac sequimini.

Th.

(27) *Faciam* &c. Expressa haec sunt e Plaut. Cap. IV. 2. 20.

(28) *Miseret* &c. Chremetem monendo, assentatur Militi.

(29) *Canis.* Hoc verbo in impudentem uti solent. Sic apud Graecos κυνώπης.

(32) *Durum.* Impudens.

(35) *Hic furti* &c. Chremes dat tibi actionem furti adversus se.

(36) *Satis hoc.* Ad repetendam scilicet virginem, sumendamque injuriae vindictam.

Idem. Idem scil. quod Chremes.

(40) *Dimitto.* Ridicula verborum magnificentia: dimittitur enim exercitus, infecta re.

(41) *Domi focique.* Hi enim milites fortiter pugnant, qui sunt memores domorum. Praeterea bene convenit coquo recordatio *foci*.

(42) *In patinis.* Ita Cic. ad Fam. XV. 18. *Ubi igitur, inquies, Philosophia? tua quidem in culina.*

„ *Th.* Abibo intro. quid hic morabor amplius?
Tu iſtic mane, ut Chremem introducas, Pythia.

SCENA QUINTA.

PYTHIAS, CHREMES, SOPHRONA.

Chremes cum nutrice ad Thaidem ducitur per ancillam.

„ AT eccum adeſt cum Sophrona. *Ch.* Move ocius
Te nutrix. *So.* Moveo. *Ch.* Video, ſed nihil promoves.
Py. Jam ne oſtendiſti ſigna nutrici? *Ch.* Omnia.
Py. Amabo quid ait? cognoſcit ne? *Ch.* Ac memoriter.
Py. Bene edepol narras: nam illi faveo virgini.
„ Eamus intro: nam hera vos expectat domi.
„ Acta eſt jam fabula, ſpectatores plaudite.

(1) *Move*. Nutricis gradum ſegnem increpat Chremes.


(2) *Promoves*. Proficis.

(4) *Memoriter*. Sub. tenet.

FINIS EUNUCHI.

TERENTII HEAUTONTIMORUMENOS.

Acta ludis Megalensibus L. Cornelio Lentulo, & L. Valerio Flacco Aedilibus Curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio, & L. Attilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudii. Graeca est Menandru. Acta primum tibiis imparibus; deinde duabus dextris. Acta III. edita M. Juventio, & M. Sempronio Coss.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
CHREMES, *Senex.*
CLITIPHO, *Adolescens, Chremetis filius.*
SYRUS, *Servus Chremetis.*
MENEDEMUS, *Senex.*
CLINIA, *Adolescens, Menedemi filius.*
DROMO, *Cliniae servus.*
SOSTRATA, *Uxor Chremetis.*
NUTRIX.
ANTIPHILA, *Cliniae uxor.*

PERSONAE MUTAE.

CRITO } *Senes.*
SIMUS }
PHILTERE, *Anus.*
PHILUMENA, *Mancipium.*

ARGUMENTUM.

Clinia Menedemi Atheniensis filius, cum insciente patre uxorem duxisset quamdam cithari∫tiam nomine Antiphilam, patris jurgiis adeo perterritus fuit, ut domo excesserit, atque in Asiam militatum abierit. Filii desiderium aegre ferens Menedemus, tamquam de se illi supplicium daturus, seipse excruciare coepit; unde Graecum fabulae nomen Ἑαυτὸν τιμωρύμενος. *Clinia tribus post mensibus Athenas redit, veritusque patrem, domum Clitiphonis sodalis sui divertitur; apud quem coenat cum uxore, quam servi opera illuc adduci jusserat. Chremes Clitiphonis pater ne tantum insperatum gaudium Menedemum (cui amicus erat) celaret, illum de Cliniae adventu certiorem facit, monetque ut in filium sapienter se gerat, nec largitate nimia, nec parsimonia. Interea dum Syrus fallacias parat, ut aliquid argenti a Menedemo conradat, ad Cliniae sumtus pro uxore faciendos, Antiphila agnoscitur esse Chremetis filia. Hic Chremes filiae nuptias cum Clinia ratas esse jubet, & Antiphila Menedemi domum traducitur. Cum autem ceterarum fabularum argumentum uno die contineri soleat, hujus non nisi biduo explicari potest.*

* PROLOGUS.



E cui sit vostrum mirum, cur parteis seni
Poëta dederit, quae sunt adolescentium:
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Graeca integram Comoediam
Ho-

(*) Prologus concitatus, in quo Poëta, ut solet, & se purgat, & adversarium acriter terret.

(1) *Parteis*. Prologi scil. *Seni*. Mihi. Erat hic, opinor, L. Ambivius Turpio histrio celeberrimus, primas agens in Terentii Comoediis, qui secundum Donatum & Hecyrae prologum recitavit.

(2) *Adolescentium*. Quum enim hi melius viderentur conciliare spectatorum animos, Prologi partes passim agebant.

(3) *Id primum* &c. Mallem cum Guyeto reponere: *Id deinde dicam: primum* &c. ne scil. Terentius ὑστερολογεῖν videatur.

(4) *Ex integra* &c. Ex una inte-

Hodie ſum acturus Heautontimorumenon,
Duplex quae ex argumento facta eſt ſimplici.
Novam eſſe oſtendi, & quae eſſet. Nunc, qui ſcripſerit,
Et cuja Graeca ſit, ni partem maxumam
Exiſtimarem ſcire voſtrum, id dicerem.
Nunc, quam ob rem has parteis didicerim, paucis dabo.
Oratorem voluit eſſe me, non Prologum:
Veſtrum judicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturu' ſum.
Nam quod rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Graecas, dum facit
Paucas Latinas: factum hic eſſe id non negat,
Neque ſe id pigere, & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolu' vetus Poëta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Ami-

integra Menandri Heautontimorumeno totam verſam hanc cognominem fabulam: non partim ex una, partim ex alia: ut nempe factum eſt in Andria & Eunucho, quarum vide Prologos.

(5) *Heautont.*... Cic. Tuſc. III. 27. *Quid ille Terentianus ipſe ſe puniens, i. e.* ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

(6) *Duplex*. Nimirum in Graeca Menandri Heaut. fuit unus ſenex, unus filius, unus ſervus &c. Terentius omnes conduplicavit in hac ſua, quam *novam* propterea dicit.

(7) *Quae eſſet*. Quo nomine vocaretur.

(9) *Dicerem*. Adhuc de Fabulae argumento (propter quod nempe venit) elocutus eſt.

(10) *Nunc*. Ad alterum, quod ſe dicturum principio pollicitus eſt, gradum facit.

(11) *Oratorem*. Cauſſae patronum. Quod officium magis ſeni, quam adoleſcenti convenit.

(13) *A facundia*. Quod attinet ad actionis praeſtantiam.

(14) *Cogitare*. Hoc ad poëtae inventionem referendum.

(16) *Diſtulerunt*. diſſiparunt.

(17) *Contaminaſſe*. Mutilaſſe.

(20) *Bonorum*. Naevii, Plauti, Ennii.

(22) *Poëta*. Lavinius. Vid. And. Prol.

(23) *Hunc*. Terentium.

Muſicum ſtudium. Artem Scenicam, Poëticam.

Amicûm ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vostrum, vostra existimatio
Valebit. Quam ob rem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquûm possit, quam aequûm oratio,
Facite, aequi sitis, date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum? cur insano serviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste aequo animo: date potestatem mihi,
Statariam agere ut liceat per silentium:
Ne semper servos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
„ Avarus mango, assidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea caussa, caussam hanc justam esse, animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi:
Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:

La-

(24) *Amicûm*. Nim. Laelii, & Scipionis. Cic. Att. VII. 3. *Cujus* (Terentii) *fabellae, propter elegantiam sermonis, putabantur a C. Laelio scribi*.

(26) *Valebit*. Praevalebit insanis rumoribus.

(27) *Iniquûm*. Adversariorum. *Aequûm*. Faventium.

(28) *Crescendi*. In laude. Virg. Ecl. VII. 25. *Crescentem ornate poëtam*.

(29) *Novarum* &c. Iis Poëtis, qui faciunt vobis copiam spectandi novarum fabularum, earumque quae vitiis carent.

(30) *Ne ille* &c. Ne vero haec in suam defensionem dicta putet Lavinius.

(32) *Decesse*. Pro *decessisse*. Hic autem Noster reprehendit Lavinium, quippe qui exhibuerit in Comoedia, populum viam dedisse servo (tamquam Consuli Rom. quem lictores anteibant, clamantes: *Date viam*) qua quidem re quid magis inconveniens?

Cur &c. Cur enimvero Terentius inepto isti poëtae faveat, proque eo vos oret?

(36) *Statariam*. Tranquillam Comoediam: cujus nimirum actores (itidem *Statarii* dicti) τὰ ἤθη gravius servabant: neque enim hac illac circumcursabant, sed, more *Statariorum* militum, loco *stare* videbantur.

(41) *Mea caussa*. Gratia mea, qui sum senex.

Caussam hanc. Postulandi a vobis attentionem in Com. Stataria,

(43) *Seni*. Libri quidam habent *mihi*.

Laboriosa si qua est, ad me curritur:
Si lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. Experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meae,
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis:
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

(44) *Laboriosa*. Scil. Comoedia *Motoria*: quae *Statariae*, seu *Leni* opponitur.

(45) *Gregem*. Scenicorum: ita per contemtum alios vocat actores.

(46) *Pura oratio*. Purum sermonem in hac Fabula laudat.

(47) *In utramque partem*. In Comoedia *Stataria*, & *Motoria*.

(48) *Si*. Vid.not.Andr.I.5.53.

Pretium. Intelligit mercedem, qua scenici histriones conduci solebant ab editoribus Comoediarum.

(51) *Exemplum* &c. Animo nunc aequo, & cum silentio me audientes, facite ut ego exemplo sim adolescentibus histrionibus, ut hi nim. in agendis fabulis *Vobis* &c.

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMUS.

Menedemus rogatus a Chremete, cur se opere faciundo cruciet, filii abitionem caussam fuisse respondet.

QUamquam haec inter nos nupera notitia admodum est,
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,

(1) *Notitia*. Familiaritas.

(2) *Inde quod*. Ex eo tempore, quum.

Facit, ut te audacter moneam, & familiariter,
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quam res te adhortatur tua.
Nam pro Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quaeris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio. Agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris nemo habet:
Servos complureis: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Haec non voluptati esse, satis certo scio.
At enim me, quantum hic operis fiat, poenitet.
Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
Me. Chreme, tantum ne ab re tua est otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent?
Ch. HOMO SUM: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta;
Rectum est? ego ut faciam: non? te ut deterream.
Me. Mihi sic est usus: tibi ut opus est facto, face.
Ch. An quoiquam est usus homini, se ut cruciet? *Me.*
Mihi.

Ch.

(7) *Praeter*. Nam Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

(17) *Fodere* &c. Cic. Lib. I. de Fin. *Terentianus Chremes non inhumanus, novum vicinum non vult* fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique; *non ut illum ab industria, sed ab illiberali labore deterreat*.

(18) *Respicis*. Neque tui ullam rationem habes.

(20) *At enim*. Dices, piget me videre, quantulum hic promoveant opus meum servi pigri & cessatores.

(22) *Si sumas* &c. Qui aliis praeest, ut pater familias, aut imperator, plus efficit adhortatione sua, quam opera.

(25) *Homo sum* &c. Haec sententia aliter, ac vulgo solet intelligi, accipienda est: nim. ad hominem omnes res humanae attinent, nec ei alienae sunt. quod est responsum ad illud: *Aliena ut cures*. Ita Cic. de off. I. 9. *Est enim difficilis cura rerum alienarum: Quamquam Terentianus Chremes humani nihil a se alienum putat*.

(28) *Usus*. V. not. Adel. III. 1. 45.

*Ch.*Si quid laboris est, nollem: sed istud quid mali est?
Quaeso, quid de te tantum meruisti? *Me.*Heu hoi.
*Ch.*Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.
Ne retice: ne verere: crede inquam mihi:
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.
Me. Scire hoc vis? *Ch.* Hac caussa equidem, qua dixi tibi.
*Me.*Dicetur. *Ch.*At istos rastros interea tamen
Depone, ne labora. *Me.*Minime. *Ch.* Quam rem agis?
*Me.*Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi
Laboris. *Ch.*Non sinam, inquam. *Me.*Ah, non aequom facis.
*Ch.*Hui, tam graveis hos, quaeso? *Me.*Sic meritum est meum.
*Ch.*Nunc loquere. *Me.*Filium unicum adolescentulum
Habeo. ah! quid dixi habere me? imo habui, Chreme.
Nunc habeam, nec ne, incertum est. *Ch.*Quid ita istuc? *Me.*Scies.
Est e Corintho hic advena anus paupercula.
,, Quae filiam habere dicitur citharistiam;
,, Hanc ille uxorem duxit: at clam me omnia.
Ubi rem rescivi, coepi non humaniter,
Neque ut aegrotum animum decuit adolescentuli,
Tractare, sed vi & via pervolgata patrum:
,, Quotidie accusabam: hem: tibi ne hoc tantum scelus
,, Impune abire speras me vivo patre?
Erras, si id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum est, facies: sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
,, Ego id aetatis meliora sequebar, Clinia.
,, Namque in Asiam abii hinc propter pauperiem, atque ibi
Si-

(30). *Si quid*. Si qua molestia tibi est.
Nollem: Sub. factum: ut Adel.II.1.11. Est autem formula deprecandi malum.
(31) *Quid de te* &c. Quid in te peccasti, propter quod tantas poenas de te ipse sumas?
(32) *Fac* &c. Adi not. Plaut. Capt. II. 3. 16.
(39) *Non sinam*. Haec dicens aufert ab illius manibus rastros.
(40) *Graveis*. Sub. rastros tractas.

Simul rem, & gloriam armis belli repperi.
Postremo adeo res rediit: adolescentulus
Saepe eadem, & graviter audiendo victus est:
Aetate me putavit, & sapientia
Plus scire, & providere, quam se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
Ch. Quid ais? *Me.* Clam me profectus, menses treis abest.
Ch. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, & non instrenui.
Me. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii,
Domum revortor moestus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto prae aegritudine:
Adsido: accurrunt servi: soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Coenam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video haec, coepi cogitare: hem! tot mei
Solius solliciti sunt caussa, ut me unum expleant?
Ancillae tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea est,
Ego eum hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam: nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in aedibus.
Nec vas, nec vestimentum: conrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile victum exercerent suum,
Omneis produxi ac vendidi: inscripsi illico
Aedes mercede: quasi talenta ad quindecim

Coe-

(64) *Ad Regem*. Persarum Regem intelligit, qui κατ' ἐξοχὴν Βασιλεύς dictus. Vide Eun. III. 1. 6.

(86) *Quaerens*. Accumulare opes studens.

Parcens. Abstinendo servans.

(88) *Conrasi*. Vendidi.

(91) *Inscripsi*. Idem ac *proscripsi* i. e. publice scriptum proposui. Ut autem *aedes inscribere mercede* est locandas dare; sic *pretio inscribere* est vendendas ponere.

Coëgi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo:
Decrevi, tantisper me minus injuriae,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec mihi fas esse ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
*Ch.*Ingenio te esse in liberos leni puto, &
Illum obsequentem], siquis recte aut commode
Tractaret. Verum neque tu illum sati' noveras,
Nec te ille. Hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec tibi ille est credere ausus, quae est aequom patri.
Quod si esset factum, haec nunquam evenissent tibi.
*Me.*Ita res est, fateor: peccatum a me maxumum est.
*Ch.*Menedeme, at porro recte spero: & illum tibi
Salvum affuturum esse hic confido propediem.
*Me.*Utinam ita Dii faxint! *Ch.*Facient. Nunc, si commodum est,
Dionysia hic sunt; hodie apud me sis volo.
*Me.*Non possum. *Ch.*Cur non? quaeso tandem aliquantulum
Tibi parce: idem absens facere te hoc volt filius.
*Me.*Non convenit, qui illum ad laborem impellerim,
Nunc me ipsum fugere. *Ch.*Siccine est sententia?
*Me.*Sic. *Ch.*Bene vale. *Me.*Et tu. *Ch.*Lacrumas excussit mihi,
Miseretque me ejus: sed, ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nil opus fuit monitore: jamdudum domi,

Prae-

(97) *Meus particeps*. Consors meorum bonorum.

(98) *Liberos*. Ita solent etiam de uno filio filiave. Vide Hecy. II. 1. 15.

(109) *Dionysia*. Bacchi festa.

(112) *Impellerim*. Alii *impullerim*; utrumque pro *impulerim*, cui lex pedis obstat.

(115) *Ut diei*. Prout diei tempus h. e. hora postulat.

(118) *Nil opus* &c. Haec dicit postquam ad Phaniae ostium accesserit; ubi videtur e domesticis rescivisse, Phaniam jam ad coenam abiisse.

Monitore. Ob horologiorum defectum servi mittebantur, qui, coena parata, vocatos admonerent; *Monitores* propterea dicti, Graece δειπνοκλήτορες. Hujus rei exemplum habes etiam apud Matth. XXII. 3. & Luc. XIV. 17.

Praesto apud me esse ajunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores?
Hinc a me quisnam egreditur? huc concessero.

(119) *Moror*. In mora detineo.

SCENA SECUNDA.

Clitipho, Chremes.

Clitipho narrat patri, Menedemi filium ex Asia rediisse, domique suae esse.

Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia; haudquaquam etiam cessant:
Et illam simul cum nuncio tibi hic affuturam
Hodie, scio. Proin tu sollicitudinem istam falsam, quae te
Excruciat, mittas. *Ch.* Quicum loquitur filius? *Cl.* Pater adest,
Quem volui. Adibo. Pater opportune advenis.
Ch. Quid id est? *Cl.* Hunc Menedemum nosti ne, nostrum vicinum? *Ch.* Probe.
Cl. Huic filium scis esse? *Ch.* Audivi esse in Asia. *Cl.* Non est pater, apud
Nos est. *Ch.* Quid ais? *Cl.* Advenientem, e navi egredientem abduxi illico
Ad coenam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia
Semper fuit familiaritas. *Ch.* Voluptatem magnam nuncias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum hodie esset, amplius;
Ut hanc laetitiam nec opinanti primus objicerem domi:
At-

(1) *Nihil* &c. Haec Clitipho domo egressus Cliniae dicit, qui metu patris intus manet.

Clinia. Qui miserat Dromonem cum Syro arcessitum Antiphilam uxorem, & discruciabatur, quod adhuc non redissent.

(9) *Ad coenam*. Ex more scil. quo alter alteri ex itinere redeunti coenam *adventitiam* dabant.

(11) *Amplius*. Impensius. Invitaverat enim sc. antec. v. 109. sed tangendo, ut ajunt, non scindendo penulam.

Atque etiam nunc tempus est. *Cl.*Cave faxis: non opus est, pater.
*Ch.*Quapropter? *Cl.*Quia enim incertum est etiam, quid se faciat. Modo venit.
„ Timet omnia, patris iram, & animum uxoris se erga ut sit suae.
„ Clam patre eam duxit. hinc haec turba, atque abitio evenit. *Ch.*Scio.
*Cl.*Nunc servolum ad eam in urbem misit, & ego nostrum una Syrum.
*Ch.*Quid narrat? *Cl.*Quid ille? se miserum esse. *Ch.*Miserum? quem minu' credere est?
Quid reliqui est, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona?
Parenteis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias:
Atque haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona: illi, qui non utitur recte, mala.
*Cl.*Imo ille senex fuit importunus semper: & nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.
*Ch.*Ille ne? sed reprimam me: nam, in metu esse hunc, illi est utile.
*Cl.*Quid tute tecum? *Ch.* Dicam. ut ut erat, mansum tamen oportuit.
„ Fortasse praeter ejus meritum erat aliquanto iniquior:
Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Huncine erat aequom ex illius more, an illum ex hujus vivere? &c.
Quod illum insimulas durum, id non est. Nam parentum injuriae
Uniusmodi sunt ferme; paullo qui est homo tolerabilis,
Lu-

(17) *Urbem*. Ergo Scena in suburbano fuit.
(19) *Quid*. Quid aliud est, quod non habeat?
(26) *Mansum*. Sub. a Clinia. Eleganter, ut illud Adel. V. 2. 13. *Nollem huc exitum*.
(27) *Praeter*. Plus quam meretur illius peccatum.
(28) *Pateretur*. Clinia scil.
(31) *Paullo qui*. Ei filio, qui est paullo tolerabilis, permittunt nonnulla, e. g. ludere, sed non crebro &c.

„ Lusum ire crebro nolunt: nolunt crebro convivarier.
Praebent exigue sumtum: & ea sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia. Hoc
Scitum est: PERICULUM ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
Cl. Ita credo. *Ch.* Ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid coenae siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

(34) *Verum ubi*. Aliud filiorum genus intolerabile.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

CLITIPHO

Aegre habet, quae modo ipsum monuerat pater.

QUam iniqui sunt patres in omneis adolescenteis judices:
Qui aequom esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes,
Neque illarum affines rerum esse, quas fert adolescentia.
„ Ex sua moderantur natura, quae nunc est, non quae olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, nae ille facili me utetur patre:
Nam, & cognoscendi, & ignoscendi dabitur peccati locus:
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

Pe-

(3) *Affines*. Obnoxios illis vitiis, quae fert &c.

(7) *Non ut meus*. Sub. *facit*. nisi mavis esse hoc ἀνακόλουθον, pro

Perii! is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quae narrat facinora!
Nunc ait: periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu fiet.
Astutus! Nae ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.

pro *non ut meo* [subaudi] patre ego utor.

Per alium. Sub persona Menedemi.

(8) *Plus paullo*. Paullo plus [solito] bibit vinum.

Sua quae &c. Id vult Clitipho, patrem non abstinuisse iis rebus, quas nunc in se reprehendit. Quasi dicat. Α῎λλυς ἰατρῶ, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

(10) *Quam* &c. Quam irrita det praecepta. De hoc proverbio vid. Phor. V. 8. 25.

SCENA SECUNDA.

Clinia, Clitipho.

Clinia queritur quod Antiphila, quam per servum arcessi jusserat, adhuc non venerit.

„ SI mihi secundae res de uxore mea essent, jamdudum scio
„ Venissent: sed vereor, ne quid me absente hic illa passa sit.
Clit. Etiam cave, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens.
Clin. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animu' praesagit mali.
Clit. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri fiet?
Clin. Si nihil mali esset, jam hic adessent. *Clit.* Jam aderunt. *Clin.* Quando istuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longule esse? & nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. *Clin.* O Clitipho,

Ti-

(7) *Esse*. Antiphilae domum.

(8) *Moliuntur*. Juvenal. VI. 503. *Altum aedificant caput*. Utrumque de turritis mulierum capillamentis.

Annus est. Ὑπερβολικῶς dicitur, ut Eun. IV. 2. 7. *aetatem*.

Timeo. *Clit.* Respira: eccum Dromonem cum Syro: una adsunt tibi.

SCENA TERTIA.

SYRUS, DROMO, CLITIPHO, CLINIA, ANTIPHILA.

Syrus Antiphilae domo reversus, narrat Cliniae, quomodo, illo absente, uxor vixerit; quae tandem supervenit.

AIn' tu? *Dr.* Sic est. *Sy.* Verum interea dum sermones caedimus,
,, Illa retro est relicta. *Clit.* Mulier tibi adest, audin' Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo Clitipho.
,, *Dr.* Quid mirum? adeo est impedita, ancillarum & ducit gregem.
,, *Sy.* Non oportuit relictam: portat quid rerum, Dromo,
Aurum, vestem: & vesperascit, & non noverunt viam.
Factum a nobis stulte est. Abi dum tu, Dromo, illis obviam.
Dii boni, quid turbae est! aedes nostrae vix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid sene erit nostro miserius?
,, Sed video, eccos, quos volebam. *Clin.* Age, Syre, narres omnia.
,, *Sy.* Hoc primum, ut ne quid Antiphilae ignores, anus,
,, Quae est dicta mater esse ei antehac, mortem obit:
Ubi ventum ad aedes est, Dromo pultat fores:

Anus

(1) *Ain' tu* &c. Haec sic legas, ut intelligas multa verba praecessisse.

Sermones caedimus. Alternis loquimur.

(4) *Quid mirum?* Sub. si relicta est.

Impedita. Ambr. lib. 1. de Virg. *Nihil refert auro corpus oneretur, ait* &c. . . . . *si gravatur incessus* &c.

(5) *Quid rerum!* Emphaticum est. Ut illud Plau. Epid. II. 2.: *Tum captivorum quid ducunt secum*. Ita & mox accipiendum *Quid turbae*.

(8) *Di boni*. Haec Syrus, postquam discessit Dromo.

(9) *Sene*. Chremete.

Anus quaedam prodit: haec ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hic sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam, te absente, exegerit:
Ubi de improviso est interventum mulieri.
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Quotidianae vitae consuetudinem;
Quae, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis caussa, opinor, quae erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quae ornantur sibi,
Nulla re malas expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
,, Rejectus neglegenter; ea, quam dixi, anus
,, Subtemen nebat: praeterea nonnullae erant
,, Ancillulae, quae una texebant, Clinia.
Clin. Perge obsecro te. Quid ait, ubi me nominas?
Sy. Ubi dicimus rediisse te, & rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit
Continuo, & lacrumis opplet os totum sibi, ut
Facile scires desiderio id fieri tuo.
Sed quam cito sunt consequutae mulieres!
Clin. Prae gaudio, ita me Dii ament, ubi sim nescio.
An. O mi expectate, Clinia, salve. *Clin.* Ut vales?
,, *An.* Salvum advenisse gaudeo. *Sy.* Agitedum simul
Ite intro: nam vos jamdudum expectat senex.

(15) *Hic*. Dromo.

(20) *Existumandi*. Judicandi.

(24) *Lugubri*. Pulla, & longo usu detrita.

(26) *Ornantur sibi*. Non ut placeant aliis.

(27) *Re muliebri*. Fuco. Westerovius autumat per haec verba intelligi etiam calamistrum, speculum (quod Phaed. III. 8. *rem foeminarum* appellat) pectinem &c. At, praeter speculum, ubi his locus in genis expoliendis?

(28) *Capillus passus* &c. Indicium luctus. Ut passim apud Virg.

(32) *Nominas*... *Dicimus*. Libentius in narrando utimur praesenti tempore.

(37) *Sed quam* &c. Videns Antiphilam cum ancillis venientem abrumpit sermonem.

(38) *Prae* &c. Haec Clinia uxorem conspicatus.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMUS.

Chremes Menedemum de filii adventu docet, simulque, quid facto sit opus, monet.

LUciſcit hoc jam: ceſſo pultare oſtium
Vicini? primum ex me ut ſciat, ſibi filium
Rediiſſe. Etſi adoleſcentem hoc nolle intellego.
Verum, cum videam miſerum hunc tam excruciarier
Eju' abitu, celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi nihil pericli ex indicio ſiet?
Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo ſenem:
Item ut filium meum amico, atque aequali ſuo
Video inſervire, & ſocium eſſe in negotiis.
Nos quoque ſenes eſt aequom ſenibus obſequi.
Me. Aut ego profecto ingenio egregie ad miſerias
Natus ſum, aut illud falſum eſt, quod volgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus:
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio aegritudo; & quanto diutius
Abeſt, magi' cupio tanto, & magis deſidero.
Ch. Sed ipſum egreſſum foras video: ibo, alloquar.
Menedeme, ſalve: nuncium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
Me. Numquidnam de gnato meo audiſti, Chreme?
Ch. Valet, atque vivit. *Me.* Ubinam eſt, quaeſo? *Ch.* Apud me domi.

Me.

(1) *Hoc jam.* Intellige Coelum, quod quaque verſum intuens Chremes δεικτικῶς inquit *hoc*. Sic Plaut. Amph. I. 3. *Eamus, Amphitruo; luciſcit hoc jam.*

(11) *Ingenio.* Natura. *Egregie.* Praeter ceteros.

(12) *Natus.* Adel. IV. 2. 6.

*Me.*Meus gnatus! *Ch.*Sic est. *Me.*Venit! *Ch.*Certe. *Me.* Clinia
Meus venit! *Ch.*Dixi. *Me.*Eamus, duc me ad eum obsecro.
*Ch.*Non volt te scire se rediisse etiam: & tuum
Conspectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
*Me.*Non tu ei dixisti, ut essem? *Ch.*Non. *Me.*Quam ob rem, Chreme?
*Ch.*Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,
Si te tam leni, & victo esse animo ostenderis.
*Me.*Non possum: satis jam, satis pater durus fui. *Ch.*Ah,
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa, incides,
„ Primum olim potius quam paterere filium
„ Domum traducere uxorem, quae paullulo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc. Ea coacta ingratiis
„ Postilla coepit victum cantu quaerere.
Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis. Nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet.
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste, atque auro. Satrapes si siet
„ Maritus, haud sufferre ejus sumtus queat,
Nedum tu possis. *Me.*Est ne ea intus? *Ch.*Si sit rogas?
Sensi: nam ei unam coenam, atque ejus comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet:
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi

Quid

(22) *Meus gnatus!* Exprimit affectum animi; ita mox rursus. *Clinia meus venit!*

(27) *Ut essem?* Quo animo essem erga se.

(33) *In eandem* &c. Sensus est. Aeque damnosa tibi erit parsimonia, atque nimia largitas tua.

(37) *Ingratiis*. Invito animo.

(38) *Cantu*. Nam Antiphila fidibus sciebat. Vide supra I. 1. v. 45. ubi *citharistria* appellatur.

(39) *Intertrimento*. Damno.

(43) *Satrapes*. Ita Persae appellabant provinciae Praefectum.

(46) *Sensi*. Cum dolore dictum.

(48) *Pytissando*. A *πυτίζω*, quod a *πτύω* *spuo*. Est autem *pytissare*, vinum gustandi caussa ore sumtum, postquam degustatum est, exspuere.

Quid vini absumpsit? sic hoc: dicens; asperum,
Pater, est hoc; aliud lenius, sodes, vide.
Relevi dolia omnia, omnes serias:
Omnes habui sollicitos: atque haec una nox:
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me Dii amabunt, ut tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum. *Me.*Faciat, quod lubet:
Sumat, consumat, perdat: decretum est pati:
Dum illum modo habeam mecum. *Ch.*Si certum est tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
*Me.*Quid faciam? *Ch.*Quid vis potius, quam quod cogitas.
Per alium quemvis ut des, falli te sinas
Technis per servolum: etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, id inter se agere clanculum.
Syru' cum illo vostro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum is intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui,
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!
Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
NAM deteriores omnes sumus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravum an rectum sit quod petet.
Tu, rem perire, & ipsum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,

Quo

(49) *Sic hoc*. Sub. vinum. *Sic* autem est mediocriter laudandi particula.

(50) *Pater*. Honorifica appellatio ob aetatem provectam.

(51) *Relevi*. *Linere* vasa pice, cera, est obturare; *relinere* contra, est aperire.

Serias. Vid. Plaut. Capt. IV. 4. 9.

(52) *Habui*. Reddidi servos commotos, & variis ministeriis districtos.

(56) *Perdat*. Quod majus est, & quod finem consumendi habet, tertio loco posuit.

(63) *Ibi esse*. Huic rei esse intentos.

(65) *Talentum de talento*, & *mina* vid. ad. Phorm. IV. 1. 38.

(70) *Proditurum*. Periculo expositurum.

(72) *Ad nequitiam*. Immodicam pecuniarum effusionem.

(77) *Rem*. Familiarem.

Quo maxume apud te se valere sentiet,
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
*Me.*Videre verum, atque ita uti res est, dicere.
*Ch.*Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.
*Me.*Cedo dextram: porro te oro idem ut facias, Chreme.
*Ch.*Paratus sum. *Me.* Scin', quid nunc facere te volo?
*Ch.*Dic. *Me.*Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere. Cupio illi dare
Quod volt: cupio ipsum jam videre. *Ch.*Operam dabo.
Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paullum hoc negoti mihi obstat: Simus, & Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,
Operam daturum me, hodie non posse his dare.
Continuo hic adero. *Me.*Ita quaeso. Dii vostram fidem.
Itan' comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant, & dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut aegritudine:
Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi?
*Ch.*Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.

(84) *Cedo dextram*. Formula foedus, & amicitiam pangentium.

(89) *Prehendendus*. Appellandus.

(91) *Congruere*. Penultima producenda ob metrum. Vide Muretum.

(112) *Dissolvi*. Excusavi. *Tibi*. Dacieria edidit *huic*, quasi de Menedemo, non ad Menedemum. fortasse melius.

SCENA SECUNDA.

Syrus, Chremes.

Syrus, hortante Chremete, ad pecuniam e Menedemo extorquendam se parat.

HAc illac circumcursa: inveniendum est tamen
Argentum, intendenda in senem est fallacia.

 Ch.

(1) *Tamen*. Pro *tandem*. (2) *Senem*. Menedemum.

*Ch.*Num me fefellit, hosce id struere? videlicet
Est Cliniae ille servus tardiusculus:
Iccirco huic nostro tradita est provincia.
*Sy.*Quis hic loquitur? Perii! numnam haec audiit? *Ch.* Syre. *Sy.*Hem!
*Ch.*Quid tu istic? *Sy.*Recte equidem. Sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. *Ch.* Nihil nimis.
*Sy.*Nihil, narras? visa vero est, quod dici solet,
„ Aquilae senectus. *Ch.*Eja. *Sy.* Mulier haec commoda, &
„ Honesta videtur. *Ch.*Sane idem visa est mihi.
„ *Sy.*Minime ego miror, Clinia hanc si duxerit:
Sed habet patrem quemdam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non divitiis
Abundet, gnatu' ejus profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? *Ch.*Quid ego nesciam?
Hominem pistrino dignum. *Sy.* Quem? *Ch.* Istunc servolum
Dico adolescentis. *Sy.*Syre tibi timui male.
*Ch.*Qui passus est id fieri. *Sy.*Quid faceret? *Ch.*Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
„ Qui fieret pater in adolescentem mitior,
„ Atque ita uterque pariter servaretur, Syre.
„ *Sy.*Garris. *Ch.*Haec facta ab illo oportebant. *Sy.*Eho
„ Chreme! laudas quaeso, heros qui fallunt? *Ch.*In loco:

Ego

(5) *Provincia*. Magnifice: quasi de munere provinciae administrandae.

(7) *Recte equidem*. Ita solent qui sine injuria interrogantis aliquid reticent.

Sed te. Per jocum vult Syrus deflectere orationem in aliud, & subterfugere heri reprehensionem.

(8) *Tam mane*. Ἔλλειψις. deest *vigilare*, vel *surrexisse*.

Heri. Scil. in festo Dionysiorum, supra I. 1. 107. quando solebant vino largiter uti.

(10) *Aquilae senectus*. Graece Ἀετοῦ γῆρας. Dicitur hoc adagium in senes bibaces magis, quam edaces. Nam Plin. X. 3. refert, Aquilas neque senio, neque aegritudine oppetere, sed fame; in tantum superiore accrescente rostro, ut aperiri nequeat: ideoque Aquilam in senecta, tantum bibere, aut de praeda sanguinem sugere.

(18) *Syre tibi*. Haec secum.

(24) *In loco*. Opportune. Ita Horat. Carm. IV. 12. *Dulce est desipere in loco*.

Ego vero laudo. *Sy.*Recte sane. *Ch.*Quippe quia
Magnarum saepe id remedium aegritudinum est:
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
*Sy.*Joco ne an serio illaec dicat, nescio,
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
*Ch.*Et nunc quid expectat, Syre? an, dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus sumtus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? *Sy.*Stolidus est.
*Ch.*At te adjutare oportet adolescentuli
Caussa. *Sy.*Equidem facile facere possum, si jubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.
*Ch.*Tanto, hercle, melior. *Sy.*Non est mentiri meum.
*Ch.*Fac ergo. *Sy.* At heus tu, facito dum eadem haec memineris:
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
Ch. Non usus veniet, spero. *Sy.* Spero hercle ego quoque.
Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim;
Sed si quid, ne quid; quae sit ejus aetas, vides;
Et nae ego te, si usus veniat magnifice, Chreme,
Tractare possim. *Ch.*De istoc, cum usus venerit,
Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.
*Sy.*Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, cum malefacere crederem mi impunius
„ Licere: haud igitur cessabo, dum favet herus.

[28] *Joco*. Haec servus ad spectatores conversus.

[29] *Quo lubeat*. Ut magis mihi placeat decipere Menedemum.

[32] *Fabricam*. Translate: pro *fallacia*.

[36] *Tanto melior*. Laudandi formula (contra reprehendendi *tanto nequior*. Adel. IV. 1. 12.) quam cum risu Chremes pronunciat. Hinc Syrus infert: *Non est* &c.

(42) *Sed si* &c. At si quid evenerit, ne quid succenseas.

[43] *Et nae* &c. Equidem te magnifica aliqua & insigni techna excipiam, si quando tale quid acciderit. Haec tacité.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

SYRUS, CHREMES.

Syrus fallaciam, quam de pecunia invenit, Chremeti detegit.

„ QUid agam? aut quid comminiscar? aliqua ratio ineunda est mihi.
Nihil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet.
Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est. Quid si sic?
tantumdem egero.
At sic opinor. non potest. immo optume. euge! habeo optumam.
„ *Ch.* Heus tu ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti Syre? aut
Reperisti quod placeat, an nondum etiam? *Sy.* De fallacia
Dicis? st! inveni quamdam nuper. *Ch.* Frugi es: cedo, quid est?
Sy. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. *Ch.* Quidnam Syre?
„ *Sy.* Habet haec Antiphila mancipium, cui nomen est Philumenae:
Hanc secum huc adduxit, eaque est nunc ad uxorem tuam.

„ Au-

[3] *Quid, si hoc* &c. Qui aliquid incepturi sunt, multa proponere solent; & affirmare, & refellere quod sit faciendum, vel omittendum.

Tantumdem. Tantum proficiam in hoc faciendo, quantum in alio praecedenti.

[4] *Immo*. Se corrigit.

Optumam. Viam, rationem inveni.

[8] *Incidit*. In mentem venit. Multa esse fingit, ut verosimilius sit, quod finxerit.

„ Audi, quod inceptem facinus. *Ch.* Quid, cedo, facere cogitas.
Sy. Ego ne? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam e Caria,
Ditem, & nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
Ch. Erras. *Sy.* Quid ita? *Ch.* Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo. Quid ais? *Sy.* Optata loquere. *Ch.* Atqui non est opus.
Sy. Non opus est? *Ch.* Non hercle vero. *Sy.* Qui istuc? miror. *Ch.* Jam scies.
Mane mane! quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

[15] *Optata loquere*. Idem est, ac illud: *Bona verba quaeso*.

SCENA SECUNDA.

SOSTRATA, CHREMES, NUTRIX, SYRUS.

Sostrata invento annulo, quicum olim filiam exposuerat, illum Chremeti ostendit: hinc inter eos jurgium.

NIsi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor,
Is, quicum exposita est gnata. *Ch.* Quid volt sibi, Syre, haec oratio?
So. Quid est? Is ne tibi videtur? *Nu.* Dixi equidem, ubi ostendisti, illico,
Eum esse. *So.* At ut sati' contemplata modo sis, mea Nutrix? *Nu.* Satis.
So. Abi nunc jam intro: atque, illa si jam laverit, mihi nuncia.
Hic ego virum interea opperibor. *Sy.* Te volt: videas, quid velit.

Ne-

[2] *Exposita*. Parentes olim, quos educare nollent filios, fortunae aut misericordiae alienae in sportulis exponebant. Ethnicorum est, barbarum est.

[4] *At ut satis*. Sic dicimus in his rebus, de quibus dubitamus, & praecipue quas jamdiu non vidimus.

[5] *Illa*. Antiphila.

Laverit. De balneo intellige.

Nescio quid tristis est: non temere est: metuo, quid sit. *Ch.* Quid fiet!
Nae ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
So. Ehem! mi vir. *Ch.* Ehem! mea uxor. *So.* Te ipsum quaero. *Ch.* Loquere, quid velis.
So. Primum te hoc oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum
Facere ausam. *Ch.* Vis tibi me istuc, etsi incredibile est, credere?
Credo. *Sy.* Nescio quid peccati portat haec purgatio.
So. Meministin' me esse gravidam, & mihi te maxumo opere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli? *Ch.* Scio quid feceris:
Sustulisti. *Sy.* Si sic factum est, domina, ergo heru' damno auctus est.
So. Minime: sed erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi
Exponendam. *Ch.* O Jupiter, tantam esse in animo inscitiam!
So. Perii! quid ego feci? *Ch.* At rogitas? *So.* Si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. *Ch.* Id quidem ego, etsi tu neges, certe scio,
Te inscientem, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum
Imperium exsequi voluisses, interemtam oportuit,
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Quam bene vero abs te prospectum est: quid voluisti? cogita:
Nemi-

[7] *Non temere*. Non sine caussa.
[8] *Magno &c.* Ὀξυμώρου species est, ut illud Horatii in Art. *Parturient montes, nascetur ridiculus mus*.
[15] *Damno*. Propter dotem, quae danda est.
[16] *Haud impura*. Honesta.
[18] *Perii*. Hoc aversa.
Quid ego. Hoc autem iterum conversa ad Chremetem.
[24] *Misericordia*. Impulit te.
[25] *Prospectum est abs te*. Tu prospexisti filiae.

Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
,, Vel uti turpem vitam ageret, vel uti veniret palam.
Credo id cogitaſti: quidvis ſatis eſt, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque aequom ſciunt,
Melius, pejus, proſit, obſit, nil vident, niſi quod lubet?
*So.*Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor: nunc hoc te obſecro,
Quanto tuus eſt animus natu gravior, ignoſcentior,
Ut meae ſtultitiae in juſtitia tua ſit aliquid praeſidi.
*Ch.*Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: verum, Soſtrata,
Male docet te mea facilitas multa. Sed iſtuc quidquid eſt,
Qua hoc occeptum eſt cauſſa, loquere. *So.*Ut ſtulte & miſere omnes ſumus
Religioſae; cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho; & eum dico ut una cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
*Ch.*Iſtuc recte: conſervaſti te, atque illam. *So.*Is hic eſt annulus.
,, *Ch.*Unde habes? *So.* Quam Clinia duxit uxorem adoleſcentulus.
*Ch.*Quid ea narrat? *So.*Ea lavatum dum it, ſervandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: at poſtquam aſpexi, illico
Cognovi: ad te exilii. *Ch.*Quid nunc ſuſpicare, aut invenis
De illa? *So.* Neſcio, niſi ex ipſa quaeras, unde hunc habuerit.

Si

[26] *Prodita*. Illi anui commiſſa; & per hoc decepta.

[31] *Peccavi*. Victa mariti argumentis, crimen ſuum fatetur, precaturque veniam.

[32] *Natu gravior*. Non ſecus, ac dicitur *gravis annis*.

[37] *Religioſae*. Superſtitioſae.

[39] *Si moreretur*. Nempe anus, quae ſola alioquin natalium teſtis eſſe poterat.

Ne expers. Hereditatem Athenis non adibant filiae, ſi eſſent filii; in dotem tamen dari debebat decima bonorum paternorum pars.

(41) *Quam*. Ab illa muliere, quam &c.

Si potis est reperiri. *Ch.* Vivit ne illa, cui dederas? *So.* Nescio.
Ch. Quid renunciavit olim fecisse? *So.* Id, quod jusseram.
Ch. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quaeratur. *So.* Philtere.
Ch. Sequere me intro hac. *So.* Ut praeter spem evenit! Quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme.
Ch. Non licet hominem esse saepe ita ut volt, si res non sinit:
Nunc ita tempus est mi, ut cupiam filiam: olim nil minus.
„ *Sy.* Antiphila nostra est, siquidem haec vera praedicat.

[51] *Non licet*. Videtur olim res angustior non sivisse ut aleret natam; quod nunc in re lauta, & aucta expetit.

[53] *Haec*. Domina.

SCENA TERTIA.

CLINIA, SYRUS.

Clinia triumphat, quod Antiphila agnita sit Chremetis filia esse.

NUlla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quae mihi aegritudinem afferat: tanta haec laetitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam volt.
Sy. Nil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse laetor.
Cl. O mi Syre, audistin' obsecro? *Sy.* Quid ni? qui usque una affuerim.
Cl. Cui aeque audisti commode quidquam evenisse? *Sy.* Nulli.
Cl. Atque, ita me Dii ament, ut ego nunc non tam meapte caussa

Lae-

(1) *Nulla* &c. Nimia Cliniae laetitia exprimitur de cognita Antiphila.

Laetor, quam illius: quam ego scio esse honore quovis
dignam.

SCENA QUARTA.

CHREMES, SYRUS, CLINIA, ANTIPHILA, DROMO.

Chremes, inventa filia; illius nuptias cum Clinia ratas esse jubet. Antiphila ad Menedemum traducitur.

OHe jam desine Deos uxor gratulando obtundere
Tuam esse inventam gnatam; nisi illos tuo ex ingenio judicas,
Ut nil credas intellegere, nisi idem dictum est centies.
*Cl.*Tibi jam gratulor, & mihi gaudeo, Chreme.
*Ch.*Nil est quod malim, gener & affines placent.
,, *Sy.*Ita pol mihi credo ademtam sollicitudinem
,, Omnem inveniendi argenti: quippe huic nunc pater
Aurum, vestem, atque alia, quae erunt opus, dabit.
,, *Ch.*Quid ni? num recta sapere videretur senex,
,, Adhuc si has vellet improbare nuptias?
,, *Cl.*Quid dotis dicam te dixisse jam patri?
Quid? obticuisti. *Ch.* Dotis. *Cl.* Ita dico. *Ch.* Ah! *Cl.* Chreme,
Ne quid vereare, si est minu': nil dos nos movet.
,, *Ch.*Duo talenta pro re nostra. *Cl.* Hoc mihi sat est.
,, *Sy.*Nonne ad Menedemum Antiphilam traduci jubes?
*Ch.*Age traducatur. *Sy.*Optume illa exit foras.
Antiphila, transeundum ad Menedemum tibi est.
*An.*Eatur. *Sy.*Sequere hac heus, Dromo. *Dr.* Quis me volt? *Sy.*Syrus.
,, Quid est? *Sy.*Ancillas huc ad vos traducito.
,, *Dr.*Istuc jam faciam: vos valete & plaudite.

(1) *Ohe jam*. Haec Chremes domo egrediens.

FINIS HEAUTONTIMORUMENU.

TERENTII
ADELPHI.

Acta ludis Funebribus Aemilii Paulli, quos fecere Q. Fabius Maximus, P. Cornelius Africanus. Egere L. Attilius Praenestinus, Minutius Prothymus. Modos fecit Flaccus Claudii, tibiis Serranis. Facta Graeca Menandru L. Anicio, M. Cornelio Coss.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
AESCHINUS, *Adolescens, Demeae filius.*
CANTHARA, *Nutrix Pamphilae.*
CTESIPHO, *Adolescens, Demeae filius.*
SYRUS } *Servi Micionis.*
DROMO }
DEMEA, *Senex.*
GETA, *Servus Sostratae.*
HEGIO, *Senex, Sostratae cognatus.*
MICIO, *Frater Demeae.*
SANNIO, *Mercator mancipiorum.*
SOSTRATA, *Mater Pamphilae.*

PERSONAE MUTAE.

PAMPHILA, *Uxor Aeschini.*
BABYLO, *Trapezita.*
PARMENO } *Servi.*
STORAX }
CALLIDIA, *Uxor Ctesiphonis.*

AR-

ARGUMENTUM.

Demea & Micio frates Athenienses, hic in urbe coelebs & commodus, ille ruri victitabat parce ac duriter cum uno e duobus filiis, cui nomen Ctesipho; nam alterum nomine Aeschinum Micio adoptaverat, & in urbe educabat. Factum est autem ut uterque, inscio patre uxorem duxissent, Aeschinus Pamphilam, Ctesipho vero (qui ruri in urbem ventitabat) Callidiam Psaltriam, Sannionis mancipium; quam ipse Aeschinus a mangone, qui virginem vendere cunctabatur, per vim rapuit fratrique suo tradidit. Audiens id factum Demea in Micionem invehitur, quod Aeschinum istis vivere apud se moribus patiatur, dum contra Ctesipho modeste ruri secum viveret. Putabat enim, raptam ab Aeschino Callidiam, ut eam sibi haberet, non ut Ctesiphoni traderet. Idipsum cum putaret Sostrata Pamphilae mater, filiamque suam ab Aeschino derelictam crederet, Hegionis opera fecit, ut Micio filii nuptias cum Pamphila firmaret. Interea cum has Aeschini nuptias, itemque Ctesiphonis cum Callidia conjugium rescivisset Demea, ira excanduit; sed fratris monitis mitigatus, eo adductus est, ut utriusque filii nuptias ratas esse juberet.

* *PROLOGUS.*



Postquam Poëta sensit, scripturam suam
Ab iniquis observari, & adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus,
Indicio de sese ipse erit: vos eritis judices,

Lau-

(*) Adversariorum (& quidem Lavinii, ut alibi dictum) obtrectationem diluit Poeta; & spectatorum attentionem postulat.

(1) *Postquam*. Pro *quoniam*. *Scripturam*. Comoedias suas. V. Prol. And. v. 1.

(4) *Indicio* &c. Ipse Terentius indicabit, quid a se factum sit.

Laudi ne an vitio duci factum id oporteat.
ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ Diphili comoedia est,
Eam COMMORIENTES Plautus fecit fabulam.
„ In Graeca adolescens est, qui mangoni eripit
„ Mulierem, in prima fabula. Eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam: pernoscite,
Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui praeteritus negligentia est.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis universis, & populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu' est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi veniunt, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent. Facite, aequanimitas
Vestra poëtae ad scribendum augeat industriam.

(6) *Diphili*. Ita per crasin pro *Diophili*, qui fuit Poëta Comicus tempore Menandri, anno ante Aer. Vulg. circiter CXXX.

(9) *Prima fabula*. Prima parte fabulae.

(11) *Adelphos*. Graece Α'δελφοί sunt *fratres*. Ita dicta haec Fabula, ubi agitur de duobus fratribus.

(14) *Negligentia*. Voluntaria praetermissione.

(15) *Homines*. Scipio, & Laelius.

(21) *Suo tempore*. In suis necessitatibus.

Sine superbia. Illorum, puta Scipionis & Laelii, quippe qui humanissimi erant, & ad officia praestanda maxime propensi.

ACTUS

ACTUS PRIMI
SCENA PRIMA.
Micio

De Aeſchino, qui domum non redierit, ſollicitus eſt: deinde quaſi aliud agens de ſuis, de fratris, atque ipſius Aeſchini moribus auditores docet.

STorax! Non rediit hac nocte a coena Aeſchinus,
Neque ſervulorum quiſquam, qui advorſum ierant.
Profecto hoc vere dicunt: ſi abſis uſpiam,
Aut ubi ſi ceſſes, evenire ea ſatiu' eſt,
Quae in te uxor dicit, & quae in animo cogitat;
Irata, quam illa, quae parentes propitii.
,, Uxor, ſi ceſſes, te apud amicos cogitat
,, Potare, convivarier, animo obſequi:
Et tibi bene eſſe ſoli, cum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito?
Quibu' nunc ſollicitor rebus? ne aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid. Vah! quemquam ne hominem in animum inſtituere, aut
Parare, quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi?
Atque ex me hic natus non eſt, ſed ex fratre. Is adeo
Diſſimili ſtudio eſt, jam inde ab adoleſcentia.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus ſum: &, quod fortunatum iſti putant,

(1) *Storax*. Micio Storacem, qui cum aliis ſervis obviam Aeſchino ierat, vocat; eoque non reſpondente, omnes abeſſe conjicit.

(2) *Advorſum* &c. Hinc *adverſitores* dicti hujuſmodi ſervuli, qui domino foris coenanti officii gratia obviam mittebantur.

(4) *Ubi*. Alicubi.

(15) *Is*. Demea frater.

(18) *Quod*. Nim. coelibatum. Hor. lib. 1. ep. 1. 88. *Melius nil coelibe vita*.

Uxorem nunquam habui. Ille contra, haec omnia:
Ruri agere vitam; semper parce, ac duriter
Se habere: uxorem duxit: nati filii
Duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto: solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, praetermitto, non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere: postremo, alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit ceteros.
PUDORE, & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me saepe clamans, quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimium indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus, praeter aequomque, & bonum.
ET ERRAT longe mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum.
MALO coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Quem beneficio adjungas, ille ex animo facit,
Studet par referre, praesens absensque idem erit.

Hoc

(25) *Ut item*. Ut vicissim itidem me tractet.

(27) *Clanculum*. Vim habet praepositionis *clam*, quae antiquitus cum quarto etiam casu conjungi solebat, ut hic *clanculum*.

(32) *Pudore* &c. Ingenua & liberali educatione.

(33) *Retinere*. Sub. in officio; vel, a vitiis.

(38) *Vestitu*. Pro *vestitui*; ut apud Virgilium, Aen.I.261. *Parce metu, Cytherea* &c.

(39) *Ipse*. Scil. Demea. Cic. de Sen.18. de Demea & Micione: *Quanta in altero duritas, in altero comitas*.

(43) *Ratio*. Consuetudo, institutum.

(44) *Malo*. Metu, minis.

(46) *Ingenium*. Innatam improbitatem.

Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus interest. Hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed est ne hic ipsus, de quo agebam? & certe is est.
Nescio quid tristem video. Credo jam, ut solet,
Jurgabit. Salvom te advenire, Demea,
Gaudemus.

SCENA SECUNDA.

Demea, Micio.

Demea ob raptam ab Aeschino mulierem, furit in Micionem: Ctesiphonem vero, cui illam nuptum iri nescit, commendat.

EHem! opportune: te ipsum quaerito.
*Mi.*Quid tristis es? *De.*Rogas me, ubi nobis Aeschinus
Siet, quid tristis ego sim? *Mi.*Dixin' hoc fore?
Quid fecit? *De.*Quid ille fecerit! quem neque pudet
Quidquam: nec metuit quenquam; neque legem putat
Tenere se ullam. Nam illa, quae antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designavit? *Mi.*Quidnam id est?
*De.*Fores effregit, atque in aedeis irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam
,, Mulcavit usque ad mortem: audacter mulierem
,, Eripuit: clamant omnes indignissume
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! in ore est omni populo. Denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus simile factum? haec cum illi, Micio,
Dico, tibi dico, tu illum corrumpi finis.
*Mi.*Homine imperito nunquam quidquam injustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.
*De.*Quorsum istuc? *Mi.*Quia tu, Demea, haec male judicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
,, Lusum ire, neque potare; non est, neque fores
Effrin-

(2) *Ubi nobis* &c. Cum Aeschinum filium habeamus.

Effringere. Haec si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Injurium est: nam si esset unde id fieret,
Faceremus; & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quam, ubi te expectatum ejecisset foras,
Alieniore aetate post faceret tamen.
*De.*Pro Jupiter! tu me homo adigis ad insaniam.
Non est flagitium facere haec adolescentulum? *Mi.*Ah!
Ausculta, ne me obtundas de hac re saepius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta? de meo.
Ludit? dabitur a me argentum, ubi erit commodum;
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur. Discidit
Vestem? resarcietur. Est, Diis gratia,
Et unde haec fiant, & adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hanc rem peccare ostendam. *De.*Hei mihi!
Pater esse disce ab illis, qui vere sciunt.
*Mi.*Natura tu illi pater es, consiliis ego.
*De.*Tun' consulis quidquam? *Mi.*Ah! si pergis, abiero.
*De.*Siccine agis? *Mi.*An ego toties de eadem re audiam?
*De.*Curae est mihi. *Mi.*Et mihi curae est: verum, Demea,
Curemus aequam uterque partem; tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. *De.*Ah! Micio.
*Mi.*Mihi sic videtur. *De.*Quid istuc? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
Jam si verbum unum posthac. *Mi.*Rursum Demea
Ira-

(27) *Illum tuum*. Ctesiphonem.
(29) *Te expectatum*. Te mortuum. Solent enim improbi filii mortem patris expectare & desiderare, ut liberius vivant. Vid. infra V.4. 20.
(30) *Alieniore*. Minus tempestiva.
(36) *Illi* &c. Illic [i. e. ubi is peccat] ego accipiam maximam partem damnorum.
(54) *Profundat*. Ironica permissio irati.
(55) *Posthac*. Sub. fecero. Aposiopesis.

Irascere? *De.*An non credis? repeton' quem dedi?
Aegre est: alienus non sum. Si obsto: hem! desino.
Unum vis curem: curo: & est Diis gratia,
Quom ita, ut volo, est: iste tuus ipse sentiet
Posterius: nolo in illum gravius dicere.
*Mi.*Nec nihil, neque omnia haec sunt, quae dicit: tamen
Non nihil molesta haec sunt mihi: sed ostendere,
Me aegre pati, illi nolui: nam ita est homo:
Cum placo, advorsor sedulo, & deterreo,
Tamen humane vix patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiae,
Insaniam profecto cum illo. Etsi Aeschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
„ Equidem illius deservisse adolescentiam
„ Credebam. Ecce autem de integro: nisi, quidquid est,
Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

(60) *Nolo* &c. Formula cohibendi iracundiam.

(63) *Ita est*. Morosus scil. & intractabilis.

(64) *Cum placo*. Ubi placare conor.

(70) *Nisi*. Idem ac *sed*. Ut apud Graecos εἰ μή. Vid. Andr. IV. 1. 35.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

SANNIO, AESCHINUS.

Aeschinus, Callidiam a Sannione abreptam, Micionis domum introducit.

OBsecro, populares ferte misero, atque innocenti auxilium:
Subvenite inopi. *Aes.*Otiose nunc jam illico consiste:
Quid respectas? nihil pericli est: nunquam, dum ego adero, hic te

Tan-

(2) *Otiose*. Callidiam timide a Sannione insequente, respectantem jubet esse securam.

Tanget. *Sa.* Ego iſtam inviti' omnibus.
Aeſ. Quanquam eſt ſceleſtus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.
Sa. Audi, Aeſchine, ne ignarum fuiſſe te dicas morum meûm,
„ Ego mercator ſum. *Aeſ.* Scio. *Sa.* At ita, ut uſquam fuit fide quiſquam optuma.
Tu quod te poſterius purges, nolle hanc injuriam mihi
Factam eſſe; hujus non faciam. crede hoc, ego meum jus perſequar:
Neque tu verbis ſolves unquam, quod re mihi malefeceris.
Novi ego veſtra haec: nollem factum: dabitur jusjurandum, eſſe te
Indignum injuria hac; indignis cum egomet ſim acceptus modis.
Aeſ. Abi prae ſtrenue, ac fores aperi. *Sa.* Ceterum hoc nihil facis.
Aeſ. I intro nunc jam. *Sa.* At enim non ſinam. *Aeſ.* Accede illuc, Parmeno,
Nimium abiiſti iſtoc, hic propter hunc aſſiſte. Hem! ſic volo,
Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos:
Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat.
Sa. Iſtuc volo ergo ipſum experiri. *Aeſ.* Hem! ſerva. Omitte mulierem.
Sa. O facinu' indignum. *Aeſ.* Geminabit, niſi caves. *Sa.* Hei miſero mihi.

Aeſ.

(4) *Iſtam*. Sub. abducam.

(13) *Abi*. Haec ad Parmenonem ſervum, qui aderat una ductans puellam.

(14) *I intro*. Fidicinam alloquitur.

(18) *Serva*. Hoc age, intuere me.

Omitte. Sannioni dicit mulierem abripienti.

[19] *O facinus*. Ita exclamat Sannio, cum ei mulierem non omittenti Parmeno pugnum impegiſſet, innuente Aeſchino.

Geminabit. Parmeno geminabit pugnum. Ad hanc vocem heri minitantis certe, non jubentis ferire, Parmeno tamquam juſſus iterum verberavit Sannionem:

*Aes.*Non innueram : verum in istam partem potius peccato tamen :
I nunc jam. *Sa.*Quid hoc rei est? regnum ne , Aeschine , hic tu possides?
*Aes.*Si possiderem , ornatus esses ex tuis virtutibus.
*Sa.*Quid tibi rei mecum est? *Aes.*Nihil. *Sa.*Quid? nostin', qui sim? *Aes.*Non desidero.
*Sa.*Tetigin' tui quidquam? *Aes.*Si attigisses, ferres infortunium.
*Sa.*Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. *Aes.*Ante aedeis non fecisse erit meliu' heic convicium :
Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere, atque ibi
Usque ad necem operiere loris. *Sa.*Loris liber? *Aes.*Sic erit.
*Sa.*O hominem impurum! Hiccine libertatem ajunt aequam esse omnibus?
„ *Aes.* Si sati' jam debacchatus es, si vis audi nunc, Sannio.
*Sa.*Egon' debacchatus sum autem , an tu in me? *Aes.*Mitte ista , atque ad rem redi.
*Sa.*Quam rem? quo redeam? *Aes.* Jam ne me vis dicere, quod ad te attinet?
„ *Sa.*Cupio, aequi modo aliquid. *Aes.*Vah! mango iniqua me non volt loqui.
„ *Sa.*Mango sum, fateor , pernicies communis adolescentium,
Perjurus, pestis: tamen tibi a me nulla est orta injuria.
*Aes.*Nam hercle etiam hoc restat. *Sa.*Illuc quaeso redi, quo coepisti, Aeschine.
*Aes.*Minis viginti tu illam emisti , quae res tibi vortat male;

Ar-

[20] *Verum* &c. Sensus est: potius verberato non jussus, quam contra.

[21] *I nunc*. Rursus ad fidicinam.

Hic. Scil. Athenis; ubi regis, & regni appellatio non minus odiosa erat, quam Romae; quippe quia utraque civitas erat Respubl.

[22] *Ornatus* &c. Sumtum a Plaut. Capt. V, 3. 10. ubi vide notas.

Argenti tantum dabitur. *Sa.* Quid, si ego illam nolo vendere,
Coges me? *Aes.* Minime. *Sa.* Namque id metui. *Aes.* Neque vendundam censeo,
Quae libera est: nam ego illam liberali assero caussa manu.
Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an caussam meditari tuam.
Agesis delibera hoc, dum ego redeo. *Sa.* Pro supreme Jupiter!
Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit, verberavit: me invito abduxit meam:
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi:
Ob malefacta haec tantidem emtam postulat sibi tradier.
Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat.
Age jam cupio, modo si argentum reddat. Sed ego haec hariolor.
Ubi me dixero dare tanti, testeis faciet illico,
Vendidisse me: de argento somnium: mox, cras redi.
Id quoque possum ferre, si modo reddat: quanquam injurium est.
Verum cogito id, quod res est. Quando eum quaestum occeperis,
Accipiunda, & mussitanda injuria adolescentium est.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.

[40] *Liberali caussa*. Directa actione legis, qua liberos homines alienare prohibetur, natalibus suis illam restituo in libertatem afferens, h. e. *assero manu*. Adi not. Plaut. Aulul. V. 1. 9.

SCENA SECUNDA.

SYRUS, SANNIO.

Syrus Aeschini servus persuadet Sannioni, ut oblatum ab hero pro Callidia pretium accipiat.

TAce, egomet conveniam jam ipsum: cupide accipiat jam faxo, atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Cum hero nescio quid concertasse? *Sa.* Nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quam haec hodie inter nos fuit.
Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.
*Sy.*Tua culpa. *Sa.*Quid agerem? *Sy.*Adolescenti morem gestum oportuit.
*Sa.*Qui potui melius? quin hodie usque os praebui. *Sy.* Age, scis quid loquar?
PECUNIAM in loco neglegere, maxumum interdum est lucrum. *Sa.*Hui!
*Sy.*Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paullulum,
Atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime;
Ne non tibi istuc foeneraret? *Sa.* Ego spem pretio non emo.
*Sy.*Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.
*Sa.*Credo istuc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.
*Sy.*Age, novi tuum animum: quasi quidquam tibi sint viginti minae,

Dum

[1] *Tace.* Egrediens Syrus alloquitur Aeschinum, qui intus est.

[7] *Os praebui.* Ut pugnis, & colaphis caederetur.

[15] *Quasi* &c. Quasi vero viginti minae tanti essent, ut eas malles, quam hero meo ad tempus obsequi.

Dum huic obsequare: praeterea autem te ajunt proficisci Cyprum. *Sa.* Hem!
Sy. Coëmisse hinc, quae illuc veheres, multa; navem conductam: hoc scio.
Animus tibi pendet? ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
Sa. Nusquam pedem. Perii hercle! hac illi spe hoc inceperunt. *Sy.* Timet:
Injeci scrupulum homini. *Sa.* O scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit. Emtae mulieres
Complures, & item hinc alia, quae porto Cyprum.
Ni eo ad mercatum venio, damnum maxumum est.
Nunc si hoc omitto, ubi illinc rediero, actum agam.
Nihil est, refrixerit res. Nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut hic manere tam diu, aut tum persequi.
Sy. Jam ne enumerasti id, quod ad te rediturum putes?
Sa. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Aeschinum?
Per oppressionem ut hanc mi eripere postulet?
Sy. Labascit. Unum hoc habeo: vide si satis placet:
Potius, quam venias in periculum, Sannio,
Serves ne, an perdas totum, dividuum face.
Minas decem corradet alicunde. *Sa.* Hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi.
Praeterea colaphis tuber est totum caput.
Etiam insuper defrudet? nusquam abeo. *Sy.* Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? *Sa.* Immo hercle hoc quaeso, Syre,
Ut ut haec sunt facta, potius, quam lites sequar,
Meum

[16] *Cyprum*. Insulam in mari Carpathio.

[18] *Hoc ages*. Ab Aeschino pecuniam exiges.

[19] *Nusquam pedem*. Sub. fero.

[21] *Articulo*. Momento temporis, quo ad mercatum navigandum mihi est.

[24] *Actum agam*. Nihil proficiam.

[25] *Nihil est*. Ita, qui rem desperant.

Nunc &c. Μίμησις eorum, quae aliquando objici poterant ab Aeschino.

[35] *Sorte*. *Sors* est caput, seu summa pecuniae, cui extrinsecus adquiritur foenus.

Meum mihi reddat, saltem quanti emta est. Syre,
Scio te non usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse, & gratum. *Sy.*Sedulo
Faciam. Sed Ctesiphonem video. Laetus est
,, De uxore. *Sa.*Quid, quod te oro? *Sy.*Paullisper mane.

SCENA TERTIA.

CTESIPHO, SYRUS.

Ctesipho de uxore sibi gratulatur, fratremque laudat.

ABs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimvero id demum juvat, si, quem aequom est facere, is bene facit.
O frater, frater, quid ego nunc te laudem? satis certo scio:
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua:
Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror,
Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.
*Sy.*O Ctesipho. *Ct.*O Syre, Aeschinus ubi est? *Sy.* Ellum, te expectat domi. *Ct.*Hem!
*Sy.*Quid est? *Ct.*Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo: festivum caput!
Omnia sibi qui post putarit esse prae meo commodo,
,, Maledicta, famam, peccatum, omne periculum in se transtulit,
Nihil pote supra. Sed quidnam fores crepuit? *Sy.*Mane mane, ipse exit foras.

SCENA QUARTA.

Aeschinus, Sannio, Ctesipho, Syrus.

Fratres sibi mutuo gratulantur: pretium Sannioni solvitur.

UBi ille est sacrilegus? *Sa.* Me quaerit. Num quidnam effert? occidi:
Nil video. *Aes.* Ehem! opportune: te ipsum quaerito: quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte vero tristitiam tuam.
Ct. Ego illam vero omitto, qui te fratrem habeam quidem. O mi Aeschine,
O mi germane, ah vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes.
Aes. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
,, Verum ecquid ait tandem nobis Sannio? *Sy.* Jam mitis est.
,, *Aes.* Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam: tu intro abibis, Ctesipho.
Sa. Syre, insta. *Sy.* Eamus: namque hic properat in Cyprum. *Sa.* Ne tam quidem,
Quamvis etiam maneo otiosus hic. *Sy.* Reddetur, ne time,
Sa. At ut omne reddat. *Sy.* Omne reddet, tace modo, ac sequere hac. *Sa.* Sequor.
Ct. Heus! heus! Syre. *Sy.* Hem! quid est? *Ct.* Obsecro hercle hominem istum impurissimum
Quam primum absolvitote, ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.

,, *Sy.*

[1] *Quidnam*. Argenti, pretii.
[6] *Assentandi*. Sub. caussa.
[9] *Absolvam*. Argentum huic persolvam.
[10] *Ne tam*. Sub. propero.
[11] *Quamvis*. Quantumvis hic ego otiosus expectabo.

,, *Sy.* Non fiet: bono animo es. Tu nos intus expecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, & parari cetera.
Ego jam transacta re convortam me domum cum obsonio.
Ct. Ita quaeso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

Geta narrat Sostratae, alteram ab Aeschino ductam esse uxorem: Hegionem de ea re quamprimum monere statuunt.

NUnc illud est, quod, si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quaerant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeque herili est. Vae misero mihi,
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest,
,, Hujus egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hoccine seclum? o scelera! o genera sacrilega! o hominem impium!
So. Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum & properantem Getam?

Ge.

[1] *Illud quod*. Illud tempus, quum.

[4] *Circumvallant*. Translatio a castris obsidione cinctis.

[5] *Hujus*. Herilis filiae.

Injustitia. Injuria ab Aeschino accepta.

Solitudo. A defensoribus.

Infamia. Ab iis, qui illam ab Aeschino derelictam, & Calidiae posthabitam scient.

(6) *Hoccine seclum*. O tempora! o mores!

Ge. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque ulla misericordia
„ Repressit, neque reflexit, neque quod natus ab ea est filius
„ Quam miseram olim duxit ille uxorem. *So.* Non intellego
Satis, quae loquatur. *Ca.* Propius obsecro accedamus, Sostrata. *Ge.* Ah!
Me miserum! vix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam totam familiam dari mihi obviam,
Ut iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens:
Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis.
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam:
Adolescenti ipsi oculos eriperem, post haec praecipitem darem:
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem.
Sed cesso hoc malo heram impertiri propere? *So.* Revocemus. Geta. *Ge.* Hem!
Quisquis es; sine me. *So.* Ego sum Sostrata. *Ge.* Ubi ea est? te ipsam quaerito:
Te expecto: oppido opportune te obtulisti mi obviam,
Hera. *So.* Quid est? quid trepidas? *Ge.* Hei mihi. *So.* Quid festinas, mi Geta?

Ani-

(16) *Seni*. Demeae. *Extinguerem*. Bene: nam & ipsam animam, seu vitam *lumen* & *flammulam* dicebant. Vide Virg. Aen. VI. 730.

(18) *Sublimem*. Adi ea, quae notavimus in And. V. 2. 19.

(21) *Caeteros*. Scelerum duces. *Ruerem*. Impellerem. Dominatur autem in hoc versu rabiosa littera canina.

Animam recipe. *Ge.*Prorsu'. *So.*Quid istuc prorsus ergo est? *Ge.*Periimus:
Actum est. *So.*Eloquere ergo, obsecro te, quid sit. *Ge.* Jam. *So.* Quid jam, Geta?
*Ge.*Aeschinus. *So.*Quid ergo is? *Ge.*Alienu' est ab nostra familia. *So.*Hem!
,, Perii! quare? *Ge.*Uxorem duxit aliam. *So.*Vae miserae mihi!
,, *Ge.*Neque id occulte fert: a mangone ipsus eripuit palam.
*So.*Satin' hoc certum? *Ge.*Certum. Hisce oculis egomet vidi, Sostrata. *So.*Ah!
Me miseram! quid credas jam? aut cui credas? nostrum ne Aeschinum?
Nostram vitam omnium? in quo nostrae spes, opesque omnes sitae erant,
Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem,
,, Qui in sui gremio patris gaudebat puerum ponere.
*Ge.*Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opu', porro prospice.
Patiamur ne, an narremus cuipiam? *Ca.* Au! au! mi homo, sanun' es?
An hoc proferendum tibi usquam esse videtur? *Ge.*Mihi quidem non placet.
Jam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio;
Tua fama, & gnatae vita in dubium veniet. Tum si maxume
,, Fateatur, cum aliam habeat; non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. *So.*Ah minime gentium:
Non faciam. *Ge.* Quid ages? *So.* Proferam. *Ge.* Hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.
*So.*Pejore res loco non potis est esse, quam in hoc, quo nunc sita est.
,, Tu agedum, quantum potest, abi,

At-

(26) *Animam* &c. Respira. ba continuare nequit. Servus enim prae anhelitu ver-

Atque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus, & nos coluit maxume.
Ge. Nam hercle alius nemo respicit.

(48) *Simulo*. Marito meo, patrique Pamphilae.

SCENA SECUNDA.

DEMEA, SYRUS.

Demea rure in urbem veniens in Syrum incidit, a quo facete illuditur.

Disperii! Ctesiphonem audivi filium
Una fuisse in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam abducere.
„ Ubi eum quaeram? nam, quo abductus sit, nescio.
Sed eccum ire Syrum video: hinc scibo jam, ubi siet.
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quaeritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam id me velle. *Sy.* Omnem rem modo seni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quidquam vidi laetius. *De.* Pro Jupiter!
Hominis stultitiam! *Sy.* Collaudavit filium:
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
De. Disrumpor. *Sy.* Argentum adnumeravit illico:
Dedit praeterea in sumtum dimidium minae:
Id distributum sane est ex sententia. *De.* Hem!
Huic mandes, si quid recte curatum velis.

Sy.

(4) *Rei est*. Sub. idoneus, h. e. homo frugi.
(6) *Hinc scibo*. Ex hoc sciam.
(7) *Grege illo*. Eodem contubernio; sodalitio.
(9) *Seni*. Mitioni.
(14) *Argentum*. Intelligit viginti minas Sannioni datas pro Callidia.
(15) *Dedit in sumtum*. Dedit mihi, & conservis ut sumtus faceremus.
(16) *Id* &c. Ea pecunia dispertita est a nobis in diversa pulmentaria, puta, pisces, salsamenta &c. & quidem *ex sententia* i. e. ut voluimus.
(17) *Huic mandes*. Εἰρωνεία.

Sy. Hem Demea, haud aspexeram te: quid agitur?
De. Quid agatur? vostram nequeo mirari satis
Rationem. *Sy.* Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Absurda. Pisces ceteros purga, Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Tantisper: ubi ego rediero, exossabitur:
Prius nolo. *De.* Haeccine flagitia? *Sy.* Mihi quidem non placent:
Et clamo saepe. Salsamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *De.* Dii vostram fidem!
Utrum studio ne id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? vae misero mihi!
Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. *Sy.* O Demea,
ISTUC est sapere, non quod ante pedes modo est,
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere. *De.* Quid? istaec jam penes vos psaltria est?
„ *Sy.* Ellam intus. *De.* Eho, an illam est ducturus? *Sy.* Credo, ut est
Dementia. *De.* Haeccine fieri? *Sy.* Inepta lenitas
Patris, & facilitas prava. *De.* Fratris me quidem
Pudet, pigetque. *Sy.* Nimium inter vos, Demea, ac
Non, quia ades praesens, dico hoc, pernimium interest.
Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille somnium. Sineres vero illum tu tuum
Facere haec? *De.* Sinerem illum! an non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperit?
Sy. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *De.* Sic siet
Modo, ut nunc est. *Sy.* UT QUISQUE suum volt esse, ita est.
De. Quid eum? vidistin' hodie? *Sy.* Tuum ne filium?
Abigam hunc rus. jamdudum aliquid ruri agere arbitror.

De.

(20) *Rationem*. Agendi modum.
Ne dicam dolo. Ne mentiar.
(21) *Purga*. Desquama, exentera. Haec autem ad conservos dicit; & quasi πάρεργως Demeam alloquitur.

(27) *Utrum* &c. Nescio dedita ne opera facere id studet, an &c.
(45) *Eum*. Ctesiphonem.
(46) *Abigam* &c. Haec secum, & aversus.

P

De. Sati' scis ibi esse ? *Sy.* Oh ! quem egomet produxi.
De. Optume est.
Metui, ne haereret hic. *Sy.* Atque iratum admodum.
De. Quid autem ? *Sy.* Adortus jurgio fratrem apud forum
De psaltria istac. *De.* Ain' vero ? *Sy.* Vah ! nil reticuit:
Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso: coepit clamare: Aeschine,
Haeccine flagitia facere te ? haec te admittere
Indigna genere nostro ? *De.* Oh ! lacrumo gaudio.
Sy. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.
De. Salvos sit, spero: est similis majorum suûm. *Sy.* Hui!
De. Syre, praeceptorum plenus istorum ille. *Sy.* Phy !
Domi habuit, unde disceret. *De.* Fit sedulo:
Nil praetermitto: consuefacio: denique
INSPICERE, tamquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito. *Sy.* Recte sane. *De.* Hoc fugito. *Sy.* Callide.
De. Hoc laudi est. *Sy.* Istaec res est. *De.* Hoc vitio datur.
Sy. Probissume. *De.* Porro autem. *Sy.* Non hercle otium est
Nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio est:
Nam id nobis tam flagitium est, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quae modo dixti: &, quod queo,
Conservis ad eundem istunc praecipio modum.
Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum,
Illud recte: iterum sic memento: sedulo
Moneo, quae possum pro mea sapientia:
Postremo, tamquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo, & moneo quid facto usu' sit.
Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio:
Verum quid facias ? UT HOMO est, ita morem geras.
Numquid vis ? *De.* Mentem vobis meliorem dari.
Sy. Tu rus hinc ibis ? *De.* Recta. *Sy.* Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene praecipias, nemo obtemperet ?
De. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,

Rus

(56) *Hui !* Mirantis est, ut etiam *Phy.*

(58) *Habuit.* Te scil. praeceptorem, a quo &c.

Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet:
Quando ita volt frater, de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, quem video procul? est ne hic Hegio
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle est. Vah!
Homo amicu' nobis jam inde a puero. Dii boni!
Nae illiusmodi jam magna nobis civium
Penuria est. Antiqua homo virtute ac fide.
Haud scio mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video. Vah! vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem, & conloquar.

(88) *Haud scio* &c. Testimonium vitae Hegionis, qui nunquam obfuit Reip.

SCENA TERTIA.

Hegio, Geta, Demea.

Ab Hegione certior fit Demea de nuptiis Aeschini cum Pamphila.

PRo Dii immortales! facinus indignum! Geta.
Quid narras? *Ge.* Sic est factum. *He.* Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? o Aeschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. *De.* Videlicet
De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater id nihili pendit: hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret haec.
He. Ni facient, quae illos aequom est, haud sic auferent.
Ge. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est:
Te solum habemus; tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu, periimus. *He.* Cave dixeris:
Nec faciam, neque me satis pie posse arbitror.
De. Adibo. Salvere Hegionem plurimum

Ju-

(4) *Haud paternum*. Non ad exemplum patris.

(6) *Pater*. Micio, qui illum adoptaverat.

(11) *Senex*. Simulus Pamphilae pater.

Jubeo. *He.* Oh! Te quaerebam ipsum. salve, Demea.
De. Quid autem? *He.* Major filius tuus Aeschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium viri est.
De. Quid istuc? *He.* Nostrum amicum noras Simulum, atque
Aequalem? *De.* Quid ni? *He* Filiam ejus Aeschinus
,, Uxorem duxit: mensis hic jam decimus est.
,, *De.* Hem! clam me? *He.* Maneas, nondum audisti, Demea,
Quod est gravissumum. *De.* An quid etiam amplius?
He. Vero amplius: nam hoc quidem ferendum aliquo modo est.
Ille bonus vir nobis psaltriam, si Diis placet,
Paravit, quicum vivat, illam deserit.
De. Pro certon' tu istaec dicis? *He* Mater virginis
In medio est, ipsa virgo, res ipsa: hic Geta
Praeterea, ut captus est servorum, non malus,
Neque iners, alit illas, solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci; quaere rem.
Ge. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:
Postremo non negabit, coram ipsum cedo.
,, *De.* Pudet; nec, quid agam, aut huic respondeam, scio.
He. Illaec fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
Haec primum ut fiant, Deos quaeso, ut vobis decet.
Sin aliter animus voster est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: una a pueris parvoli
Sumus educti: una semper militiae, & domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? *De.* Fratrem conveniam, Hegio;
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
He. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis, quam estis maxume

(33) *Cedo*. Da, siste eum praesentem.

(43) *Experiar*. Litem intendam.

(48) *Facillime*. In otio & opulentia vitam agitis.

Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume vos aequo animo aequa noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
De. Redito: fient, quae fieri aequom est, omnia.
He. Decet te facere: Geta, duc me intro ad Sostratam.
De. Non me indicente haec fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum: verum nimia illaec licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, requiram fratrem, ut in eum haec evomam.

(54) *Non me indicente*. Idem est ac *me praedicente*. Vid. sup. I. 2. v. 17. & 59.

SCENA QUARTA.

HEGIO

Sostratam solatur.

BOno animo fac sis, Sostrata; & istam, quam potes,
Fac consolere. Ego Micionem, si apud forum est,
Conveniam, atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, ut facturus officium siet suum,
Faciat: sin aliter de hac re ejus sententia est;
Respondeat mi, ut, quid agam, quamprimum sciam.

[4] *Si est* &c. Vid. not. Phor. II. 1. 40.

ACTUS QUARTI
SCENA PRIMA.

Ctesipho, Syrus.

Syrus Ctesiphonem sollicitum quid patri respondeat, perbelle informat.

Ain' patrem hinc abiisse rus? *Sy.* Jamdudum. *Ct.* Dic sodes. *Sy.* Apud
Villam est. Nunc cum maxume operis aliquid facere credo. *Ct.* Utinam quidem,
Quod cum salute eju' fiat, ita se defatigarit, velim,
Ut triduo hoc perpetuo e lecto prorsus nequeat surgere.
Sy. Ita fiat, & istoc si quid potis est rectius. *Ct.* Ita: nam hunc diem
Misere nobis perpetuum, ut coepi, cupio in laetitia degere;
Et illud rus nulla alia caussa tam male odi, nisi quia prope est.
Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc, ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio:
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? *Sy.* Nihil ne in mentem? *Ct.* Nunquam quidquam. *Sy.* Tanto nequior.

Cliens,

(3) *Quod* &c. Εὐφημισμός, quem pietas expressit, ne durior videretur imprecatio.

Velim. Abundat post *utinam*.

(5) *Et istoc* &c. Donato videtur Syrus per haec verba, non mortem Demeae, sed plus temporis optasse languori.

Rectius. Ἀντίφρασις. pro *pejus*. Ita contra *deterius* pro *melius* usurpat Plautus Capt. III. 5. 80.

(12) *Tanto nequior*. V. Heau. III. 2. 36.

Cliens, amicus, hoſpes nemo eſt vobis? *Ct.*Sunt; quid poſtea?
*Sy.*Hiſce opera ut data ſit. *Ct.*Quae non data ſit? non poteſt fieri. *Sy.*Poteſt.
*Ct.*Interdiu; ſed ſi hic pernocto, cauſſae quid dicam, Syre?
*Sy.*Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari.
Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placitum, quam ovem reddo. *Ct.*Quomodo?
*Sy.*Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum;
Virtutes narro. *Ct.*Meas? *Sy.* Tuas: homini illico lacrumae cadunt,
Quaſi puero, gaudio. Hem! tibi autem. *Ct.* Quidnam eſt? *Sy.*Lupus in fabula.
*Ct.*Pater adeſt? *Sy.*Ipſu'ſt. *Ct.*Syre, quid agimus?
*Sy.*Fuge modo intro: ego videro.
*Ct.*Si quid rogabit, nuſquam tu me; audiſtin'? *Sy.*Potin' ut deſinas?

(18) *Fervit*. Ira accenſus.
(21) *Lupus* &c. Proverbium; per quod ſilentium indicimus, quoties intervenit is, de quo ſermo eſt. Obmuteſcere quippe creditum, quos prior viderit lupus. Vid. Servium ad Virg. Ecl. IX. v. 54.

SCENA SECUNDA.

DEMEA, CTESIPHO, SYRUS.

Demeam de filio rogantem Syrus ludificatur, atque alio procul abigit ad quaerendum Micionem.

NAe ego homo ſum infelix! Primum fratrem nuſquam invenio gentium;
Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat eſſe rure; nec, quid agam, ſcio.
*Ct.*Syre! *Sy.*Quid ais? *Ct.*Men' quaerit? *Sy.*Verum. *Ct.* Perii! *Sy.*Quin tu animo bono es.
*De.*Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo ſatis decernere;

 Niſi

Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuncio: aegre solus, si quid fit, fero.
*Sy.*Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.
*De.*Nunc redeo: si forte frater redierit, viso. *Ct.*Syre,
Obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat. *Sy.* Etiam taces?
Ego cavebo. *Ct.*Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.
Nam me in cellam aliquam concludam: id tutissimum est.
*Sy.*Age, tamen ego hunc amovebo. *De.*Sed eccum sceleratum Syrum.
*Sy.*Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini. Quae haec est miseria? *De.*Quid
Ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? hem, est frater domi?
*Sy.*Quid, malum, bone vir mihi narras? equidem perii. *De.*Quid tibi est?
*Sy.*Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istam psaltriam
Usque occidit. *De.* Hem, quid narras? *Sy.* Hem, vide ut discidit labrum.
*De.*Quamobrem? *Sy.*Me impulsore hanc emtam esse ait. *De.*Non tu eum rus hinc modo
Produxe ajebas? *Sy.* Factum; verum post venit insaniens;
Nil pepercit. Non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
*De.*Laudo, Ctesipho; patrissas: abi, virum te judico.
*Sy.*Laudas? nae, ille continebit posthac, si sapiet, manus.
De.

(8) *Obnuncio.* *Obnunciare* dicuntur, qui malam rem nuntiant; contra *annunciare*, qui bonam. Sumtum ab auspiciis.

(15) *Durare*. Diutius manere, perferre.

(20) *Labrum*. Haec dicens os sibi distorquet, & Demeam parum videre credit.

(25) *Abi*. Euge. Ubi enim laudabant, *abi* dicebant. Ita infra V. 1. 3.

De. Fortiter. *Sy.* Perquam! quia miseram mulierem & me servolum,
Qui referire non audebam, vicit, hui, perfortiter!
De. Non potuit melius; idem quod ego sensit, te esse huic rei caput.
Sed est ne frater intus? *Sy.* Non est. *De.* Ubi illum quaeram, cogito.
Sy. Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. *De.* Hem quid ais? *Sy.* Ita.
De. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. *Sy.* At nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi ubi sit. *De.* Dic ergo locum.
Sy. Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum? *De.* Quid ni noverim?
Sy. Praeterito hac recta platea sursum; ubi eo veneris,
Clivos deorsum vorsus est, hac praecipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.
De. Quonam? *Sy.* Illic, ubi etiam caprificu' magna est. *De.* Novi. *Sy.* Hac pergito.
De. Id quidem angiportum non est pervium. *Sy.* Verum hercle. Vah!
Censen' hominem me esse? erravi, in porticum rursum redi.
Sane hac multo propius ibis, & minor est erratio.
Scin' Cratini hujus ditis aedes? *De.* Scio. *Sy.* Ubi eas praeterieris,
Ad sinistram hac recta platea; ubi ad Dianae veneris,
Ito ad dextram: prius, quam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, & exadvorsum est fabrica, ibi est. *De.* Quid ibi facit?
Sy. Lectulos in sole iligneis pedibus faciundos dedit,
Ubi potetis vos. *De.* Bene sane. Sed cesso ad eum pergere?

Sy.

(34) *Nostin'*. Perplexa & intricata loci descriptio, quo deludat senem.

(37) *Propter*. Prope.

(43) *Ad Dianae.* Sub templum.

(46) *In sole*. Solebant enim veteres in solariis apricari, nec non sub sole, & dio coenare.

Sy. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Aeschinus odiose cessat; prandium corrumpitur:
„ At ego jam prospiciam mihi.
Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paullatim hunc producam diem.

(48) *Silicernium.* Ita senem decrepitum appellabant, quod ejus caussa brevi futurum esset epulum sepulcrale, i. e. *silicernium*. Quae quidem vox doctissimo Mazochio videtur composita a שאול [sheol *sepulcrum*] & *coena*. Vide Vossii Etymol. cum Mazochio.

SCENA TERTIA.

MICIO, HEGIO.

Hegio postquam Micionem de Aeschini nuptiis cum Pamphila certiorem fecisset, ab eo exorat ut Sostratam adeat, & consoletur.

EGo in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo;
Nisi si in illo me credidisti esse hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri injuriam, ultro si, quam fecere ipsi, expostulant;
Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agi' gratias?
He. Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas; Micio;
Atque istaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri,

Su-

(4) *Ultro si.* Si quis *ultro* [i. e. contra] expostulat, & accusat injuriam, quam ipsi fecere.

Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, & illam psaltriam.
*Mi.*Si ita aequom censes, aut si ita opus est facto, eamus. *He.*Bene facis;
Nam & illi animum jam relevabis, quae dolore, ac miseria
Tabescit; & tu officio fueris functus. Sed si aliter putas,
Egomet narrabo, quae mihi dixti. *Mi.*Imo ego ibo. *He.* Bene facis:
OMNES, quibu' res sunt minu' secundae, magi' sunt nescio quomodo
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam impotentiam, se semper credunt neglegi.
Quapropter te ipsum purgare ipsis coram, placabilius est.
*Mi.*Et recte, & verum dicis. *He.*Sequere me ergo hac intro. *Mi.*Maxume.

SCENA QUARTA.

AESCHINUS

Dolet se in suspicionem Sostratae venisse, quod Callidiam emendo, Pamphilam deseruisse videretur.

DIscrucior animi. Hoccine de improviso mali mihi objici
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit: pectore
Consistere nihil consilii quicquam potest. Vah! quomodo
Me ex hac turba expediam? tanta nunc suspicio de me incidit.
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me emisse hanc psaltriam:
Anus indicium id fecit mihi.
„ Nam forte eam modo vidi, illico
„ Accedo, rogito, Pamphila quid agat. Illa exclamat: abi, Aeschine;
Satis diu dedisti verba, sat adhuc tua nos frustrata est fides.

„ Hem,

„ Hem! quid istuc obsecro, inquam, est? valeas, habeas tecum psaltriam.
Sensi illico id illas suspicari; sed me repressi tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam ne fratris esse hanc? quod minime est opus
Usquam efferri. Age, mitto; fieri potis est, uti ne qua exeat.
Ipsum id metuo uti credant: tot concurrunt verisimilia.
Egomet rapui: ipse egomet solvi argentum; ad me abducta est domum.
Haec adeo mea culpa fateor fieri. Non me hanc rem patri, ut ut
Erat gesta, indicasse: exorassem ut eam ducerem domum.
Cessatum est usque adhuc; nunc porro, Aeschine, expergiscere;
Nunc hoc primum est; ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi fores pultare hasce occipio miser.
Heus, heus: Aeschinus ego sum, aperite aliquis actutum ostium.
Prodit nescio quis, concedam huc.

(15) *Age, mitto* &c. Sed esto; fieri potest, ne divulgetur.
(18) *Hanc rem*. Meas cum Pamphila nuptias.
Patri. Micioni.
(23) *Aperite aliquis*. Σύλληψις. pro *aliquis e vobis aperiat*.

SCENA QUINTA.

MICIO, AESCHINUS.

Micio Sostratae domo egrediens in Aeschinum incidit, eumque, postquam belle illusisset, Pamphilam uxorem arcessere jubet.

ITa uti dixi, Sostrata,
Facite: ego Aeschinum conveniam, ut, quo modo acta haec sunt, sciat.

Sed

Sed quis ostium hoc pultavit? *Aes.* Pater hercle est: perii! *Mi.* Aeschine.
Aes. Quid huic hic negoti est? *Mi.* Tu ne has pepulisti fores? tacet.
Cur hunc aliquantisper non ludo? melius est.
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nil mihi respondes? *Aes.* Non equidem istas, quod sciam.
Mi. Ita? nam mirabar quid hic negoti esset tibi.
Erubuit: salva res est. *Aes.* Dic sodes, pater,
Tibi vero quid istic est rei? *Mi.* Nihil mihi quidem.
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. *Aes.* Quid? *Mi.* Ego dicam tibi.
Habitant hic quaedam mulieres pauperculae:
Opinor eas non nosse te, & certe scio;
„ Neque enim diu huc commigrarunt. *Aes.* Quid tum postea?
Mi. Virgo est cum matre. *Aes.* Perge. *Mi.* Haec virgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus;
Huic leges cogunt nubere hanc. *Aes.* Perii! *Mi.* Quid est?
Aes. Nil: recte: perge. *Mi.* Is venit, ut secum avehat;
Nam habitat Mileti. *Aes.* Hem, virginem ut secum avehat?
Mi. Sic est. *Aes.* Miletum usque obsecro? *Mi.* Ita. *Aes.* Animo male est.
Quid ipsae? quid ajunt? *Mi.* Quid illas censes? nihil enim.
Commenta mater est, esse huic alium virum
Nescio quem, neque eum nominat:
Priorem esse illum, non oportere huic dari.
Aes. Eho, non ne haec justa tibi videntur postea?
Mi. Non. *Aes.* Obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?
Mi. Quidni illam abducat? *Aes.* Factum a vobis duriter,
Im-

(18) *Leges*. Lex enim Solonis haec fuit: *Orbae, qui sunt genere proximi, eis nubunto: aut ii orbis dotem danto.*

(20) *Mileti*. Urbs est in Caria.

(21) *Animo male est*. Discrucior. Haec autem tacitus, ut & supra, *perii*.

(25) *Huic*. Homini Milesio.

Immisericorditerque, atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
Mi. Quam ob rem? *Aes.* Rogas me? quid illi tandem creditis
,, Fore animi misero, qui prior illam duxerit;
Cum hanc sibi videbit praesens praesenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater!
Mi. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? *Aes.* An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? haec, mi pater,
Te dicere equom fuit, & id defendere.
Mi. Ridicule. advorsum ne illum caussam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed quid, Aeschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. Quid est?
Quid lacrumas? *Aes.* Pater obsecro, ausculta. *Mi.* Aeschine, audivi omnia,
Et scio; nam amo te: quo magis, quae agi', curae sunt mihi.
Aes. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *Mi.* Credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale; sed vereor, ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
,, Uxorem clam me patre es ausus ducere,
Jam id peccatum primum magnum. At postquam evenit, cedo,
,, Numquid mihi dixisti? si te ipsum mihi puduit dicere;
Qua rescisceream? haec dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti te, & illam miseram, & gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos Deos?

,, Et

(37) *Sedere*. Proprie dicitur de virginibus, quae conditionem non reperiunt.

(50) *In qua* &c. Oblitus ne es de Athenis vivere?

„ Et eam sine tua opera iri deductum domum.
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo.
„ Bono animo es, ea deducetur domum. *Aes.*Hem! *Mi.* Bono animo es, inquam. *Aes.*Pater,
Obsecro! num ludis tu nunc me? *Mi.*Ego te? quamobrem? *Aes.*Nescio:
Nisi, quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
*Mi.*Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem accersas: abi.
*Aes.*Quid? jam ne uxorem? *Mi.*Jam. *Aes.*Jam? *Mi.*Jam quantum potest. *Aes.*Di me, pater,
Omnes oderint, ni magi' te, quam oculos nunc amo meos.
„ *Mi.* Per quam benigne. *Aes.* Quid? ille ubi est Milesius?
Mi. Abiit, periit, navem ascendit: sed cur cessas? *Aes.* Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certe scio,
Quo vir melior multo es, quam ego sum, obtemperaturos magis.
*Mi.*Ego eo intro, ut, quae opu' sunt, parentur: fac tu ut dixi, si sapis.
*Aes.*Quid hoc negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?
Si frater, aut sodalis esset, qui magi' morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem!
Itaque adeo magnam mi injecit sua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit. Sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet sim?

(71) *Qui magi'*. Quomodo mihi magis indulgeret?

(73) *Commoditate*. Facilitate, & obsequio in me.

SCENA SEXTA.

DEMEA

Non invento per urbem Micione, domum ipsius redit.

DEfessus sum ambulando. Ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Jupiter.

Per-

Perreptavi usque omne oppidum ad portam, ad lacum,
Quo non? neque fabrica ulla erat, neque fratrem homo
Vidisse ajebat quisquam. Nunc vero domi
Certum obsidere est, usque donec redierit.

SCENA SEPTIMA.

MICIO, DEMEA.

Demeam ob Aeschini nuptias furentem
Micio placare conatur.

IBo, illis dicam nullam esse in nobis moram.
*De.*Sed eccum ipsum. Te jamdudum quaero, Micio.
*Mi.*Quidnam? *De.*Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. *Mi.*Ecce autem. *De.*Nova,
Capitalia. *Mi.* Ohe, jam. *De.*Ah! nescis qui vir siet.
*Mi.*Scio.
*De.*O stulte, tu de psaltria me somnias
Agere; hocce majus peccatum fuit. *Mi.*Scio.
De. Ohe, scis, & patere? *Mi.* Quid ni patiar? *De.* Dic mihi,
Non clamas? non insanis? *Mi.*Non. Malim quidem.
*De.*Puer natus est. *Mi.*Dii bene vortant. *De.*Virgo nihil habet.
*Mi.*Audivi. *De.*Et ducenda indotata est? *Mi.* Scilicet.
*De.*Quid nunc futurum est? *Mi.*Id enim, quod res ipsa fert;
Illinc huc transferetur virgo. *De.*O Jupiter!
Istoccine pacto oportet? *Mi.*Quid faciam amplius?
*De.*Quid facias? Si non ipsa re tibi dolet,
Simulare certe est hominis. *Mi.*Quin jam virginem
Despondi: res composita est: fiunt nuptiae:
Demsi metum omnem: haec magis sunt hominis. *De.* Ceterum
Placet tibi factum, Micio? *Mi.*Non, si queam
Mutare: nunc, cum non queo, aequo animo fero.

ITA

(7) *Majus peccatum*. Intelligit Aeschini nuptias cum Pamphila latenter factas.
(9) *Insanis*. Expostulas.

Malim quidem. Sub. mutare, si queam. quae verba Micio non addidit, sermonem abrumpente Demea.

Ita vita est hominum, quasi, cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est. jactu, non cadit;
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
*De.*Corrector! nempe tua arte viginti minae
Pro psaltria periere; quae, quantum potest,
Aliquo abjicienda est, si non pretio, at gratiis.
*Mi.*Neque est, neque illam sane studeo vendere.
De. Quid igitur facies? *Mi.* Domi erit. *De.* Pro divûm fidem!
,, Cnm psaltria matersfamilias una in domo?
Mi. Cur non? *De.* Sanum te credis esse? *Mi.* Equidem arbitror.
*De.*Ita me Dii ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
*Mi.*Cur non? *De.*Et nova nupta eadem haec discet? *Mi.* Scilicet.
*De.*Tu inter eas restim ductans saltabis. *Mi.*Probe. *De.* Probe?
*Mi.*Et tu nobiscum una, si opus sit. *De.*Hei mihi!
Non te haec pudent? *Mi.*Jam vero omitte, Demea,
Tuam istanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum, ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam, post huc redeo. *De.*O Jupiter!
Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?
Uxor sine dote veniet; intus psaltria est:
Domu' somtuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

[22] *Si illud* &c. Intelligit felicem jactum tesserarum.

[23] *Illud, quod* &c. Hic autem infelicem, seu ludentibus damnosum.

Forte. Adversa forte.

Id arte &c. Caesar de B. C. III. 73. *Si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam*. Hic vero animadvertendum censeo, ludum, quo de agitur, tesserarum simul & calculorum esse (διαγραμμισμόν antiquitus appellatum) ubi nimirum hisce ad illarum jactum dispositis luditur, atque ars & fortuna inter se certant. Qui plura velit, adeat Bulengerum in de Lud. Vet.

[34] *Saltabis*. Funem manu tenens saltansque, praeibis illis eundem funem tenentibus, itemque saltantibus. Id autem saltationis genus meminit & Livius XXVII. 37. *Per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt*.



ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

SYRUS, DEMEA.

Syrus bene potus & pransus domo Aeschini prodit, atque a Demea deprehenditur.

EDepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum:
Abi! Sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. *De.*Illud sis vide
Exemplum disciplinae. *Sy.*Ecce autem hic adest
Senex noster. Quid fit? quid tu es tristis? *De.*Oh! scelus.
*Sy.*Ohe! jam: tu verba fundis hic sapientia?
*De.*Tun'? si meus esses. *Sy.*Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. *De.*Exemplum omnibus,
Curarem, ut esses. *Sy.*Quamobrem? quid feci? *De.*Rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus!
Quasi re bene gesta. *Sy.*Sane nollem huc exitum.

[1] *Syrisce*. Servus bene potus sibi ipse blanditur ὑποκοριστικῷ sui nominis formula.

[5] *Disciplinae*. Quae nim. viget domi Micionis. Per *disciplinam* autem intellige *vivendi modum*.

(7) *Jam*. Sub. desine.

Fundis. Perdis. Aliter id expressum sup. III. 2. 78.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Dromo, Syrus, Demea.

Demea Ctesiphonem nominari audiens a Dromone, domum Micionis irrumpit; ibique rescit, filium duxisse uxorem Callidiam.

HEus! Syre; rogat te Ctesipho ut redeas. *Sy.* Abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? *Sy.* Nihil. *De.* Eho carnufex,
Est Ctesipho intus? *Sy.* Non est. *De.* Cur hic nominat?
Sy. Est alius quidam parasitaster parvolus,
Nostin'? *De.* Jam scibo. *Sy.* Quid agis? quo abis? *De.* Mitte me.
Sy. Noli inquam. *De.* Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? *Sy.* Abit.
Edepol commissatorem haud sane commodum,
Praesertim Ctesiphoni. Quid ego nunc agam?
Nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi. Sic agam.

[1] *Rogat* &c. Quod Syrus diu celarat, Dromo ebrius prodit.

[6] *Mastigia*. Commune servorum nomen, a μάστιξ *flagellum*; ut etiam *verbero* a *verberibus*; quia servi flagris & verberibus nati viderentur.

[7] *Abit*. Evasit mihi e manibus, atque intro irrupit.

[8] *Commissatorem* &c. Convivam ingratum.

[11] *Edormiscam*. Dormiendo decoquam crapulam hanc ex vino.

Villi. Ὑποκόρισμα est *vini*.

SCENA TERTIA.

Micio, Demea.

Jurgium inter Micionem & Demeam propter Ctesiphonis nuptias.

PArata à nobis sunt, ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. Quisnam a me pepulit tam graviter fores?
*De.*Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?
O Coelum, o Terra, o Maria Neptuni. *Mi.*Hem tibi!
Rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet:
Paratae lites: succurrendum est. *De.*Eccum adest
Communis corruptela nostrûm liberûm.
*Mi.*Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
*De.*Repressi, redii, mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. Dictum hoc inter nos fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum. Responde. *Mi.*Factum est, non nego.
*De.*Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
„ Cur emis uxorem, Micio? nam qui minus
Mihi idem jus aequom est esse, quod mecum est tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
*Mi.*Non aequom dicis, non: nam vetus verbum hoc quidem est,
Communia esse amicorum inter se omnia.
*De.*Facete: nunc demum istaec nata oratio est.
*Mi.*Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet, sumtum filii
Quem faciunt, quaeso facito haec tecum cogites,
Tu illos duo olim pro re tolerabas tua,
Quod sati' putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Con-

[2] *Ubi vis*. Sub. adducito filiam. Ἀποσιώπησις, ob auditum pulsum aedium suarum.
[5] *Omnem rem*. Conjugium Ctesiphonis cum Callidia.
[10] *Putemus*. Expendamus. *Dictum*. Sup. I. 2. 50.
[18] *Communia* &c. Graecum proverbium τὰ τῶν φίλων κοινά.

Conserva, quaere, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine:
Mea, quae praeter spem evenere, utantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse. Omnia si haec voles
In animo vere cogitare, Demea;
Et mihi, & tibi, & illis demseris molestiam.
*De.*Mitto rem: consuetudinem ipsorum. *Mi.*Mane:
Scio: istuc ibam. Multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibu' conjectura facile sit,
Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod, qui facit:
Quae ego in illis esse video: ut confidam fore ita,
Ut volumus. Video sapere, intellegere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium, atque animum: quovis illos tu die
Reducas. At enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paullo. O noster Demea!
Ad omnia alia aetate sapimus rectius:
SOLUM unum hoc vitium adfert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat aetas acuet. *De.*Ne nimium modo
Bonae tuae istae nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus aequus subvortant. *Mi.*Tace:
Non fiet. Mitte jam istaec: da te hodie mihi:
Exporge frontem. *De.*Scilicet, ita tempu' fert,
Faciundum est: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu. *Mi.*Imo de nocte censeo:
Hodie modo hilarum te face. *De.*Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. *Mi.*Pugnaveris.
Eo prorsus pacto illi alligaris filium.

Mo-

[30] *Hinc*. A me, a meis bonis.

[34] *Mitto* &c. Nihil moror rem familiarem, mores ipsorum loquor.

[38] *Huic*. Qui scil. liberali ingenio praeditus est.

Illi &c. Quippe qui per naturae improbitatem obsequio abutitur.

[45] *Omissiores*. Negligentiores rei familiaris.

(49) *Ne*. Vereor, ne.

[53] *Exporge*. Exporrige, explica frontem severitate contractam.

[57] *Pugnaveris*. Magnam rem feceris.

Modo facito, ut illam serves. *De.* Ego istuc videro,
Atque ibi, favillae plena, fumi, ac pollinis
Coquendo sit saxo, & molendo: praeter haec,
Meridie ipso, faciam, ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est.
Mi. Placet.
„ Nunc mihi videris recta sapere, Demea.
De. Derides? fortunatus, qui isto animo sies:
Ego sentio. *Mi.* Ah! pergis ne? *De.* Jam jam desino.
Mi. I ergo intro, &, cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.

[65] *Qui isto* &c. Qui miseriarum sensu careas; ego vero sentio.

SCENA QUARTA.

DEMEA.

Verbis Micionis victus incipit mitescere.

NUNQUAM ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi;
Aliquid moneat, ut illa, quae te scire credas, nescias;
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Quod mi evenit nunc: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam decurso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa repperi
FACILITATE nihil esse homini melius ' neque clementia. Id
Esse verum, ex me, atque ex fratre cuivis facile est noscere.
Vitam ille suam semper egit in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus:
Sibi vixit: sibi sumtum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego

[1] *Subducta*. Considerata via, & ratione vivendi. Translatum a calculatoribus.

(6) *Mitto*. Omitto, muto.

[10] *Nulli* &c. Nullius vultum offendere, excitando ruborem aut pallorem molestis verbis atque objurgationibus.

[11] *Sibi*. Suo arbitratu vixit, quia uxorem non duxit, ad cujus voluntatem multa facienda fuissent.

Ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura: heja autem, illis dum studeo ut quamplurimum
Facerem, contrivi in quaerundo vitam, atque aetatem meam:
Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab iis fero,
Odium. Ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo, ego desertu' sum:
Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem expectant scilicet:
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paullo sumtu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age age, jam experiamur porro contra, & quid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando huc provocat.
Ego quoque a meis me amari, & magni pendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posterioreis feram.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

[14] *Quamplurimum*. Sub. pecuniae.
[15] *Facerem*. Compararem.
[26] *Posterioreis*. Sub. partes.
[27] *Deerit*. Sub. pecunia. Sententia est. Fortasse opes meae minuentur. Quid mea interest, qui sum morti proximus?

SCENA QUINTA.

SYRUS, DEMEA.

Demeae nova humanitas in Syrum.

HEus! Demea, rogat frater, ne abeas longius.
De. Quis homo? o Syre noster, salve! quid fit? quid agitur?
Sy. Recte. *De.* Optume est. Jam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam: o noster! quid fit? quid agitur?
Servom haud illiberalem praebes te, & tibi

Lubens bene faxim. *Sy.*Gratiam habeo. *De.*Atqui, Syre,
Hoc verum est, & ipsa re experiere propediem.

SCENA SEXTA.

Geta, Demea.

Geta benigne accipitur a Demea.

HEra, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem
Arcessant. Sed eccum Demeam. Salvos sies.
*De.*Oh! qui vocare? *Ge.*Geta. *De.*Geta, hominem maxumi
Pretii esse te hodie judicavi animo meo:
Nam is mihi est profecto servus spectatus satis,
Cui dominus curae est, ita uti tibi sensi, Geta:
Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim. Meditor esse affabilis,
Et bene procedit. *Ge.*Bonus es, cum haec existumas.
*De.*Paullatim plebem primulum facio meam.

[3] *Hominem* &c. Ridicula comitatis affectatio, ubi dominus servulo blanditur. Recte Horat. ad Pisonem: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

[8] *Lubens* &c. Denuo utitur hac quasi formula affabilitatis suae. Ridiculum.

Meditor, Sibi tacitus gratulatur.

[10] *Plebem*. Servos primum concilio mihi, deinde dominos tentabo.

SCENA SEPTIMA.

Aeschinus, Demea, Syrus, Geta.

Demea jubet Aeschinum quamprimum domum traducere uxorem, omnemque ejus familiam.

OCcidunt me, equidem, dum nimi' sanctas nuptias
Student facere, in apparando consumunt diem.
*De.*Quid agitur, Aeschine? *Aes.*Ehem! pater mi, tu hic eras?

De.

[1] *Sanctas*. Sollemni & religiosa pompa apparatas.

De. Tuus hercle vero & animo, & natura pater,
Qui te plus quam oculos hosce: sed cur non domum
Uxorem arcessis? *Aes.* Cupio: verum hoc mihi morae est,
Tibicina, & Hymenaeum qui cantent. *De.* Eho!
Vin' tu huic seni auscultare? *Aes.* Quid? *De.* Missa haec face,
Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam jube dirui,
Quantum potest, hac transfer, unam fac domum:
Transduce & matrem, & familiam omnem ad nos. *Aes.* Placet,
Pater lepidissime. *De.* Euge! jam lepidus vocor.
Fratri aedes fient perviae: turbam domum
Adducet, sumtum admittet: multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam. Jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? *Sy.* Quid ergo? *De.* Dirue.
Tu, illas, abi, & traduce. *Ge.* Dii tibi, Demea,
Bene faxint, cum te video nostrae familiae
Tam ex animo factum velle. *De.* Dignos arbitror.
Tu quid ais? *Aes.* Sic opinor. *De.* Multo rectiu' est,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Aegrotam. *Aes.* Nihil enim vidi melius, mi pater.
De. Sic soleo; sed eccum Micio egreditur foras.

[7] *Hymenaeum*. Nuptiale carmen.

[9] *Lampadas*. Pueri patrimi, & matrimi taedas quinque praeferebant, quum nova nupta domum duceretur. Huc spectant illa Matth. XXV. 1. 8.

[16] *Jube* &c. Demea fratri absenti insultans, & secum loquens, ait: *Jube nunc jam* (o Micio) *ut Babylo* (trapezita) *dinumeret illi* (Aeschino) *viginti minas*: ad sumtus scil. faciendos, atque familiam tantam alendam. De trapezita adi not. Plaut. Capt. I. 2. 90.

(21) *Tam ex animo* &c. Tam libenter velle benefactum nobis.

SCE-

SCENA OCTAVA.

MICIO, DEMEA, AESCHINUS.

Demea immodica liberalitate pristinam parcitatis labem conatur eluere.

JUbet frater? ubi is est? tu jubes hoc, Demea?
*De.*Ego vero jubeo, & hac re, & aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. *Aes.*Ita quaeso pater.
*Mi.*Haud aliter censeo. *De.*Imo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxoris est mater. *Mi.*Quid postea?
De. Proba, & modesta. *Mi.* Ita ajunt. *De.* Natu grandior.
*Mi.*Jam scio. *De.*Sola est. *Mi.*Quam rem hic agit?
De. Hanc te aequom est ducere; & te operam, ut fiat, dare.
*Mi.*Me ducere autem? *De.*Te. *Mi.*Me? *De.*Te inquam.
*Mi.*Ineptis. *De.*Si tu sis homo,
Hic faciat. *Aes.* Mi pater. *Mi.* Quid? tu autem huic, asine, auscultas? *De.*Nihil agis.
Fieri aliter non potest. *Mi.*Deliras. *Aes.*Sine te exorem, mi pater.
*Mi.*Insanis? aufer. *De.* Age, da veniam filio. *Mi.* Sati' sanus es?
Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne estis auctores mihi?
Aes. Fac: promisi ego illis. *Mi.* Promisti autem? de te largitor, puer.
*De.*Age. quid, si quid te majus oret? *Mi.*Quasi non hoc sit maxumum.

De.

(1) *Jubet*. Apparet, Syrum & Getam introiisse; illum, ut maceriam dirueret; hunc, ut Sostratam cum Pamphila per hortum traduceret domum; antea vero Micionem certiorem fecisse de consilio Demeae: quod ille admirans exit dicens, *Jubet frater?*

(9) *Et te*. O Aeschine.

(13) *Aufer*. Sub. te. i.e. abi.

(16) *De te*. H. e. de tuo.

De. Da veniam. *Aes.* Ne gravere. *De.* Fac, promitte. *Mi.* Non omittis?
Aes. Nisi te exorem. *Mi.* Vis haec quidem est. *De.* Age, age, prolixe, Micio.
Mi. Etsi hoc pravom, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur; si vos tantopere istuc voltis, fiat. *Aes.* Bene:
Merito te amo. *De.* Verum, quid ego dicam? hoc confit, quod volo.
Quid nunc, quod restat? Hegio cognatus his est proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
Mi. Quid facere? *De.* Agelli est hic sub urbe paullum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. *Mi.* Paullum id autem? *De.* Si multum siet,
Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur.
Postremo non meum illud verbum facio, quod tu Micio
Bene, & sapienter dixti dudum: VITIUM commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. Hanc maculam nos decet
Effugere. Dictum est vere, & re ipsa fieri oportet, Micio.
Mi. Quid istic? dabitur: quandoquidem hic volt. *Aes.* Mi pater.
De. Nunc tu mihi germanus es pariter corpore, & animo. *Mi.* Gaudeo.
De. SUO SIBI gladio hunc jugulo.

(19) *Prolixe*. Benigne. Sub. promitte, facito.
(25] *Foras*. Alicui alieno. κατὰ μετονυμίαν, locum posuit pro persona.
(26) *Fruatur*. Fructus inde capiat, χρήσει *usu* accipiens, non κτήσει *mancipio*.
(29) *Dixti*. Sup. V. 3. 48.
(34) *Suo sibi* &c. H. e. suis ipsius dictis convinco. Conjunctio autem vocum *suo sibi* familiaris est Plauto. Vid. Prol. Capt. v. 5.

SCE-

SCENA NONA.

SYRUS, DEMEA, MICIO, AESCHINUS.

Syrus ejusque uxor libertate donantur opera Demeae; qui denique, cur adeo suum animum mutaverit, Micionem docet.

FActum est, quod justi, Demea.
De. Frugi homo es. Ego edepol hodie mea quidem sententia
Judico, Syrum fieri, esse aequom, liberum. *Mi.* Istunc liberum?
Quodnam ob factum? *De.* Multa. *Sy.* O noster Demea, epol vir bonu' es:
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo,
Docui, monui, bene praecepi semper, quae potui, omnia.
De. Res apparet. Et quidem porro, obsonare cum fide,
Cibos condire, & apparare de die convivium:
Non mediocris hominis haec sunt officia. *Sy.* O lepidum caput!
De. Postremo hodie in psaltria ista emunda hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodesse aequom est: alii meliores erunt:
Denique hic volt fieri. *Mi.* Vin' tu hoc fieri? *Aes.* Cupio. *Mi.* Si quidem
Tu vis: Syre, eho! accede huc ad me: Liber esto. *Sy.* Bene facis:
Omnibu' gratiam habeo, & seorsum tibi praeterea, Demea.
De. Gaudeo. *Aes.* Et ego. *Sy.* Credo: utinam hoc perpetuum fiat gaudium, ut

Phry-

(7) *Fide*. Ita obsonare, ut nihil furtim carpserit, sed emta apud forum fideliter domum detulerit.

(8) *De die*. Ita Horat. Serm. II. 8. 3. *De medio potare die*. Quod semper probro datum; frugi enim homines coenam auspicabantur hora nona vel decima ab ortu solis.

(13) *Liber esto*. Haec ait manumittens Syrum, qui jam accesserat. Vide Plauti Aulul. V. 1. 5.

(15) *Perpetuum*. Solidum, plenum.

Phrygiam uxorem meam una mecum videam liberam. *De.*Optumam
,, Mulierem quidem. *Sy.*Et quidem nepoti tuo, hujus scilicet
,, Gnato primam mammam dedit haec. *De.* Hercle vero serio,
Siquidem primam dedit, haud dubium quin emitti aequom fiet.
*Mi.*Ob eam rem? *De.*Ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.
*Sy.*Dii tibi, Demea, omnes semper omnia optata adferant.
*Mi.*Syre, processisti hodie pulchre. *De* Siquidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullum prae manu
Dederis, unde utatur. Reddet tibi cito. *Mi.*Istoc vilius.
*Aes.*Frugi homo est. *Sy.*Reddam hercle. Da modo. *Aes.* Age pater. *Mi.*Post consulam.
De. Faciet. *Sy.* O vir optume. *Aes.*O pater mi festivissime.
Mi. Quid istuc? quae res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quae istaec subita est largitas? *De.*Dicam tibi.
Ut id ostenderem, quod te isti facilem, & festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo & bono,
Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo, Micio.
Nunc

(18) ***Primam***. Prima dedit mammam, lacte nutriens puerum recens natum.

(20) ***Quanti est***. Quanti tibi aestimatur Phrygia.

(22) ***Processisti***. Rem bene gessisti, liber cum uxore factus.

(23) ***Aliquid*** &c. Aliquantulum pecuniae in manu dederis, ex qua χρῆσιν *usum* capiat, & brevi tibi sortem restituat.

(24) ***Istoc vilius.*** Ἔλλειψις. Deest *nihil est*. Sensus vero est: Egone ut dem pecuniam utendam huic, quo nihil vilius & perfidius vidi?

(25) ***Consulam***. Videro, an sit faciendum.

(28) ***Prolubium***. Promtus animus ad largiendum.

(30) ***Ex vera*** &c. Ex vera & laudabili facilitate tuae naturae, neque ex aequitate & virtute.

Nunc adeo, si ob eam rem vobis mea vita invisa est, Aeschine,
Quia non, justa injusta prorsus omnia, omnino obsequor:
Missa facio: effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed si id voltis potius, quae vos propter adolescentiam,
Minu' videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Haec reprehendere, & corrigere me; obsecundare in loco.
Ecce me, qui id faciam vobis. *Aes.* Tibi, pater, permittimus:
Plus scis, quid facto opus est. Sed de fratre quid fiet? *De.* Sino.
Habeat. Finem in istac faciat. *Aes.* Istuc recte. plaudite.

(33) *Justa injusta*. Ita Andr. I. 3. 9. Proverbialis locutio, ut *dicenda tacenda*, *fanda nefanda*. & alia id genus.

(37) *Obsecundare* &c. Indulgere ubi decet, non semper.

(40) *Habeat*. Callidiam uxorem.

In istac &c. Aliam ducere non quaerat.

FINIS ADELPHORUM.

TERENTII
HECYRA.

Acta ludis Megalensibus, Sex. Jul. Caesare, Cn. Cornelio Dolabella Aedilibus Curulibus. Non est peracta. Modos fecit Flaccus Claudii, tibiis paribus. Tota Graeca Apollodoru facta est. Acta I. sine prologo. Data II. Cn. Octavio, T. Manlio Coss. relata est, L. Aemilii Paulli ludis Funebrib. Non est placita. III. relata est, Q. Fulvio, L. Marcio Aedilibus Curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Placuit.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
LACHES, *Pamphili pater.*
MYRRHINA, *Philumenae mater.*
PAMPHILUS, *Adolescens.*
PARMENO, *Servus Sostratae.*
PHIDIPPUS, *Myrrhinae maritus.*
SOSIA, *Servus Pamphili.*
SOSTRATA, *Conjux Lachetis.*
SYRA, *Nutrix Bacchidis.*
PHILOTIS, *Ancilla Bacchidis.*

PERSONAE MUTAE.

PHILUMENA, *Uxor Pamphili.*
SCIRTUS, *Servulus Lachetis.*
BACCHIS, *Adolescentula.*

AR-

ARGUMENTUM.

Pamphilus Lachetis & Sostratae filius patris jussu Philumenam uxorem invitus duxit, aegre id ferente Bacchide, quam se ducturum Pamphilus juraverat. Accidit autem ut peregre profecto Pamphilo haereditatem quamdam adeundi caussa, lites fierent inter ipsam Philumenam, & Pamphili matrem. Ea propter Philumena domum patris sui regressa est, ibique mansit, usque dum Pamphilus rediit. Is autem reversus cum omnia, quae facta erant inter Sostratam & Philumenam resciisset, statuit, ne matrem offenderet, uxorem deserere. Verum a patre jussus Philumenam domum reducere, illam recepit, abeunte rus Sostrata, ut omnis litium caussa praecideretur.

* *PROLOGUS.*



Ecyra est huic nomen fabulae. Haec cum data
Est nova, novum intervenit vitium & calamitas:
Ut neque spectari, neque cognosci potuerit:

Ita

(*) Caussam affert, cur haec fabula cum primum data fuit, peracta non sit.

(1) *Hecyra*. Ἑκυρὰ latine est *socrus*. In hac autem Comoedia per socrus, & soceros pleraque aguntur.

Data est. Acta est.

(2) *Nova*. Cum primum exhibetur aliqua fabula, *nova* dicitur. Haec autem [Hecyra] primo acta est sine prologo, sed, occupato populo studio funambuli, displicuit. Secundo data est cum hoc brevi prologo. Sed neque tum stetit per studium populi circa gladiatores. Tertio denique mirifice placuit, opera praesertim L. Ambivii celeberrimi actoris, qui [ut ait hic Donatus] sequentem prologum recitavit.


Vitium. Infaustum omen. Vox ab augurio translata. Nam *vitio creati* dicebantur magistratus, qui interveniente infausto omine creati fuissent.

Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. Nunc haec plane est pro nova.
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus: quaeso hanc noscite.

(4) *Studio*. Visendi.

(7) *Referre*. Post funambuli nimirum spectacula, cum jam turba sedata esset.

Ut iterum &c. Maluit Prologus fingere, novae relationi non diffidentiam, sed avaritiam Poëtae obstitisse. Si enim statim post funambuli ludos retulisset, *pro nova* iterum eam vendere non potuisset.



** *ALTER PROLOGUS.*

Orator ad vos venio ornatu Prologi.
Sinite exorator sim, eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent;
Ne cum poëta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Caecilii didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam.
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem

No-

(**) Cum bis jam exacta fabula haec tertium non sine periculo reduceretur, opus fuit novo prologo singulari arte elaborato, qualem hunc esse pluribus docet Donatus.

(1) *Orator*. Oratorem se appellat Prologus, qui caussam agit Poëtae, ejusque Comoediae apud spectatores tamquam judices.

(4) *Novas* &c. Ita construe, & explica. Qui feci, ut novae Comoediae (Caecilii) semel *exactae* [i.e. expulsae], *inveterascerent*, i.e. denuo agerentur, atque adeo ex novis fierent veteres.

(5) *Ne cum* &c. Ne cum obitu ipsius Poetae etiam fabula interiret.

(6) *Caecilii*. Fuit hic Poeta Comicus, Terentio paullo antiquior.

(7) *Partim* &c. In aliquibus earum exclusus sum, in aliis vix placui. Quid igitur mirum, si Terentio in una accidit, quod Caecilio in multis? De verbo *stare* legesis not. Phorm. Prol. v. 9.

(9) *Sustuli*. Suscepi.

Novas ſtudioſe, ne illum ab ſtudio abducerem.
Perfeci, ut ſpectarentur. Ubi ſunt cognitae,
Placitae ſunt. Ita Poëtam reſtitui in locum,
Prope jam remotum injuria advorſariûm
Ab ſtudio, atque ab labore, atque arte muſica.
Quod ſi ſcripturam ſpreviſſem in praeſentia, &
In deterrendo voluiſſem operam ſumere,
Ut in otio eſſet potius, quam in negotio:
Deterruiſſem facile, ne alias ſcriberet.
Nunc quid petam, mea cauſſa, aequo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per ſilentium
Nunquam agere licitum eſt, ita eam oppreſſit calamitas.
Eam calamitatem voſtra intelligentia
Sedabit, ſi erit adjutrix noſtrae induſtriae.
Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem acceſſit exſpectatio:
Comitum conventus, ſtrepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova coepi uti conſuetudine,
In experiundo ut eſſem: refero denuo;
Primo actu placeo: cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores: populus convolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Interea ego meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt: otium, & ſilentium eſt:
Agendi tempus mihi datum eſt: vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos: facite, ut voſtra auctoritas
Meae auctoritati fautrix adjutrixque ſit.

Si

(11) *Illum*. Caelicium.
(16) *In praeſentia*. Tum ſcil. quum a populo ſpretae, & exploſae fuerunt Caecilii fabulae.
(24) *Sedabit*. Lenibit, abſterget veſtra prudentia.
(25) *Pugilum gloria*. Pro *glorioſi pugiles*. Olympionicen enim fuiſſe apud Graecos, prope glorioſius habebatur, quam Romae triumphaſſe.
(27) *Comitum*. Qui pugiles affectabantur.
(28) *Ante tempus*. Antequam peragеretur fabula.
(29) *Vetere conſuetudine*. Qua uſus fui in Caecilianis fabulis.
In nova. Hac Terentii fabula.
(33) *Loco*. Ubi ſedeant.
(36) *Tempus*. Opportunitas.
(38) *Muſicam*. Poëticam.
(40) *Auctoritati*. Quia antiquus in arte hiſtrionica.

Si nunquam avare ſtatui pretium arti meae,
Et eum eſſe quaeſtum, in animum induxi, maxumum,
Quammaxume ſervire voſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in voſtram commiſit fidem,
Ne eum circunventum inique iniqui irrideant.
Mea cauſſa cauſſam hanc accipite, & ſilentium
Date, ut lubeat ſcribere aliis, mihique ut diſcere
Novas expediat, poſthac pretio emtas meo.

(41) *Si nunquam* &c. Hoc verſu, & duobus, qui deinceps ſequuntur, primum uſus eſt Poeta in Prol. Heaut. ubi vide notas v. 48.
(47) *Mea cauſſa* &c. Adi not. ejuſdem Prol. v. 41.
(49) *Meo*. Fabulas interdum Hiſtriones, ut hinc patet; interdum Aediles emebant. Vide Eun. Prol. v. 20.

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

Philotis, Syra.

Indigne ferunt, Pamphilum, poſthabita Bacchide, duxiſſe uxorem Philumenam.

,, PEr pol quam paucos fidos reperias viros,
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
Quam ſancte, ut quivis facile poſſet credere,
,, Se aut nullam, aut illam ducturum uxorem domum:
,, En duxit aliam. *Sy.* Ergo propterea ſedulo
,, Te & moneo & hortor, cuiquam ne credas viro.

(1) *Per pol* &c. Pro *Pol per quam paucos*.
(2) *Vel*. I. e. veluti.

SCENA SECUNDA.

PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

Parmeno Philotidem alloquens, totius fabulae argumentum exponit.

SEnex ſi quaeret me, modo iſte dicito
Ad portum percontatum adventum Pamphili;
Audin', quid dicam, Scirte? ſi quaeret me, uti
Tum dicas: ſi non quaeret, nullus dixeris;
Alias ut uti poſſim cauſſa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde haec advenit?
Philotis, ſalve multum. *Ph.*O ſalve, Parmeno.
*Sy.*Salve mecaſtor, Parmeno. *Pa.*Et tu edepol, Syra.
,, Dic mihi, Philoti, ubinam fuiſti tamdiu?
,, *Ph.*Invita quidem cum milite
,, Hero Corinthum hinc abii inhumaniſſimo:
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli.
*Pa.*Edepol te deſiderium Athenarum arbitror,
Philotium cepiſſe ſaepe, & te tuum
Conſilium contemſiſſe. *Ph.*Non dici poteſt,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Voſque hic videndi, antiqua ut conſuetudine
Agitarem inter vos libere convivium:
Nam illi haud licebat, niſi praefinito loqui,

Quae

(1) *Senex*. Laches Pamphili pater. Haec autem ad conſervum Scirtum dicit Parmeno domo egrediens.

(2) *Pamphili*. In Imbrum miſſi ad petendam hereditatem.

(4) *Nullus*. Neutiquam, minime.

(5) *Cauſſa integra*. Praetextu, quo nunquam alias uſus ſim.

(6) *Philotium*. Eadem ac Philotis. vox ὑποχοριστική.

(11) *Corinthum*. Achajae urbem in Iſthmo Peloponneſio. *Hinc*. Athenis.

(15) *Conſilium*. Eundi Corinthum.

(19) *Praefinito*. Sub. tempore, vel ſermone. Hic autem *praefinito loqui*, eſt loqui ad voluntatem militis, qui ejus eſſet ingenii, quale deſcribitur Eun. II. 1. 19. Verumtamen id Parmeno per jocum alio detorquet, nim. ad regulam praeceptorum rhetoricorum, quam rudis & incultus miles non commode poſſet ſtatuere. Scitum eſt illud: στρατιωτικὴ ἀλογία. Haec fere Farnabius.

Quae illi placerent. *Pa.*Haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
*Ph.*Sed quid negoti hoc? modo quae narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille, hac viva, posset animum inducere
„ Secum aliam habere. *Pa.*Habere autem? *Ph.*Eho tu, an non habet?
*Pa.*Habet, sed firmae hae vereor ut sint nuptiae.
*Ph.*Ita Dii Deaeque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.
*Pa.*Non est opus prolato hoc: percontarier
Desiste. *Ph.*Nempe ea caussa, ut ne id fiat palam.
Ita me Dii amabunt, haud propterea te rogo, ut
Hoc proferam, sed tacita ut mecum gaudeam.
*Pa.*Nunquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. *Ph.* Ah! noli, Parmeno:
Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quae percontor, scire. *Pa.*Vera haec praedicat:
Et mi illud vitium maxumum est. Si mihi fidem
Das te tacituram, dicam. *Ph.*Ad ingenium redit.
„ Fidem do, loquere. *Pa.*Ausculta. *Ph.*Istic sum. *Pa.*Pamphilum
„ Ubi pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
Sese senem esse dicere, illum autem unicum,
Praesidium velle se senectuti suae.
Ille se primo negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret.
Tundendo, atque odio denique effecit senex:
Despondit gnatam ei hujus vicini proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipsis nuptiis. Postquam videt
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.

Ubi-

(24) *Ille*. Pamphilus, qui jam duxerat Philumenam.

(37) *Maximum est*. Haec secum tacitus.

(38) *Ingenium*. Naturalem suam garrulitatem. Haec Philotium ad spectatores.

(46) *Tundendo, atque odio*. Ἓν διὰ δυοῖν; odiose tundendo, & instando.

Ubicunque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Ut colloqui mecum una poſſet: Parmeno
Perii! quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miſer!
Ph. At te Dii Deaeque perduint cum iſto odio, Laches.
,, *Pa.* Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum:
,, Invitus: ſperans, ob ſuas injurias
,, Non poſſe eam ſecum eſſe, abituram denique.
Haec, ita uti liberali eſſe ingenio decet,
Pudens, modeſta, incommoda atque injurias
Viri omneis ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris miſericordia
,, Devinctus, partim patris perculſus metu
Paullatim elapſu' eſt Bacchidi; atque huc tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.
Interea in Imbro moritur cognatus ſenex.
Horunc. ea ad hos redibat lege hereditas.
,, Eo jam invitum Pamphilum extrudit pater.
Reliquit cum matre hic uxorem: nam ſenex
Rus abdidit ſe: huc raro in urbem commeat.
Ph. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
Pa. Nunc audies. Primum dies compluſculos
Bene conveniebat ſane inter eas: interim
Miris modis odiſſe coepit Soſtratam,
Neque lites ullae inter eas, poſtulatio
Nunquam. *Ph.* Quid igitur? *Pa.* Si quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere e conſpectu illico,
Videre nolle. Denique, ubi non quit pati,
Simulat ſe a matre arceſſi ad rem divinam, abit.
Ubi ibi eſt dies complureis, arceſſi jubet:
Dixere cauſſam tunc, neſcio quam: iterum jubet:
Nemo remiſit. Poſtquam arceſſunt ſaepius;
Aegram eſſe ſimulant mulierem. Noſtra illico
It viſere ad eam: admiſit nemo. Hoc ubi ſenex
Reſcivit, heri ea cauſſa rure advenit huc,
Patrem continuo convenit Philumenae.
Quid egerint inter ſe, nondum etiam ſcio:

Niſi

(68) *Imbro.* Inſula juxta Thraciam ſita.

(77) *Poſtulatio.* Expoſtulatio.

Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam, quo coepi hoc iter.
,, *Ph.*Dii bene vortant. Vale. *Pa.*Et tu vale, Philotium.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

Laches, Sostrata.

Laches uxorem increpat, quippe quae malis suis moribus Philumenam nurum domo abire coëgerit: id illa a se factum negat.

PRo Deûm atque hominum fidem! quod hoc genus est? quae haec conjuratio?
Ut omnes mulieres eadem aeque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.
Viris
Esse advorsas, aeque studium est: similis est pertinacia.
In eodem omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam: &
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
*So.*Me miseram! quae nunc, quamobrem accuser, nescio. *La.*Hem!
Tu nescis? *So.*Non, ita me Dii bene ament, mi Laches,
Itaque una inter nos agere aetatem liceat. *La.*Dii mala prohibeant.
*So.*Meque abs te immerito esse accusatam, postmodo rescisces. *La.*Scio.

(1) *Genus . . . . Conjuratio.* Videtur esse ἓν διὰ δυοῖν, pro, quod hoc genus conjurationis?

(3) *Declinatam.* Diversam. *Quidquam.* Paullum.

Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quae me, & te, & familiam dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere, quae perturbes haec tua impudentia.
So. Egone? *La.* Tu inquam, mulier, quae me omnino lapidem, haud hominem, putas.
An, quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic vitam vostrorum exigat?
Multo melius, hic quae fiunt, quam illic, ubi sum assidue scio:
Ideo quia, uti vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam:
Minimeque adeo mirum: &, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito aegritudo haec oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abii, concedens vobis, & rei serviens;
Sumtus vostros, otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, praeter aequom atque aetatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?
So. Non mea opera, neque pol culpa evenit. *La.* Immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata.

Quae

(15) *Liberos.* Unam Philumenam intelligit. Ut Heaut. I. 1. 98.

(16) *Exorere:* Emergis, reperiris.

(28) *Otium.* Otiosam vitam. *Res.* Facultates.

Quae hic erant, curares; cum ego vos solvi curis ceteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias, non pudet?
Illius dices culpa factum. *So.* Haud equidem dico, mi Laches.
La. Gaudeo, ita me Dii ament, gnati caussa: nam de te quidem
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
So. Qui scis, an ea caussa, mi vir, me odisse assimulaverit,
Ut cum matre una plus esset? *La.* Quid ais? non signi hoc sat est?
Quod heri nemo voluit visentem te ad eam intromittere?
So. Enim lassam oppido tum ajebant: eo ad eam non admissa sum.
La. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror:
Et merito adeo: nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem; & quae vobis placita conditio est, datur:
Ubi duxere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt.

(36) *Gnati caussa.* Qui cum sciet, nulla Philumenae culpa (ipsius Sostratae confessione) id factum esse, de uxore queri non poterit, eamque domum reducet.

Nam de te &c. Quasi dicat: Certus sum, quod ex peccato tuo nullum damnum (quale esset divortium mulieris) pati possumus.

(41) *Lassam.* Aegrotam.

SCE-

SCENA SECUNDA.

PHIDIPPUS, LACHES, SOSTRATA.

Rescit Laches a Phidippo, Philumenam, absente Pamphilo, apud socrum perdurare non posse.

ETsi scio, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quae ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam,
Ut tibi concedam: neque tuae libidini adversabor.
La. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc jam scibo, quid sit.
Phidippe, esse ego meis omnibus scio me apprime obsequentem:
Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos.
Quod tu idem si faceres, magis in rem & nostram, & vostram id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te. *Ph.* Heja vero!
La. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer,
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus:
Te judice ipso. Sin ea est caussa retinendi apud vos,
Quia aegra est: te mi injuriam facere arbitror, Phidippe.
Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter.
At, ita me Dii ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego: id adeo gnati caussa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnificare.

Ne-

(1) *Etsi scio*. &c. Phidippus domo egrediens filiam, quae intus manet, alloquitur.
(2) *Quae* &c. H.e. Redire ad Sostratam, ut jubeo.
(3) *Libidini*. Voluntati.
(8) *Heja vero*. Bona verba quaeso.
(9) *Amisti*. Dimisisti.
(12) *Refellendo* &c. Negando, aut excusando factum.
(18) *Magnificare*. Magnifacere.

Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit. Eo domum studeo haec prius, quam ille huc redeat.
*Ph.*Laches, & diligentiam vestram, & benignitatem
Novi. Et, quae dicis, omnia esse ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. *La.* Quae res te facere id prohibet?
Eho! numquidnam accusat virum? *Ph.* Minime: nam postquam attendi
Magis, & vi coepi cogere ut rediret, sancte adjurat
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse aliis vitii est: leni ego animo sum natus:
Non possum advorsari meis. *La.*Hem! Sostrata. *So.*Heu me miseram!
*La.*Certum ne est istuc? *Ph.*Nunc quidem, ut videtur: sed numquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oportet. *La.* Eo tecum una.

(20) *Haec*. Philumena.

(25) *Attendi*. Intendi, institi.

(27) *Pamphilo* &c. Ordo est: se perdurare absente Pamphilo.

(28) *Aliud* &c. Alii alio laborant vitio, ego animi lenitate.

(29) *Hem!* Increpantis est.

(30) *Ut videtur*. Sub. non redibit, donec absens erit Pamphilus.

SCENA TERTIA.

Sostrata

Queritur de viri iniquitate.

Edepol nae nos aeque sumus omnes invisae viris,
Propter paucas, quae omnes faciunt dignae ut videamur malo.
Nam, ita me ament Dii, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.

Sed

Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omneis esse iniquas. Haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, qui hoc mi eveniat, scio.
Nisi pol filium multimodis jam expecto, ut redeat domum.

(5) *Haud me*. Sub. scio esse iniquam.

(7) *Multimodis*. Vehementer.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

PAMPHILUS, PARMENO, MYRRHINA.

Reversus ex Imbro Pamphilus, cum audisset Philumenam aegrotare, & a socru dissidere, illam adiit.

» NEmini ego plura acerba credo esse unquam oblata ex nuptiis,
Quam mi. Heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine ego caussa eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium aetatem agere,
Quam huc redire? atque haec ita esse, miserum me rescifcere?
Nam nos omnes, quibus alicunde aliquis objectus est labos,
Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.

Par.

(1) *Esse oblata*. Evenisse.

(6) *Nos omnes*. Ἀνακόλουθον. dicendum fuisset *nobis omnibus*; sequitur enim *lucro est*.

Labos. Dolor, aerumna.

Par. At sic citius, qui te expedias his aerumnis, reperies.
Si non rediisses, hae irae factae essent multo ampliores:
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosces, iram expedies: restitues rursum in gratiam.
Levia sunt haec, quae tu pergravia esse in animum induxti tuum.
Pa. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est aeque miser?
„ Prius quam hanc uxorem duxi, habebam animum alii conjugio deditum:
Jam in hac re ut taceam, cuivis facile scitu est quam fuerim miser:
Tamen nunquam ausus sum recusare eam; quam mi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum:
Vixque huc contuleram, hem! nova res orta est, porro ab hac quae me abstrahat.
Tum matrem ex ea re me, aut uxorem in culpa inventurum arbitror:
Quae cum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit!
Tot meas injurias! quae nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.
Par. Hoc quidem hercle parvum est: si vis vero veram rationem exsequi.
Non maxumas, quae maxumae sunt interdum irae, injurias
Faciunt: nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est;

Cum

(8) *Sic*. Tuo reditu.
(14) *Conjugio*. Bacchidis.
(17) *Illinc*. A Bacchide. *Atque* &c. Atque ab ea me liberavi.
(18) *Huc*. Ad hanc Philumenam.
(28) *Faciunt*. Pro *factas erguunt*.

Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicissimus,
Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia:
Fortasse unum aliquod verbum hanc inter eas iram conciverit:
Pa. Abi, Parmeno, intro; ac me venisse, nuncia. *Par.* Hem! quid hoc? *Pa.* Tace.
Par. Trepidari sentio, cursari rursum prorsum: agedum ad fores.
Accede propius: Hem! sensistin'? *Pa.* Noli fabularier.
Pro Jupiter! audio clamorem. *Par.* Tute loqueris: me vetas.
My. Tace obsecro, mea gnata. *Pa.* Matris vox visa est Philumenae.
Nullus sum. *Par.* Qui dum? *Pa.* Perii! *Par.* Quam ob rem? *Pa.* Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celant. *Par.* Uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.
Pa. Interii! cur mihi id non dixti? *Par.* Quia non poteram una omnia.
Pa. Quid morbi est? *Par.* Nescio. *Pa.* Quid? nemo ne medicum adduxit? *Par.* Nescio.
Pa. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid est, certum sciam?
Par. Non usus facto est mihi nunc, hunc intro sequi.
Nam invisos omneis nos esse illis sentio:
Heri nemo voluit Sostratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maxume heri caussa mei:

Ser-

(29) *Iracundus*. Aliquis alius pronus in iram.

(31) *Gubernat*. Sallust. Cat. 1. *Animi imperio, corporis servitio magis utimur*.

Gerunt. Possident, habent.

(34) *Nuncia*. Ex more, quo peregre redeuntes de adventu suo uxores primum faciebant certiores.

(35) *Rursum prorsum*. Retro & ante.

(41) *Pavitare*. Hic corporis est, valetque *aegrotare*.

(45) *Non usus* &c. Non expedit mihi facere hoc, i. e. sequi hunc intro. Sic Heaut. I. 1. 28. & Plaut. Amph. I. 3. 7. *Citius, quod non facto'st usus, fit, quam quod facto'st opus*.

Servom illico introiisse dicent Sostratae,
Aliquid tulisse comminiscentur mali,
Capiti, atque aetati illorum! morbus quî actu' sit:
Hera in crimen veniet, ego in magnum malum.

(52) *Capiti* &c. Imprecatio, vide ibi notas. qualis est illa Phorm. III. 2. 6. *Qui*. Ex quo malo.

SCENA SECUNDA.

SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILUS.

Sostrata itura ad Philumenam, in Pamphilum incidit, a quo rescit illam meliuscule se habere.

NEscio quid jamdudum hic audio tumultuari misera:
Male metuo, ne Philumenae magi' morbus aggravescat:
Quod te, Aesculapi, & te, Salus, ne quid sit hujus, oro.
Nunc ad eam visam. *Par.* Heus! Sostrata. *So.* Ehem! *Par.* Iterum istinc excludere.
So. Ehem! Parmeno, tu ne hic eras? perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit aegra?
Par. Non visas, nec mittas quidem visendi caussa quemquam.
Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco.
Laborem inanem ipsus capit, & illi molestiam affert:
Tum autem filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.
So. Quid ais? an venit Pamphilus? *Par.* Venit. *So.* Diis gratiam habeo.
Hem! istoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit.
Par. Jam ea te caussa maxume huc nunc introire nolo:
Nam si remittent quidpiam Philumenae dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quae

[3] *Quod*. Sollemnis implorandi particula, ut *At* imprecandi. *Hujus*. Rei, quam metuo.

Quae inter vos intervenit, unde ortum est initium irae.
Atque eccum video ipsum egredi: quam tristi 'st. *So.* O mi gnate!
Pa. Mea mater, salve! *So.* Gaudeo venisse salvom. Salvan'
Philumena est? *Pa.* Meliuscula. *So.* Utinam istuc ita Dii faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? *Pa.* Recte, mater.
So. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?
Pa. Ita factum est. *So.* Quid morbi est? *Pa.* Febris. *So.* Quotidiana? *Pa.* Ita ajunt.
I sodes intro, consequar jam te, mea mater. *So.* Fiat.
Pa. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera adjuta.
Par. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? *Pa.* Cessas?

[20] *Recte.* Nihil est. Ita dicimus, cum ad ea, quae rogamur, respondere nolumus. Vid. Heaut. III. 2. 7.

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS

Vicem suam deplorat.

NEqueo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
Partim quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
„ At adest cum pueris Parmeno: qui scilicet
„ Mittendus est mihi ad hospitem Myconium.

[3] *Partim perspexi.* Intelligit Philumenam aegrotam. *Partim accepi.* Significat caussam inimicitiae inter illam, & Sostratam.
[4] *Qua me propter.* Τμῆσις.
[6] *Myconium.* Vid. v. 19. seq. Scenae.

SCE-

SCENA QUARTA.

Parmeno, Sosia, Pamphilus.

Parmenonem onera cum ſervulis deportantem alio mittit Pamphilus.

AIn' tu, tibi hoc incommodum eveniſſe iter?
So. Non hercle verbis, Parmeno, dici poteſt
Tantum, quam re ipſa navigare incommodum eſt.
Par. Ita ne eſt? *So.* O fortunate! neſcis quid mali
Praeterieris, qui nunquam es ingreſſus mare.
Nam alias ut omittam miſerias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui;
Cum interea ſemper mortem expectabam miſer:
Ita uſque advorſa tempeſtate uſi ſumus.
Par. Odioſum. *So.* Haud clam me eſt: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, ſi eo mi redeundum ſiet.
Par. Olim quidem te cauſſae impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Soſia.
Sed Pamphilum ipſum video ſtare ante oſtium:
Ite intro: ego hunc adibo, ſi quid me velit.
Here, etiam tu hic ſtas? *Pa.* Equidem te expecto. *Par.*
Quid eſt?
Pa. In arcem tranſcurſo opus eſt. *Par.* Cui homini? *Pa.*
Tibi.
Par. In arcem! quid eo? *Pa.* Callidemidem hoſpitem
Myconium, qui mecum una advectu 'ſt, conveni.
Par. Perii! voviſſe hunc dicam, ſi ſalvos domum
Rediiſſet unquam, ut me ambulando rumperet.

[1] *Ain' tu.* Admirantis formula.

[4] *Quid mali.* Quot mala ſubterfugeris.

[10] *Odioſum.* Rem incommodam narras.

Haud clam &c. Optime ſenſi, quam odioſum fuerit.

(12) *Olim.* Jocoſe perſtringit Soſiam ob leves antehac cauſſas fugere ſolitum.

(17) *Arcem.* Ἀκρόπολιν ſcil. in media urbe ſitam.

Tranſcurſo. Pro *tranſcurrere.*

(19) *Myconium.* Ex Mycone inſula, Cycladum una.

(20) *Voviſſe.* Facete alludit ad vota navigantium.

Pa. Quid cessas? *Par.* Quid vis dicam? an conveniam modo?
Pa. Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse, ne me frustra illi expectet: vola.
Par. At non novi hominis faciem. *Pa.* At faciam, ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie. *Par.* Dii illum perduint.
Quid, si non veniet? maneam ne usque ad vesperum?
Pa. Maneto: curre. *Par.* Non queo: ita defessu' sum.
Pa. Ille abiit. Quid agam infelix, prorsus nescio.
Quod potero, faciam tamen, ut pietatem colam:
„ Nam me parenti potius, quam uxori, obsequi
Oportet. At at at! eccum Phidippum, & patrem
Video: horsum pergunt. Quid dicam hisce, incertu' sum.

(23) *Immo*. Sub. dic, nuncia.
(24) *Illi*. Pro *illic*.
(31) *Colam*. Uxorem non reducendo. Id enim pietas in matrem jubere videbatur.

SCENA QUINTA.

Laches, Phidippus, Pamphilus.

Agunt senes cum Pamphilo de reducenda uxore: id se facturum ille negat; quod Phidippus aegre admodum fert.

DIxtin' dudum, dixisse illam, se expectare filium?
„ *Ph.* Factum. *La.* Venisse ajunt: redeat. *Pa.* Certum obfirmare est viam,
„ Quam decrevi persequi. *La.* Quemnam hic ego audivi loqui?
Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. *Pa.* Salve, mi pater.

La.

(1) *Illam*. Philumenam.
(2) *Obfirmare*. Firmiter insistere viam [i. e. rationem, consilium] quam mihi persequendam proposui; nempe ut dimittam uxorem, ne matrem offendam.

*La.*Gnate mi, ſalve. *Ph.*Bene factum, te adveniſſe, Pamphile:
Atque adeo, quod maxumum eſt, ſalvom atque validum. *Pa.*Creditur.
*La.*Advenis modo? *Pa.*Admodum. *La.*Cedo, quid reliquit Phania
Conſobrinus noſter? *Pa.*Sane hercle homo voluptati obſequens
Fuit, dum vixit: & qui ſic ſunt, haud multum heredem adjuvant.
Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.
*La.*Tum tu igitur nihil attuliſti huc plus una ſententia?
*Pa.*Quidquid eſt id quod reliquit, profuit. *La.*Immo obfuit:
Nam illum vivom, & ſalvom vellem. *Pa.*Impune optare iſtuc licet.
Ille reviviſcet jam nunquam: & tamen, utrum malis, ſcio.
*La.*Heri Philumenam ad ſe arceſſi hic juſſit. Dic juſſiſſe te.
Ph. Noli fodere. Juſſi. *La.* Sed eam jam remittet. *Ph.* Scilicet.
*Pa.*Omnem rem ſcio, ut ſit geſta: adveniens audivi omnia. *La.*At
Iſtos invidos Dii perdant, qui haec libenter nunciant.
*Pa.*Ego me ſcio caviſſe, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis poſſet: idque ſi nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo, & benigno in illam, & clementi fui,
Vere poſſim; ni te ex ipſa id magi' velim reſciſcere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,

Cum

(5) ***Bene factum***. H. e. gaudeo.

(10) ***Vixit***. Diverſa ſignificatione utitur τῷ *vixit*. Eſt enim *bene vixit*, genio indulſit.

(13) ***Impune***. Sine tuo damno.

(14) ***Et tamen*** &c. Scio te malle eum mortuum, quam ſalvum eſſe. Apparet enim ex v. 7. & 11. Phaniae hereditati inhiaſſe Lachetem.

(15) ***Dic*** &c. Haec Laches Phidippo in aurem dicit.

(16) ***Noli*** &c. Haec Phidippus Lacheti ſoli. ***Fodere*** autem [ſubaudi] *latus*, dicuntur ii, qui digito vel cubito tundentes, minus promtos excitare volunt.

(20) ***Fieri***. Objici mihi.

(23) ***Ingenio***. Factis, dictis.

Cum illa, quae nunc in me iniqua est, aequa de me dixerit.
Neque mea culpa hoc dissidium evenisse, id testor Deos.
Sed quando sese esse indignam deputat matri meae,
Cui concedat, cujus mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto potest componi inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
*La.*Pamphile, haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,
Cum te postputasse omnes res prae parente intellego.
Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.
*Pa.*Quibus iris nunc in illam impulsus iniquu' sim?
Quae nunquam quidquam erga me commerita est, pater,
Quod nollem: & saepe, quod vellem, meritam scio:
Amoque, & laudo, & vehementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertu' sum:
Illique exopto, ut relliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
*Ph.*Tibi in manu est, ne fiat. *La.*Si sanus sies,
Jube illam redire. *Pa.*Non est consilium, pater:
Matris servibo commodis. *La.*Quo abis? mane.
Mane inquam: quo vadis? *Ph.*Quae haec pertinacia est?
*La.*Dixin' Phidippe, hanc rem aegre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
*Ph.*Non credidi edepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat.
*La.*Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.
*Ph.*Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
*La.*Dedecet jam ira haec: etsi merito iratus est.
*Ph.*Quia paullulum vobis accessit pecuniae,

Sub-

(26) *Matri meae*. Pro *matre mea*, *cui matri meae*. Constructio Plauto, ac Terentio familiaris.

(30) *Matris* &c. Nihil mirum uxorem parentibus posthaberi, ubi vulgo & levibus de caussis divortia fiebant.

(55) *Pecuniae*. Ex hereditate Phaniae.

Sublati animi sunt. *La.* Etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuncietque hodie mihi,
Velit ne, an non; ut alii, si huic non sit, siet.
La. Phidippe, ades, audi paucis. Abiit: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant:
Quae dico, parvipendunt. Porto hoc jurgium ad
Uxorem: cujus fiunt consilio omnia haec:
Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre est, evomam.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

Sostrata, Pamphilus.

Renunciat Pamphilo Sostrata, se rus abituram, ne impedimento sit, quominus Philumenam domum reducat.

NOn clam me est, mi gnate, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abiisse: etsi ea dissimulas sedulo:
Verum ita me Dii ament, itaque obtingant ex te, quae exopto, mihi, ut
Nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:
Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem:
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris.
,, Praepositam uxori tuae: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me praemium esse positum pietati scias.

Mi

(5) *Teque*. Ita construe. *Firmasti fidem ei rei, quam* [rem] *ante rebar*, *te* [scilicet] *amare me*.

Mi Pamphile, hoc & vobis, & meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me eſſe certo decrevi patre,
Ne mea praeſentia obſtet, neu cauſſa ulla reſtet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *Pa.* Quaeſo, quid iſtuc conſili eſt?
Illiu' ſtultitia victa. ex urbe tu rus habitatum migres?
Haud facies: neque ſinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia eſſe dicat factum, haud tua modeſtia.
Tum tuas amicas te, & cognatas deſerere, & feſtos dies
Mea cauſſa, nolo. *So.* Nihil pol jam iſtaec res mihi voluptatis ferunt:
Dum aetas, tempus tulit, perfuncta ſatis ſum: ſatias jam tenet
Studiorum iſtorum: haec mihi nunc cura eſt maxuma, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obſtet, mortemve expectet meam.
Hic video me eſſe inviſam immerito: tempus eſt concedere:
Sic optume, ut ego opinor, omnes cauſſas praecidam omnibus;
Et me hac ſuſpicione exſolvam, & illi morem geſſero.
Sine me, obſecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
Pa. Quam fortunatus ceteris ſum rebus, abſque una hac foret:
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. *So.* Obſecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quaeque eſt, in animum inducas pati?
Si cetera ſunt ita, ut tu vis, itaque ut eſſe ego illam exiſtumo:

Mi

(14) *Nobis maledictum*. Nos injuſte conviciis proſciſſos.
(15) *Modeſtia*. Facilitate.
(18) *Satias*. Pro *ſatietas*.
(25) *Una hac*. Sub. re.
(27) *Non tute* &c. Annon tu ipſe in animum inducas pati hoc unum incommodum, quodcunque illud eſt; quod ſcil. tua uxor ſuos mores ad meos componere non poteſt?
(28) *Si cetera*. Quoniam ceterae res.
Illam. Philumenam.

Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. *Pa.*Vae misero mihi!
*So.*Et mihi quidem: nam haec res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

SCENA SECUNDA.

LACHES, SOSTRATA, PAMPHILUS.

Laches laudat Sostratam, ob susceptum abeundi rus consilium: filium, ut reducat uxorem, hortatur.

QUem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor:
ISTUC EST sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere,
Quod faciundum fortasse sit post, idem hoc nunc si feceris.
*So.*Fors pol fuat. *La.*Abi rus ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.
*So.*Spero mecastor. *La.*I ergo intro, & compone, quae tecum simul
Ferantur: dixi. *So.*Ita ut jubes, faciam. *Pa.*Pater.
*La.*Quid vis, Pamphile? *Pa.*Abire hinc matrem? minime. *La.*Quid ita istuc? *Pa.*Quia
De uxore incertus sum etiam, quid facturus siem. *La.* Quid est?
„ Quid vis, nisi reducere? *Pa.*Ego certe cupio: sed
Non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.
Credo, si non reducam, ea gratia concordes magi' fore. *La.*

(1) *Procul*. Dicitur & de loco minus longinquo. Virg. Ecl. VI. 16. *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant*.

(3) *Faciundum*. Sub. tuis ingratiis, necessitate cogente.

Feceris. Sub. voluntate tua.

(4) *Fors pol fuat*. Bona fortuna sit per Pollucem. I.e. Pollux fortunet. Ἀγαθῇ τύχῃ. Gall. *A la bonne heure*.

(6) *Dixi*. Vid. Phor. II. 3. 89.

(9) *Ego certe*. Haec & quae sequuntur usque ad τὸ *persequar*, tacite dicuntur a Pamphilo.

(10) *Minuam*. Omittam.

Persequar. Faciam.

(11) *Concordes*. Sostratam scil. & Philumenam.

*La.*Nescias : verum tua refert nihil , utrum illae fecerint ,
Quando haec abierit : odiosa haec est aetas adolescentulis :
E medio aequom excedere est : postremo nos jam fabulae
„ Sumus , senex , atque anus . *Pa.*Ut vis fiat , pater.
*La.*Sed video Phidippum per tempus egredi :
„ Ad eum accedamus .

(12) *Nescias* . Id quidem incertum est , utrum illae concordes futurae sint inter se , nec ne .

(13) *Haec aetas* . Δεικτικῶς: nostrum senium .

(14) *Fabulae* . Res ridicula , ludibrium .

(16) *Per tempus* . Opportune.

SCENA TERTIA.

LACHES , PHIDIPPUS .

Laches jubet Phidippum reducere domum Philumenam .

OPportune te mihi,
Phidippe , in ipso tempore ostendis . *Ph.*Quid est ?
*La.*Dic filiae rus concessuram hinc Sostratam :
Ne revereatur , minus jam quo redeat domum .
„ *Ph.*Bene est . mox eam reducemus . Vos plaudite .

FINIS HECYRAE.

TERENTII
PHORMIO.

Acta ludis Romanis, L. Postumio Albino, L. Cornelio Merula Aedilibus Curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis imparibus. Tota Graeca Apollodoru Epidicazomenos. Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.



DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
DAVUS, *Servus incerti heri.*
PHORMIO, *Parasitus.*
DEMIPHO, *Senex.*
ANTIPHO, *Filius* } *Demiphonis.*
GETA, *Servus* } *Demiphonis.*
CHREMES, *Frater* } *Demiphonis.*
PHAEDRIA, *Chremetis filius.*
HEGIO } *Advocati.*
CRITO } *Advocati.*
CRATINUS } *Advocati.*
SOPHRONA, *Nutrix Phanii.*
NAUSISTRATA, *Uxor Chremetis.*
DORIO, *Mercator mancipiorum.*

PERSONAE MUTAE.

STILPHO, *aliud nomen Chremetis.*
DORCIUM, *Ancilla.*
PHANIUM, *Adolescentula, filia Chremetis.*
MIDA, *Servulus.*

AR-

ARGUMENTUM.

Chremes, & Demipho Athenienses fratres erant. Huic filius fuit Antipho, illi Phaedria. Chremes cum quotannis iret in Lemnum ad capiendos fructus praediorum, quae in ea insula habebat ipsius uxor Nausistrata, aliam ibi uxorem duxerat, sumto Stilphonis nomine, ne palam id fieret. Cum autem ex altera hac uxore filiam nomine Phanium suscepisset, egit cum fratre, ut illa Antiphoni uxor daretur, mox & cum matre Athenas e Lemno clanculum duceretur. Ejus rei caussa proficiscitur in Lemnum Chremes. Eodem tempore accidit, ut Demiphoni quoque iter esset in Ciliciam. Abeuntes ambo Getae servo filios committunt suos. Interea Lemnia Chremetis uxor, cum propter paupertatem adventum viri (diutius forte, quam solebat, morantis) expectare non posset, Athenas una cum filia & nutrice venit; ubi, frustra quaesito Stilphone, prae aegritudine moritur. Ejus filiam cum vidisset Antipho, Phormionis opera, uxorem duxit. Reversus e Lemno Chremes, itemque Demipho e Cilicia, ubi audiunt Antiphonis nuptias cum Phanio adhuc incognita, illas irritas facere conantur. Eo ipso die, quo senes redierant, Phaedriae opus erant triginta minae Dorioni solvendae pro mancipio, quod ab illo emerat. Ad eas conficiendas Geta hanc fallaciam confingit: ait senibus, Phormionem paratum esse sibi accipere Antiphonis uxorem, si ei pro dote triginta minae darentur. Eam pecuniam Phormioni numerant senes: Phormio, uti jam cum Geta convenerat, Dorioni tradidit pro mancipio. Interea agnoscitur Phanium. Senes tum laetari de nuptiis, sed rursus dolere, quod periissent triginta minae. Quas cum per vim a Phormione eripere conarentur, Phormio inclamat Nausistratam, eique omnia aperit, & de altera Chremetis uxore, & de mancipio a Phaedria emto triginta minis. Illa, quum aliquandiu de viro conquesta esset, tandem placatur, filiique ipsius judicio omnia se permissuram pollicetur.



* PROLOGUS.


Ostquam Poëta vetus Poëtam non poteſt
Retrahere a ſtudio, & transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere, ne ſcribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui eſſe oratione, & ſcriptura levi.
Quia nuſquam inſanum ſcripſit adoleſcentulum
Cervam videre fugere, & ſectari canes,
Et eam plorare, orare ut ſubveniat ſibi.
Quod ſi intellegeret, olim cum ſtetit nova,
Actoris opera magis ſtetiſſe, quam ſua:
Minu' multo audaciter, quam laedit, laederet;
Et magi' placerent, quas feciſſet fabulas.
Nunc ſi quis eſt, qui hoc dicat, aut ſic cogitet:
Vetu' ſi Poëta non laceſſiſſet prior,
Nullum invenire Prologum potuiſſet novus,
Quem diceret, niſi haberet, cui malediceret:
Is ſibi reſponſum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.
Ille ad famem hunc ab ſtudio ſtuduit rejicere:

Hic

(*) Mirum quam varie, & ſcite de eadem re in tot Prologis ſcripſerit Poëta.

(1) *Poëta vetus*. Lavinius Terentio ſenior.

(4) *Fecit*. Poëta noſter.

(6) *Quia nuſquam* &c. Hoc ſumtum eſt ab aliqua ipſius Lavinii Comoedia, quod ut inſulſum callide hic irridet Terentius. Inducebat enim ille [ut magnum quid, & prodigioſum] furentem adoleſcentem videre cervam fugere &c.

(7) *Videre*. φαντάζεσθαι.

(8) *Orare*. Plinius de cervis: *Urgente vi canum, ultro confugiunt ad hominem*.

(9) *Stetit*. Placuit. Ut autem *ſtare* dicitur fabula, quae placet; ſic contra *cadere*, quae exploditur. Hor. Epiſt. II. 1. *Securus cadat, an recto ſtet fabula talo*.

(12) *Feciſſet*. Scil. Terentius.

(17) *In medio* &c. Senſus hic eſt. Inveniret noſter aliud Prologi argumentum: ſed maluit adverſario reſpondere, quum de palma certandum ſit.

Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatum est, sibi id esse relatum putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite. Adporto novam
ΕΠΙΔΙΚΑΖΟΜΕΝΟΝ quam vocant Comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant;
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume.
Voluntas vostra si ad Poëtam accesserit:
Date operam, adeste aequo animo per silentium;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco est:
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vostra adjutans, atque aequanimitas.

(22) *Quod ab* &c. Proverbiale est. *Quod dedit, recepit.*

(24) *Peccandi*. Maledicendi. *De se*. De sua parte.

(26) Ἐπιδικ. . . . Graeca Apollodori fabula, unde Latina haec translata, proprie dicta est ἐπιδικαζομένη a puella, de qua judicium est. Hic tamen propter Antiphonem, quo de agitur in judicio, videtur Terentius ἐπιδικαζόμενον dicere maluisse.

(28) ***Primas***. Primarias. Cic. Divin. 15. *Ut in Actoribus Graecis fieri videmus; saepe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, quum possit aliquando clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat.*

(30) *Voluntas*. Favor.

Si. Optantis particula. Vid. Plaut. Capt. V. 3. 19.

(33) *Noster grex*. Actores theatrum deserere coacti sunt propter tumultum. Videtur autem innuere fata Hecyrae, quam ante Phormionem actam esse recte hinc colligit Donatus.

(34) *Actoris*. L. Ambivii, cujus virtute tandem fabula recepta est, atque adeo placuit. Vid. Hecyr. Prol.

ACTUS

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA.

DAVUS

Pecuniam, quam Getae debebat, affert, ut illi reddat.

AMicus summus meus, & popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jampridem apud me relliquom pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem. Confeci: affero.
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem: ei credo munus hoc conraditur.
QUAM inique comparatum est, ii qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus.
Quod ille unciatim vix demenso de suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans
Quanto labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer caussa erit mittundi. Sed videon' Getam?

(1) *Popularis*. Ejusdem conditionis.

(4) *Id ut* &c. Rogans, ut alicunde sibi compararem id reliquum pecuniae, quod debebam.

(5) *Filium*. Antiphonem intelligit.

(9) *Unciatim*. Per uncias, atque adeo per minimas summulas.

Demenso. Erat hoc frumentum certa mensura servis dari solitum singulis mensibus.

(13) *Ubi hera*. Quinto a partu die κειμήλια puerperis mittebantur.

(14) *Natalis*, Martial. IX. 1. *Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam Munera*.

(15) *Initiabunt*. Nonius e Catone laudat. *Cum primores cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Eduliae, & a potione Potinae nutrices. Ita cum fari inciperent, Fabulino; cum stare, Statulino.*

SCENA SECUNDA.

GETA, DAVUS.

Geta, accepta a Davo pecunia, illum de Antiphonis nuptiis docet.

SI quis me quaeret rufus. *Da.* Praeſto eſt, deſine. *Ge.* Oh!
At ego obviam conabar tibi, Dave. *Da.* Accipe. hem!
Lectum eſt: conveniet numerus, quantum debui.
Ge. Amo te, & non neglexiſſe habeo gratiam.
Da. Praeſertim ut nunc ſunt mores: adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.
Sed quid tu es triſtis? *Ge.* Ego ne? neſcis, quo in metu, &
Quanto in periclo ſim. *Da.* Quid iſtuc eſt? *Ge.* Scies,
Modo ut tacere poſſis. *Da.* Abi ſis, inſciens:
Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri eſt,
Te fallere? *Ge.* Ergo auſculta. *Da.* Hanc operam tibi dico.
Ge. Senis noſtri, Dave, fratrem majorem Chremem
Noſtin'? *Da.* Quid ni? *Ge.* Quid? ejus gnatum Phaedriam?
Da. Tamquam te. *Ge.* Evenit, ſenibus ambobus ſimul,
Iter illi in Lemnum ut eſſet, noſtro in Ciliciam
Ad hoſpitem antiquum: is ſenem per epiſtolas
Pellexit, modo non monteis auri pollicens.
Da. Cui tanta erat res, & ſupererat? *Ge.* Deſinas:
Sic

[1] *Rufus*. Homo rubri coloris, qualis nempe Davus. Geta domo egrediens haec alicui conſervo dicit.

[3] *Lectum*. Bonum, non adulterinum. Prius qualitas, deinde numerus pecuniae ſpectari ſolet.

[12] *Operam*. Auſcultandi ſcilicet. *Dico*. Do, praeſto.

[18] *Modo non*. Expreſſit Graecum *μόνον οὐ*, *tantum non*, i. e. propemodum.

Monteis &c. Proverbialis hyperbole de iis, qui immenſa promittunt.

[19] *Cui tanta*. Dominum ne tuum pellexit, *cui* &c.

Sic est ingenium. *Da.*Oh! regem me esse oportuit.
*Ge.*Abeuntes ambo hic tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. *Da.* O Geta! provinciam
Cepisti duram. *Ge.*Mihi usus venit, hoc scio.
Memini relinqui me, Deo irato meo.
Coepi advorsari primo: quid verbis opu' est?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
*Da.*Venere in mentem istaec mihi: nam quae inscitia est,
Advorsum stimulum calces? *Ge.*Coepi iis omnia
Facere, obsequi quae vellent. *Da.*Scisti uti foro.
*Ge.*Noster mali nil quidquam primo: hic Phaedria
,, Continuo coepit potare, & animo obsequi.
,, Dum ego otiosus operam Phaedriae dabam;
,, Eique, ut decuit paedagogum, aderam frequens,
,, In ludum curans ducere, & reducere:
,, Interea quamdam nactu' est alter virginem,
,, Puellam. *Da.*Fortasse bonam. *Ge.*Et prognatam bonis.
,, At miserae nuper mortua mater est: neque
,, Notus adest, neque cognatus extra unam aniculam.
,, Hanc. *Da.*Jam scio, Geta: uxorem ille ducere
,, Cupiebat. *Ge.*At metuebat absentem patrem.
*Da.*Non, si rediisset, ei pater veniam daret?
*Ge.*Ille indotatam virginem, atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. *Da.*Quid fit denique?

Ge.

(20) *Ingenium*. Demiphonis, qui lucri caussa molestissimum iter suscepit.

Regem. Hominem opulentum.

Oportuit. Sub. divitiis uti scirem.

[23] *Usus venit*. Ita plane accidit.

[26] *Perdidi*. Vapulando.

[27] *Venere*. Id ego praevideram fore, ut tibi ita accideret.

[28] *Calces*. Sub. jactare. Graece πρὸς τὰ κέντρα λακτίζειν. Locutio sumta est a bobus arantibus, qui si contra stimulos calcitrent, gravius punguntur. Hujus adagii meminit ipse Salvator Act. Apost. IX. 5.

[29] *Uti foro*. Temporibus servire. Ut negotiatores, qui secundum annonam fori, pretium mercibus suis statuunt.

[33] *Paedagogum*. Magnifice dixit, ut modo *Magistrum*. Utraque enim voce proprie significatur custos vitae, & morum puerorum. De qua quidem notione vocabuli παιδάγωγος legendus praeter ceteros ὁ πάνυ Martorellius in de Thec.Calam. lib. I. cap. 7.

[34] *Ludum*. Nempe Κιθαριστικόν; ubi adolescentes psallere, & commode saltare discebant. Vid. Corn. Nep. in Praef.

[35] *Alter*. Antipho.

Ge. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui (illum Dii omnes perduint!)
Da. Quid is fecit? *Ge.* Hoc consilium, quod dicam, dedit.
Lex est, ut orbae, qui sunt genere proxumi,
Eis nubant, & illos ducere eadem haec lex jubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimilabo virginis:
Ad judices veniemus: qui fuerit pater,
Quae mater, quî cognata tibi sit, omnia haec
Confingam: quod erit mihi bonum, atque commodum.
Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratae lites: quid mea?
Illa quidem nostra erit. *Da.* Jocularem audaciam!
Ge. Persuasum est homini: factum est: ventum est: vincimur:
Duxit. *Da.* Quid narras? *Ge.* Hoc, quod audis. *Da.* O Geta,
Quid te futurum est? *Ge.* Nescio hercle: unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus aequo animo. *Da.* Placet:
Hem! istuc viri est officium. *Ge.* In me omnis spes mihi est.
Da. Laudo. *Ge.* Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret: Nunc amitte quaeso hunc: ceterum
Posthac, si quidquam, nihil precor. Tantummodo
Non addat: Ubi ego hinc abiero, vel occidito.
,, *Da.* Pater ejus rediit, an non? *Ge.* Nondum. *Da.* Sed tamen
,, Quoad expectatis illum? *Ge.* Non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo, &
Ad portitores esse delatam: hanc petam.
Da. Numquid, Geta, aliud me vis? *Ge.* Ut bene sit tibi.
Puer, heus! Nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

[47] *Lex est*. Vid. not. Adel. IV. 5. 18.

[49] *Scribam dicam*. Actionem intendam. In jus vocabo.

[56] *Nostra*. Ἠθικῶς, quum Antiphonis tantum esse debeat.

Jocularem. Εἰρωνεία κατ' ἀντίφρασιν. pro *minime jocularem*.

[63] *Amitte*. Dimitte.

[66] *Ejus*. Antiphonis.

[69] *Portitores*. Ita dicti, qui *portoria* [puta, vectigalia ex portu] redimebant.

[71] *Puer*. Servulum quemdam foras vocat.

Hoc. Argentum.

Dorcio. Nomen foeminae: erat fortasse uxor ipsius Getae.

SCE-

SCENA TERTIA.

ANTIPHO, PHAEDRIA.

Antipho de sua sorte conqueritur.

ADeon' rem rediisse, ut, qui mihi consultum esse optume velit,
Phaedria, patrem extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.
Ph. Quid istuc est? *An.* Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius
Sis? quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali.
Non potitus essem: fuisset tum mihi illos aegre aliquot dies:
At non quotidiana cura haec angeret animum. *Ph.* Audio.
„ *An.* Ita me Dii bene ament; ut mihi liceat meum celare hoc patrem,
„ Jam depecisci morte cupio. *Ph.* At liberalem nactus es,
„ Ingenuam, ita ut voluisti, uxorem, sine mala fama: palam
Beatus, ni unum desit, animus qui modeste istaec ferat.
An. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis.
Ph. Ita plerique ingenio sumus omnes: NOSTRI nosmet poenitet.
An. Sed hoc quid est? videon' ego advenire huc currentem Getam?
Is ipsus est, timeo miser, quam nunc mihi hic rem nunciet.

(6) *Eo.* Ad nuptias.
(8) *Audio.* Ita solent, qui neque assentiunt, neque contradicunt. Infra V. 7. 54.
(10) *Depecisci* &c. Pactione transigere, ut moriar.

SCENA QUARTA.

Geta, Antipho, Phaedria.

Narrat Antiphoni Geta, e Cilicia rediisse ejus patrem; quo jam superveniente, Antipho fugit.

Nullus es, Geta, nisi jam aliquod tibi consilium celere repperis:
Ita subito nunc imparatum tanta te impendent mala:
Quae neque uti devitem scio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia:
Quae si non astu providentur, me, aut herum pessum dabunt.
An. Quidnam ille commotus venit? *Ge.* Tum, temporis punctum mihi
Ad hanc rem est: herus adest. *An.* Quid istuc est mali?
Ge. Quod cum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiae?
Loquar ne? incendam. Taceam? instigem. Purgem me? laterem lavem.
Eheu me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam absque eo
Esset, recte ego mihi vidissem, & senis essem ultus iracundiam:
Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.
An. Quam hic fugam, aut furtum parat?
Ge. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quaerere insistam via?
Ph. Te nominat. *An.* Nescio, quod magnum, hoc nuncio, exspecto malum.

Ph.

(1) *Nullus es*. Periisti, actum est de te.

(9) *Laterem lavem*. Operam perdam. Proverbium, cui simile & illud est *Aethiopem lavare*. Lateris enim rubor, & Aethiopis nigror nulla abluitur aqua, neque ulla ratione candescit.

(12) *Vidissem*. Providissem.

Ph. Ah! sanu' ne es?
Ge. Domum ire pergam: ibi plurimum est. *Ph.* Revocemus hominem. *An.* Sta illico. *Ge.* Hem!
Satis pro imperio! quisquis es. *An.* Geta. *Ge.* Ipse est, quem volui obviam.
An. Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.
Ge Faciam. *An.* Eloquere. *Ge.* Modo apud portum. *An.* Meum ne? *Ge* Intellexti. *An.* Occidi! *Ph.* Hem!
An. Quid agam? *Ph.* Quid ais? *Ge.* Huju' patrem vidisse me, patruum tuum.
An. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?
Ge. Antipho, nunc te advigilare aequom est. Fortes fortuna adjuvat.
An. Non sum apud me. *Ge.* Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho;
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. *Ph.* Hoc verum est. *An.* Non possum immutarier.
Ge. Quid si aliquid gravius tibi nunc faciundum foret?
An. Cum hoc non possum, illud minu' possem. *Ge.* Hoc? nihil est, Phaedria, ilicet:
Quid conterimus operam frustra? quin abeo? *Ph.* Et quidem ego. *An.* Obsecro,
Quid si assimulo? satin' est? *Ge.* Garris. *An.* Voltum contemplamini, hem!
Satin' sic est? *Ge.* Non. *An.* Quid si sic? *Ge.* Propemodum. *An.* Quid si sic? *Ge.* Sat est:
Hem! istuc serva, & verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne suis te iratus saevidictis protelet. *An.* Scio.
Ge. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? *An.* Ipsus est.

Non

(19) *Satis pro* &c. Satis imperiose loqueris.

(29) *Hoc? nihil est.* Quasi dicat. Hoc non potes, quod nihil est? *Ilicet.* Per Syncopen, pro *ire licet*.

(34) *Protelet.* Proturbet, exagitet.

Non possum adesse. *Ge.* Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane inquam. *An.* Egomet me novi, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & vitam meam.
Ph. Geta, quid nunc fiet? *Ge.* Tu jam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phaedria.
Ph. Aufer mihi; oportet: quin tu, quid faciam, impera.
Ge. Meministin' olim ut fuerit vostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Justam illam caussam, facilem, vincibilem, optumam.
Ph. Memini. *Ge.* Hem! nunc ipsa ea est opus, aut si quid potest,
Meliore, & callidiore. *Ph.* Fiet sedulo.
Ge. Nunc prior adito tu: ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. *Ph.* Age.

(41) *Pendens*. Solebant domini servos sublimes suspendere, & loris caedere.

(51) *Succenturiatus*. *Succenturiati* proprie dicuntur milites, qui in pugna *Centuriis* laborantibus, seu occisis substituuntur.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

DEMIPHO, GETA, PHAEDRIA.

Geta, & Phaedria Antiphonem defendunt apud patrem; qui tandem sibi adduci jubet Phormionem.

ITa te tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?
Nec meum imperium: age, mitto imperium: non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? o facinus audax! o Geta

Monitor! *Ge.* Vix tandem. *De.* Quid mihi dicent, aut quam cauffam reperient?
Demiror. *Ge.* Atqui repperi jam: aliud cura. *De.* An hoc dicet mihi?
Invitus feci: lex coëgit. Audio, fateor. *Ge.* Placet.
De. Verum fcientem, tacitum, cauffam tradere advorfariis,
Etiam ne id lex coëgit? *Ph.* Illud durum. *Ge.* Ego expediam: fine.
De. Incertum eft, quid agam, quia praeter fpem, atque incredibile hoc mihi obtigit.
Ita fum iratus, animum ut nequeam ad cogitandum inftituere.
Quamobrem OMNES, cum fecundae res funt maxume, tum maxume
Meditari fecum oportet, quo pacto advorfam aerumnam ferant:
Pericla, damna, exilia. peregre rediens femper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae:
Communia effe haec: fieri poffe: ut ne quid animo fit novum:
Quidquid praeter fpem eveniat, omne id deputare effe in lucro.
Ge. O Phaedria, incredibile eft, quanto herum anteeo fapientia.
Meditata mihi funt omnia mea incommoda: herus fi redierit,
Molendum ufque in piftrino: vapulandum: habendae compedes:
Opus ruri faciundum: horum nil quidquam accidet animo novum.
Quidquid praeter fpem eveniet, omne id deputabo effe in lucro.
Sed quid hominem ceffas adire, & blande in principio alloqui?
De. Mei fratris video filium ire mihi obviam.
Ph. Mi patrue, falve. *De.* Salve: fed ubi eft Antipho?
Ph.

(4) *Vix tandem*. Sub. me nominat. I. e. pene mei oblitus effe videbatur.

*Ph.*Salvom advenire. *De.*Credo: hoc responde mihi.
*Ph.*Valet: hic est; sed satin' omnia ex sententia?
*De.*Vellem quidem. *Ph.* Quid istuc? *De.*Rogitas, Phaedria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias.
*Ph.*Eho, an id succenses nunc illi? *Ge.*Artificem probum.
*De.*Ego ne illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
*Ph.*Atqui nil fecit, patrue, quod succenseas.
*De.*Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnes noris. *Ph.*Haud ita est.
*De.*Hic in noxa est, ille ad defendendam caussam adest.
Cum ille est, hic praesto est. TRADUNT operas mutuas.
*Ge.*Probe eorum facta imprudens depinxit senex:
*De.*Nam ni haec ita essent, cum illo haud stares, Phaedria.
*Ph.*Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret, aut famae temperans:
Non caussam dico, quin, quod meritus sit, ferat.
Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostrae fecit adolescentiae,
Ac vicit: nostran' culpa ea est, an judicum,
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
*Ge.*Ni nossem caussam, crederem vera hunc loqui.
*De.*An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? *Ph.*Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui.

Ita

(25) *Advenire*. Sub. te gaudeo. quod ne addat Phaedria, aestus interrumpentis Demiphonis facit.

(37) *Ille est*. Sub. in noxa, in culpa.

Hic praesto est. Sub. ad defendendum.

Tradunt &c. Idem est ac illud Varronis apud Nonium; *Mutuum muli scabunt*.

(40) *Si est, ut admiserit*. Pro *si admisit*. Terentianum est. Item Adel. III. 4. 4. & alibi.

(41) *Ex qua re*. Pro *ex qua culpa*.

Foret temperans. Graecismus. Pro *temperaret*, i. e. consuleret rei familiari, ac famae.

(50) *Tua justa*, Tuum jus.

Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
*Ge.*Laudo hunc; sed cesso adire quamprimum senem?
Here, salve: salvom te advenisse gaudeo. *De.*Oh!
Bone custos, salve: columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
*Ge.*Jamdudum te omnes nos accusare audio,
Immerito, & me horum me omnium immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem caussam orare leges non sinunt:
Neque testimonii dictio est. *De.*Mitto omnia: addo
Istuc: imprudens timuit adolescens: sino:
Tu servos: verum si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere, sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis; quaereret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
*Ge.*Non ratio, verum argentum deerat. *De.*Sumeret
Alicunde. *Ge.*Alicunde? nihil est dicto facilius.
*De.*Postremo, si nullo alio pacto, foenore.
*Ge.*Hui! dixti pulchre, si quidem quisquam crederet
Te vivo. *De.*Non, non sic futurum est: non potest.
Ego ne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nil suave meritum est. Hominem commonstrarier
Mihi istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
*Ge.*Nempe Phormionem. *De.*Istum patronum mulieris.
*Ge.*Jam faxo hic aderit. *De.*Antipho ubi nunc est? *Ph.*
Foris.
*De.*Abi, Phaedria, eum require, atque adduce huc. *Ph.*
Eo
„ Recta via equidem illuc. *Ge.*Nempe ad ludum. *De.*
Ast ego
Deos penateis hinc salutatum domum
Divortor: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

(63) *Dictio*. Jus dicendi.
(65) *Si* &c. Quamvis omnino cognata Antiphonis fuisset.
(72) *Crederet*. Sub. pecuniam.
(73) *Non potest*. Sub. ita fieri.
(75) *Nil suave* &c. Nihil mihi mercedis suave est. Quod recte exponit Dacieria: *je ne le ferois pas pour un royaume*.
(81) *Salutatum*. Peregre advenientes, vel abituri domesticos Deos adorabant.

SCENA SECUNDA.

PHORMIO, GETA.

Adducitur Phormio, qui se ad pugnam cum Demiphone comparat.

ITa ne patris ais conspectum veritum hinc abiisse? *Ge.*Admodum.
*Ph.*Phanium relictam solam? *Ge.*Sic. *Ph.*Et iratum senem?
*Ge.*Oppido. *Ph.*Ad te summa solum, Phormio, rerum redit:
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.
Ge. Obsecro te. *Ph.* Si rogabit? *Ge.* In te spes est. *Ph.* Eccere:
Quid si reddet? *Ge.* Tu impulisti. *Ph.* Sic opinor. *Ge.* Subveni.
*Ph.*Cedo senem: jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia.
*Ge.*Quid ages? *Ph.*Quid vis? nisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis?
*Ge.*O vir fortis, atque amicus: verum hoc saepe, Phormio,
Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. *Ph.*Ah!

Non

(4) *Tute* &c. Παροιμία apta parasito, quippe de cibo est. Dici autem solet inter rusticos, qui utuntur cibo, quod *intritum*, & *alliatum* dicitur; constans ex allio, cepis &c. in mortario contusis. Sensus est: incipiundi auctor exstitisti, nunc idem expedias oportet. Huc & illud spectat: *Colo quod aptasti, ipsi tibi nendum est.*

(5) *Si* &c. Si Demipho rogabit de Phanii cognatione cum Antiphone. Haec autem, & quae sequuntur, verba sunt Phormionis cogitantis, non respondentis.

Eccere. Per Cererem. Vid. not. Plaut. Capt. IV. 2. 99.

(6) *Reddet*. Restituet Phanium mihi.

(11) *In nervum*. In carcerem, & vincula. *Nervus* enim est vinculi lignei genus, in quod pedes conjecti arctantur.

Non ita est: factum est periclum, jam pedum visa est via.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem
Hospites, tum cives? quo magi' novi, tanto saepius.
Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mi scriptam dicam?
Ge. Qui istuc? *Ph.* Quia NON RETE accipitri tenditur, neque milvio,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse. Dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
Ge. Non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
Ph. Immo enim nemo sati' pro merito gratiam regi refert.
Te ne asymbolum venire, unctum, atque lautum a balneis,
Otiosum ab animo; cum ille & cura, & sumtu absumitur,
Dum tibi sit, quod placeat: ille ringitur, tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas: coena dubia apponitur?
Ge. Quid istuc verbi est? *Ph.* Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Haec, quum rationem ineas, quam sint suavia, & quam cara sint;

Ea

(12) *Jam* &c. H. e. Perspecta jam ratio expediendi illud. Sumtum a viatoribus; qui viam videntes, norunt qua eundum sit.

(13) *Deverberasse* &c. Per fraudem & calumniam bonis expoliasse. Ut illud Plauti Capt. III. 5. 14: *Dilaceravisti* &c.

(14) *Quo magis*. Videtur per ὑστερολογίαν dictum, pro *quo saepius, tanto magis novi*.

(15) *En unquam*. Unquam ne.

(16) *Non rete* &c. Juvenal. II. 63. *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*.

(20) *Ducent* &c. Addicent me domi ad servitutem; quippe qui non sum solvendo.

(23) *Ab illo*. Antiphone.

(24) *Regi*. Vid. not. Plaut. Capt. I. 1. 17.

(25) *Asymbolum*. Sine symbola, sine sumtu. Adisis Andriae not. I. 1. 63.

(30) *Rationem ineas*. Tecum serio reputes.

Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem Deum ?
Ge.Senex adest, vide quid agas : prima coitio est acerrima :
Si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet.

(33) *Prima coitio*. Primus impetus.

SCENA TERTIA.

DEMIPHO, GETA, PHORMIO.

Adest cum amicis Demipho, quicum strenue concertat Phormio.

EN unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam, quam haec est mihi ?
Adeste quaeso. Ge.Iratus est. Ph.Quin tu hoc age, st.
Jam ego hunc agitabo. Pro Deûm immortalium !
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho ?
Hanc Demipho negat esse cognatam ? Ge.Negat.
De.Ipsum esse opinor, de quo agebam. Sequimini.
Ph.Neque ejus patrem se scire, qui fuerit ? Ge. Negat.
Ph. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit ? Ge. Negat.
Ph.Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Neglegitur ipsa: vide, avaritia quid facit !
Ge.Si herum insimulabis avaritiae, male audies.
De.O audaciam ! etiam ne ultro accusatum advenit ?
Ph.Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat ; quippe homo jam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat : ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat. Saepe interea mihi senex
Nar-

(4) *Pro Deûm*. Sub. fidem. Hic autem Phormio exclamare incipit, ut Demipho audiat, & terreatur.

(9) *Stilphonem*. Adverte hoc nomen non fictum a parasito esse, sed a Phanio auditum.

(11) *Vide*. Stomachantis vox.

(15) *Homo*. Stilpho; de quo multa hic fingit parasitus ad fidem faciendam.

(16) *Cui opera* &c. Qui labore, & manu victum quaerebat.

Narrabat: se hunc neglegere cognatum suum:
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum.
*Ge.*Videas te, atque illum, ut narras. *Ph.*Abi in malam crucem!
Nam ni ita eum existumassem, numquam tam graveis
Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
*Ge.*Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?
*Ph.*Dignum autem hoc illo est. *Ge.*Ain' tandem, carcer? *De.*Geta.
*Ge.*Bonorum extortor, legum contortor. *De.*Geta.
*Ph.*Responde. *Ge.*Quis homo est? ehem! *De.*Tace. *Ge.* Absenti tibi
Te indignas, seque dignas contumelias
Numquam cessavit dicere hodie. *De.*Ohe, desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum? explana mihi:
Et quî cognatum me sibi esse diceret.
Ph. Proinde expiscare, quasi non nosses. *De.* Nossem? *Ph.*Ita.
*De.*Ego me nego: tu, qui ais, redige ad memoriam.
*Ph.*Eho, tu sobrinum tuum non noras? *De.*Enicas:
Dic nomen. *Ph.*Nomen? maxume. *De.*Quid, nunc taces?
*Ph.*Perii hercle! nomen perdidi. *De.*Hem, quid ais? *Ph.* Geta,
Si meministi id quod olim dictum est, subjice. Hem!
Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
*De.*Egon' autem tento? *Ge.*Stilpho. *Ph.*Atque adeo quid mea?
Stilpho est. *De.*Quem dixti? *Ph.*Stilphonem inquam noveras?
*De.*Neque ego illum noram, neque mihi cognatus fuit
Quisquam isto nomine. *Ph.* Ita ne? non te horum pudet?

At

(19) *Hunc*. Demiphonem.

(21) *Illum*. Sub. vides. Sensus est: Ex hoc, quod narras, crediderim tui similem fuisse senem illum. Aliter id expressum Eun. III. 2. 7.

(35) *Proinde*. Perinde. *Expiscare*. Exquiris, exploras.

At si talentûm rem reliquisset decem.
*De.*Dii tibi male faciant. *Ph.*Primus esses memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.
*De.*Ita ut dicis. Ego tum cum advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face:
Cedo, quî est cognata? *Ge.*Eu, noster! recte. heus tu! cave.
*Ph.*Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus; tum, id si falsum fuerat, filius
Cur non refellit? *De.*Filium narras mihi?
Cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest.
*Ph.*At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem caussa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hic de eadem caussa bis judicium adipiscier.
*De.*Etsi facta mihi injuria est, verumtamen
Potius quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.
*Ph.*Ha, ha, hae! homo suavis. *De.*Quid est? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod jus publicum est?
,, *Ph.*Ita ne tandem quaeso, ubi jam virgo nupta sit,
,, Ei dotem dare jubet lex, atque amittere; an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo jussa est dari,
Ut cum uno aetatem degeret, quod tu vetas?
*De.*Ita, proxumo quidem: at nos unde? at quamobrem? *Ph.*Ohe,
Actum, ajunt, ne agas. *De.*Non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. *Ph.*Ineptis. *De.*Sine modo.
*Ph.*Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Praeterierat jam ducendi aetas. *De.*Omnia haec
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere:

Aut

(46) *Rem*. Hereditatem.
(51) *Heus tu*! Haec aversus Geta Phormioni dicit.
(58) *Regnas*. Vid. Adel. II. 1. 21.
(73) *Sine*. Comminantis est, ut Eun. II. 1. 48.

Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
Ge. Iratus est. *Ph.* Tute idem melius feceris.
De. Ita ne es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? *Ph.* Metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. *Ge.* Bene habent tibi principia. *Ph.* Quin, quod est
Ferundum, feras: tuis dignum factis feceris;
Ut amici inter nos simus. *De.* Egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim?
Ph. Si concordabis cum illa, habebis quae tuam
Senectutem oblectet: respice aetatem tuam.
De. Te oblectet: tibi habe. *Ph.* Minue vero iram. *De.* Hoc age;
Satis jam verborum est: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio.
Ph. Si tu illam attigeris secus, quam dignum est liberam;
Dicam impingam tibi grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. *Ge.* Intellego.

(79) *Tute* &c. Rectius est, te domum relinquere, quam filium ejicere.

(90) *Dixi*. Ita solebant perorata caussa. Hic tamen est comminantis.

SCENA QUARTA.

DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

Demipho amicos consulit de filii nuptiis, & eorum responsis incertior redditur.

QUanta me cura, & sollicitudine afficit
Gnatus, qui me & se hisce impedivit nuptiis.
Neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiae.
Abi tu, vise redierit ne jam, an nondum, domum.
Ge. Eo. *De.* Videtis quo in loco res haec siet:
Quid ago? dic, Hegio. *He.* Ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur. *De.* Dic, Cratine. *Cr.* Me ne vis?

De.

[7] *Censeo*. Sub. dicere debere; priorem interrogandum.

De. Te. *Cr.* Ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias. Mihi
Sic hoc videtur. Quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, aequom est, & bonum:
Et id impetrabis. Dixi. *De.* Dic nunc, Hegio.
He. Ego sedulo hunc dixisse credo: verum ita est,
QUOT HOMINES, tot sententiae: suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptu est. *De.* Dic, Crito.
Cri. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. *He.* Numquid nos vis? *De.* Fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. *Ge.* Negant
Rediisse. *De.* Frater est expectandus mihi: is
Quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
Ge. At ego Antiphonem quaeram, ut, quae acta hic sint, sciat:
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

[11] *In integrum.* Ita ut, quae facta sunt, pro infectis habeantur, & irrita fiant.

[22] *Quoad se* &c. Quando rediturus sit.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

ANTIPHO, GETA.

Antipho quid actum a patre sit, e Geta cognoscit.

ENimvero, Antipho, multimodis cum istoc animo vituperandus es.
Itane te hinc abiisse, & vitam tutandam dedisse aliis tuam?
Alios tuam rem credidisti, quam te te, animadversuros magis?

Nam

Nam, ut ut erant alia, illi certe conſuleres, quae nunc tibi domi eſt,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali:
Cujus nunc miſerae ſpes, opeſque ſunt in te uno omnes ſitae.
Ge. Equidem, here, nos jamdudum hic te abſentem incuſamus, qui abieris.
An. Te ipſum quaerebam. *Ge.* Sed ea cauſſa nihilo magis defecimus.
An. Loquere obſecro, quonam in loco ſunt res & fortunae meae?
Numquid patri ſubolet? *Ge.* Nil etiam. *An.* Ecquid ſpei porro eſt? *Ge.* Neſcio. *An.* Ah!
Ge. Niſi Phaedria haud ceſſavit pro te eniti. *An.* Nihil fecit novi.
Ge. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, ſtrenuum hominem praebuit.
An. Quid is fecit? *Ge.* Confutavit verbis admodum iratum ſenem.
An. Eu! Phormio. *Ge.* Ego, quod potui, porro. *An.* Mi Geta, omnes vos amo.
Ge. Sic ſeſe habent principia, ut dico: adhuc tranquilla res eſt:
Manſuruſque patruum pater eſt, dum huc adveniat. *An.* Quid eum? *Ge.* Ajebat,
De ejus conſilio velle ſeſe facere, quod ad hanc rem attinet.
An. Quantus metus eſt mihi, venire huc ſalvom nunc patruum, Geta:
Nam, ut audio, per unam ejus aut vivam, aut moriar ſententiam.
Ge. Phaedria tibi adeſt. *An.* Ubinam? *Ge.* Eccum ab ſua palaeſtra exit foras.

(4) *Illi*. Uxori.

(10) *Subolet*. Rem ex compacto actam eſſe, & me mea voluntate eſſe coactum, ut Phanium ducerem.

(11) *Nihil* &c. Quaſi dicat: Antiquum morem ſuum obtinet.

(20) *Palaeſtra*. Ludo. Sup. I. 2. 34.

SCE-

SCENA SECUNDA.

PHAEDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

Phaedria Dorionem orat, ne promissum sibi mancipium militi vendat; eique se intra triduum nummos pro illo daturum pollicetur.

DOrio, audi obsecro. *Do.*Non audio. *Ph.* Parumper. *Do.*Quin omitte me.
*Ph.*Audi, quod dicam. *Do.*At enim taedet jam audire eadem millies.
*Ph.*At nunc dicam, quod lubenter audias. *Do.*Loquere, audio.
Ph. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?
*Do.*Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi.
,, *An.*Hei, metuo Dorionem, ne quid suat. Suo capiti! *Ge.*Idem ego metuo.
*Ph.*Non mihi credis? *Do.* Hariolare. *Ph.* Sin fidem do. *Do.*Fabulae.
*Ph.*Foeneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. *Do.* Logi.
Ph. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. *Do.*Somnia.
*Ph.*Experire, non est longum. *Do.* CANTILENAM eandem canis.
*Ph.*Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus. *Do.*Garris modo.
*Ph.*Adeon' ingenio esse te duro, atque inexorabili,
Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?
*Do.*Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, Phaedria,

Ut

(6) *Suo*. Dicere debuisset *Phaedriae*, in cujus nim. caput metuit ne quid Dorio machinetur. Substituit tamen *suo* διὰ τὸν εὐφημισμόν, flectens sermonem in ipsum Dorionem per imprecationem. Vid. Hec. III. 1. 52. & infra V. 7. 82.

(7) *Hariolare*. Sub. me tibi non credere.

(8) *Logi*. Graece λόγοι. Dicta ridicula, & contemnenda. Eodem sensu supra dixit *Fabulae*.

Ut phaleratis dictis ducas me, & meum ductes gratiis?
*An.*Misertum est. *Ph.*Hei! veris vincor. *Ge.*Quam similis uterque est sui?
*Ph.*Neque, alia Antipho cum occupatus esset sollicitudine,
Tum esse hoc mi objectum malum? *An.*Ah! quid istuc autem est, Phaedria?
,, *Ph.*O fortunatissime Antipho. *An.*Ego ne? *Ph.*Cui nunquam id accidit,
Nec cum huju'modi unquam usus venit ut conflictares malo.
An. Nam quid hic confecit? *Ph.* Hiccine? quod homo inhumanissimus:
,, Mancipium mihi promissum vendidit. *An.* Quid? vendidit?
,, *Ph.*Vendidit. *Do.* Quam indignum facinus! mancipium aere emtum suo.
*Ph.*Nequeo exorare, ut me maneat, & illo cum ut mutet fidem:
Triduum hoc: dum id, quod est promissum ab amicis argentum aufero.
Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.
*Do.*Obtundis. *An.*Haud longum est quod orat, Dorio: exoret, sine:
Idem hic tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
*Do.*Verba istaec sunt. *Ge.*Dii tibi omnes id, quod es dignus, duint.
*Do.*Ego te complureis advorsum ingenium meum menses tuli,
,, Pollicitantem, & nil ferentem: nunc contra jam repperi,
Qui det continuo: da locum melioribus.

An.

(15) *Phaleratis*. Fucatis, speciosis.
Meum. Mancipium.
(17) *Neque*. Pendet ab eo, quod animo cogitaverat. Scil. doleo nunc mihi malum hoc objici, *neque objectum esse tum, cum Antipho* &c.
Alia. Minore aliqua, quam nunc habet.
(21) *Nam quid*. Pro *quidnam*.
(24) *Illo cum*. Pro *cum illo*.
Mutet fidem. Pacto non stet.

*An.*Certe hercle, ego satis si commemini, tibi quidem est olim dies,
Quam ad dares huic, praestituta. *Ph.*Factum. *Do.*Num ego istuc nego?
*An.*Jamne ea praeteriit? *Do.*Non, verum ei haec antecessit. *An.*Non pudet
Vanitatis? *Do.*Minime, dum ob rem. *Ge.*Sterquilinium. *Ph.*Dorio,
Ita ne tandem facere oportet? *Do.*Sic sum: si placeo, utere.
*An.*Siccine hunc decipis? *Do.*Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me huju' modi sciebat esse: ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui.
Sed ut ut haec sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phaedria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est. Vale.

(36) *Vanitatis*. Antipho perfidiae insimulat Dorionem, quod ante diem Phaedriae constitutam, militi vendidisset mancipium.

Rem. Lucrum.

Sterquilinium. Homo impurissime.

(43) *Lege*. Nimirum, conditione emtioni adjecta.

SCENA TERTIA.

PHAEDRIA, ANTIPHO, GETA.

Phaedria cum Antiphone Getam orat, ut argentum Dorioni dandum alicunde quaerat.

QUid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minu' nihilo est? quod si hic pote fuisset nunc exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat. *An.* Ita ne hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjurit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?

Ge.

*Ge.*Scio equidem hoc esse aequom. *An.*Age ergo, solus servare hunc potes.
*Ge.*Quid faciam? *An.*Invenias argentum. *Ge.*Cupio: sed, id unde, edoce.
An. Pater adest hic. *Ge.* Scio: sed quid tum? *An.* Ah! DICTUM sapienti sat est.
*Ge.*Itane? *An.*Ita. *Ge.*Sane hercle pulcre suades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me hujus quaerere caussa in malo jubeas crucem?
*An.*Verum hic dicit. *Ph.*Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? *Ge.*Haud puto:
Sed parum ne est, omnibu' quod nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locu' relinquatur preci?
*An.*Vide, si quid opis potes adferre huic. *Ge.* Si quid? quid? *An.*Quaere, obsecro.
*Ge.*Quaero: salvos est, ut opinor. Verum enim metuo malum.
*An.*Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
Ge. Quantum argenti opus est tibi? loquere. *Ph.* Solae triginta minae.
,, *Ge.*Triginta? hui, percarum est. *Ph.*Istuc vero vile est, o Geta.
*Ge.*Age, age, inventas reddam. *Ph.* O lepidum caput! *Ge.*Aufer te hinc. *Ph.*Jam opus est.
*Ge.*Jam feres. Sed opu' est mihi Phormionem adjutorem ad rem hanc dari.
An. Praesto est: audacissime oneris quidvis impone, & feret:
Solus est homo amico amicus. *Ge.*Eamus ergo ad eum ocius.
*An.*Numquid est, quod mea opera vobis opu' sit? *Ge.*Nil: verum abi domum, &

Illam

(10) *Non triumpho*. An non belle mecum agitur, si &c.

(11) *Crucem*. Aliud majus, & gravius malum.

(16) *Salvos est*. H.e. jam inveni, quod illum salvum faciat.

(19) *Percarum*. Mancipium. *Vile est*. Si illius dotes pendas.

(20) *Jam*. Emphaticum. Nunc, nunc opus est pecunia.

Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare: cessas? *An.* Nihil est, aeque quod faciam lubens.
Ph. Qua via istuc facies? *Ge.* Dicam in itinere: modo te hinc amove.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

DEMIPHO, CHREMES.

Chremes narrat fratri de suo in Lemnum itinere, & ab eo vicissim de Antiphonis nuptiis audit.

QUid? qua profectus caussa hinc es Lemnum, Chremes?
Adduxtin' tecum filiam? *Ch.* Non. *De.* Quid ita non?
Ch. Postquam videt me ejus mater hic esse diutius,
Simul autem non manebat aetas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me esse profectam ajebant. *De.* Quid illic tamdiu
Quaeso igitur commorabare, ubi id audiveras?
Ch. Pol me detinuit morbus. *De.* Unde? aut qui? *Ch.* Rogas?
Senectus ipsa est morbus: sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
De. Quid gnato obtigerit me absente, audistin' Chreme?
Ch. Quod quidem me factum consilii incertum facit:
Nam hanc conditionem si cui tulero extraneo,
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.
Te mihi fidelem esse aeque, atque egomet sum mihi,
Sci-

(4) *Manebat*. Exspectare poterat.

(13) *Nam* &c. Si enim filiae meae nuptias obtulero alicui extraneo.

(14) *Unde*. Ex qua uxore susceptа sit.

Scibam: ille si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin spreverit me; plus, quam opus est scito, sciet:
Vereorque, ne uxor aliquâ hoc rescifcat mea.
Quod si fit; ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
De. Scio ita esse, & istaec mihi res sollicitudini est:
Neque defetiscar usque adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

(17) *Tacebit*. Celabit conjugium a me Lemni contractum cum alia uxore.

(18) *Sciet*. Nollem conscium eum esse hujus arcani.

(20) *Me excutiam*. Abigam me. Donatus legit *excutias*.

SCENA SECUNDA.

GETA

Narrat, quid egerit cum Phormione.

EGo hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. Venio ad hominem, ut dicerem
Argentum opus esse, & id quo pacto fieret:
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quaerebat senem:
Diis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phaedriae se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni. Hominem ad forum
Jussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
Sed eccum: quis est ulterior? at at at! Phaedriae
Pater venit: quid pertimui autem, bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est,
Si ab hoc nil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

[3] *Fieret*. Comparari posset.

[10] *Eccum*. Senem Demiphonem.

Ulterior. Ultra, praeterea.

[13] *Duplici* &c. Habere duos, unde sperem me pecuniam posse auferre.

SCENA TERTIA.

ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

Geta emungit argento ſenes, eoſque mire lùdificatur.

EXpecto, quam mox recipiat ſeſe Geta:
Sed patruum video cum patre adſtantem. Hei mihi!
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem!
Ge. Adibo hoſce. O noſter Chreme. *Ch.* Salve, Geta.
Ge. Venire ſalvom volupe eſt. *Ch.* Credo. *Ge.* Quid agitur?
Ch. Multa advenienti, ut fit, nova hic, compluria.
Ge. Ita de Antiphone audiſtin' quae facta? *Ch.* Omnia.
Ge. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri! *De.* Id cum hoc agebam commodum.
Ge. Nam hercle ego quoque id agitans mecum ſedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. *De.* Quid, Geta?
Quod remedium? *Ge.* Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. *Ch.* Qui Phormio? *Ge.* Is, qui iſtanc.
Ch. Scio.
Ge. Viſum eſt mihi, ut ejus tentarem ſententiam.
Prendo hominem ſolum: cur non, inquam, Phormio
Vides, inter vos ſic haec potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Heru' liberalis eſt, & fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret.
An. Quid hic coeptat? aut quo evadet hodie? *Ge.* An legibus
Daturum poenas dices, ſi illam ejecerit?
Jam id exploratum eſt. heja! ſudabis ſatis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia eſt.
Verum pone eſſe victum eum: at tandem tamen
Non capitis ejus agitur, ſed pecuniae.

Poſt-

(8) *Tun'*. Haec ad Demiphonem.

(9) *Circumiri*. Circumveniri, decipi.

(13) *Iſtanc*. Phanium. Sub. defendit, nobiſque obtruſit.

(20) *Praecipitem* &c. Domo Phanium ejiceret.

Postquam hominem his verbis sentio mollirier:
Soli sumus nunc hic, inquam, eho dic, quid vis dari
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus,
Haec hinc facessat, tu molestus ne sies?
An. Satin' illi Dii sunt propitii? *Ge.* Nam sat scio,
Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris,
Ut ille est bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. *De.* Quis te istaec jussit loqui?
Ge. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. *An.* Occidi! *Ch.* Perge eloqui.
Ge. At primo homo insanibat. *Ch.* Cedo, quid postulat?
Ge. Quid? nimium: quantum lubuit. *Ch.* Dic. *Ge.* Si quis daret
Talentum magnum. *Ch.* Imo malum, hercle: ut nil pudet!
Ge. Quod dixi adeo ei: quaeso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quae dotem petat.
Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias:
Haec denique ejus fuit postrema oratio:
Ego, inquit, jam a principio amici filiam,
Ita ut aequom fuerat, volui uxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem eju' incommodum,

In

(31) *Satin'* &c. An Dii irati mentem ei ademerunt? Haec ait Antipho ignarus consilii Getae; & metuens, ne is serio ageret de Phanio Phormioni reddenda.

(33) *Commutabitis*. *Commutare verba* proprie est colloqui. hic tamen in malam partem accipitur pro *jurgari*.

(39) *Talentum*. Atticum Talentum [de quo saepe Noster] constabat 60 minis argenteis, seu 600 aureis nostratibus, *ducatis* inquam. Enimvero singulae minae 100 drachmas Atticas, seu denarios nostrates, vulgo *carolenos*, continebant. Porro hujusmodi Talentum, apud Latinos Scriptores modo κατ' ἐξοχὴν *Talentum* simpliciter dictum, modo διακριτικῷ nomine, ut a Talentis aliarum gentium dignosci posset, *Talentum magnum* audivit. Quod quidem Gronovius in de Pecun. Vet. lib. III. cap. 4. scite asserit contra Priscianum, qui *Talentum magnum* 80 minas valuisse autumat.

Malum. Imprecando Παρανομασίαν facit.

(40) *Quid si* &c. Quam aliam majorem dotem daret Demipho, si &c.

(42) *Non suscepisse*. Nullam filiam genuisse.

In servitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quae afferret, qui dissolverem
Quae debeo: & etiam nunc, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quae sponsa est mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc, uxorem dari.
*An.*Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia
Dicam, scientem, an imprudentem, incertu' sum.
*De.*Quid, si animam debet? *Ge.*Ager oppositu'st pignori ob
Decem minas, inquit. *De.*Age age, jam ducat: dabo.
*Ge.*Aediculae item sunt ob decem alias. *De.* Hoi! hui!
Nimium est. *Ch.*Ne clama: petito hasce a me decem.
*Ge.*Uxori emunda ancillula: tum pluscula
Supellectile opus est, opu' sumtu ad nuptias:
His rebus pone sane, inquit, decem minas.
*De.*Sexcentas proin potius scribito jam mihi dicas:
Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
*Ch.*Quaeso ego dabo, quiesce: tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *An.* Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
*Ch.*Mea caussa ejicitur: me hoc est aequom amittere.
*Ge.*Quantum potest, me certiorem, inquit, face,
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.
*Ch.*Jam accipiat: illis repudium renunciet:
Hanc ducat. *De.*Quae quidem illi res vortat male.

Ch.

(48) *In servitutem* &c. Fusius id expressit Plautus Aul. II. 2. v. 49. & seqq.

(52) *Ab hac*. Altera scil. muliere.

(56) *Animam debet*. Proverbium de eo, qui immodico aere alieno ita oppressus est, ut, cum non sit solvendo, seipsum i. e. suam operam debeat creditori. Sup. II. 2. 20.

Ager &c. Astute. non protinus triginta minas dixit, sed in varias partes summam divisit. nam si semel diceret, deterreret parcissimum senem.

(63) *Sexcentas* &c. Malo sexcentas lites intendat mihi Phormio.

(66) *Illam*. Intelligit filiam suam in Lemno susceptam.

(68) *Hoc*. Argentum.

Amittere. Dare.

(71) *Illi*. Parentes, cognati alterius mulieris.

(72) *Accipiat*. Minas triginta.

*Ch.*Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt praedia:
Id ſumam: uxori, tibi opus eſſe, dixero.

(76) *Uxori*. Nauſiſtratae. *Tibi*. O Demipho.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO, GETA.

Getam objurgat Antipho, quippe illius dolis ereptam ſibi Phanium putabat; ſed ab eo de tota re certior factus, quieſcit.

GEta! *Ge.*Hem! *An.*Quid egiſti? *Ge.*Emunxi argento ſenes.
*An.*Satin' eſt id? *Ge.*Neſcio hercle: tantum juſſu' ſum.
*An.*Eho, verbero, aliud mihi reſpondes, ac rogo?
*Ge.*Quid ergo narras? *An.*Quid ego narrem! opera tua ad
Reſtim mihi quidem res rediit planiſſume:
Ut te quidem omnes Dii, Deaeque, Superi, Inferi
Malis exemplis perdant. Hem! ſi quid velis,
Huic mandes, qui te ad ſcopulum e tranquillo inferat.
Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta eſt ſpes patri,
Poſſe illam extrudi. Cedo nunc porro, Phormio
Dotem ſi accipiet, uxor ducenda eſt domum:
Quid fiet? *Ge.*Enim non ducet. *An.*Novi: ceterum
Cum argentum repetent, noſtra cauſſa, ſcilicet!
In nervom potius ibit. *Ge.*Nihil eſt, Antipho,
Quin male narrando poſſit depravarier.
Tu id, quod boni eſt, excerpis: dicis, quod mali eſt.
Audi nunc contra jam. Si argentum acceperit,

Du-

(2) *Satin' eſt id*. Formula objurgandi. Geta aliter accipit ludens in ambiguitate verborum.

(5) *Reſtim*. Suſpendium. Plau. Pſeud. I. 1. 86. *Reſtim volo mihi emere, qui me faciam penſilem*.

(9) *Ulcus tangere*. Adagium, quale & illud *Camarinam movere*: valetque, ejus rei facere mentionem, quae nos magnopere urat.

(15) *In nervom*. Sup. II. 2. 11.

(17) *Excerpis*. Demis, auferſ.

Ducenda eſt uxor, ut ais: concedo tibi:
Spatium quidem tandem apparandi nuptias,
Vocandi, ſacrificandi dabitur paullulum:
Interea amici, quod polliciti ſunt, dabunt:
Inde iſte reddet. *An.*Quamobrem? aut quid dicet? *Ge.* Rogas?
Quot res! Poſtilla, monſtra evenerunt mihi:
Introiit in aedes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Haruſpex vetuit ante brumam aliquid novi
Negoti incipere; quae cauſſa eſt juſtiſſima.
Haec fient. *An.*Ut modo fiant. *Ge.*Fient: me vide.
Pater exit: abi, dic, eſſe argentum, Phaedriae.

(24) *Monſtra*. Prodigia. De quibus legendus Lindebruchius.

(28) *Ante brumam*. Quando ſcil. dies decreſcere incipiunt.

SCENA QUINTA.

Demipho, Geta, Chremes.

Redeunt ſenes cum pecunia, quam dent Phormioni.

Quietus eſto, inquam: ego curabo: ne quid verborum duit.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi teſtes adhibeam,
Cui dem: & quamobrem dem, commemorabo. *Ge.*Ut cautus eſt, ubi nil opu' ſt.
*Ch.*Atqui ita opus eſt facto: & matura, dum lubido eadem haec manet;
Nam ſi altera illa magis inſtabit, forſitan nos rejiciat.
*Ge.*Rem ipſam putaſti. *De.* Duc me ad eum ergo. *Ge.* Non moror. *Ch.*Ubi hoc egeris:
Tranſito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius, quam hinc abit:
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne ſuccenſeat;
Et

(4) *Lubido*. Voluntas accipiendi Phanium.

(6) *Putaſti*. Expendiſti. Ita dixiſti, ut eſt.

Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior,
Nos nostro officio nihil digressos esse; quantum is voluerit,
Datum esse dotis. *De.* Quid, malum, tua id refert? *Ch.* Magni, Demipho.
De. Non sat, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
Ch. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam putet.
De. Idem ego istuc facere possum. *Ch.* Mulier mulieri magi' congruet.
De. Rogabo. *Ch.* Ubi illas ego nunc reperire possim, cogito,

(15) *Illas*. Uxorem meam Lemniam, & filiam ex illa natam.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

SOPHRONA, CHREMES.

Chremes Sophronam Phanii nutricem videt: ex ea intelligit filiam suam Antiphoni nuptam esse.

QUid agam? quem amicum inveniam mihi misera? aut cui consilia
Haec referam? aut unde nunc mihi auxilium petam? nam vereor,
Hera ne ob meum suasum indigna injuria afficiatur.
Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter.
Ch. Nam quae haec est anus exanimata, a fratre quae egressa est meo.

So.

(3) *Hera*. Phanium. *Meum*. Quae illi auctor fui, ut Antiphoni nuberet.

Injuria afficiatur. Domo ejiciatur.

So. Quod ut facerem, me egestas impulit; cum scirem infirmas
Hasce esse nuptias; ut id consulerem, interea vita
Ut in tuto foret. *Ch.* Certe edepol, nisi me animu' fallit,
Aut parum prospiciunt oculi, meae nutricem gnatae video.
So. Neque ille investigatur. *Ch.* Quid ago? *So.* Qui est eju' pater. *Ch.* Adeon',
An maneo, dum ea, quae loquitur, magis cognosco? *So.* Quod si eum nunc
Reperire possim, nihil est, quod verear. *Ch.* Ea ipsa est. Colloquar.
So. Quis hic loquitur? *Ch.* Sophrona. *So.* Et meum nomen nominat? *Ch.* Ad me respice.
So. Dii obsecro vos: est ne hic Stilpho? *Ch.* Non. *So.* Negas?
Ch. Concede hinc paullulum a foribus istorsum, sodes, Sophrona.
Ne me istoc posthac nomine appellassis. *So.* Quid? non is obsecro es,
Quem semper te esse dictitasti? *Ch.* St. *So.* Quid has metuis fores?
Ch. Conclusam hic habeo uxorem saevam: verum istoc me nomine,
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliquâ uxor mea rescisceret.
So. Istoc pol nos te hic invenire miserae numquam potuimus.
Ch. Eho dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac, unde exis? aut ubi
Illae sunt? *So.* Miseram me! *Ch.* Hem! quid est? vivunt ne? *So.* Vivit gnata.
Matrem ipsam ex aegritudine miseram mors consecuta est.
Ch. Male factum! *So.* Ego autem, quae essem anus deserta, egens, ignota,

Ut

(7) *Vita* &c. Ne Phanium fame periret, propter egestatem.

(10) *Investigatur*. Inveniri potest.

(24) *Aegritudine*. Quod te non inveniret.

(25) *Male factum*! Dolentis formula.

Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus aedium. *Ch.* Antiphoni ne? *So.* Hem isti ipsi. *Ch.* Quid?
Duas ne is uxores habet? *So.* Au! obsecro: unam ille quidem hanc solam.
Ch. Quid illa altera, quae dicitur cognata? *So.* Haec ergo est. *Ch.* Quid ais?
So. Composito est factum? quomodo hanc habere posset ille
Sine dote. *Ch.* Dii vostram fidem! quam saepe forte temere
Eveniunt, quae non audeas optare? offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, collocatam filiam.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,
Sine nostra cura maxuma, sua cura haec sola fecit.
So. Nunc quid facto est opus, vide. Pater adolescentis venit,
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. *Ch.* Nihil pericli est.
Sed per Deos atque homines, meam esse hanc, cave rescifcat quisquam.
So. Nemo ex me scibit. *Ch.* Sequere me: intus cetera audies.

(30) *Composito*. Consulto, de industria.

SCENA SECUNDA.

DEMIPHO, GETA.

Demipho dolet, quod emungi se argento passus fuerit.

NOstrapte culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.
ITA FUGIAS, ne praeter casam, ajunt. Nonne id satis erat,
Acci-

(3) *Ita fugias*. Adagium cum primis vetustum, quo admonemur, ne sic aliquod vitium fugiamus, ut in aliud majus incauti devolvamur. Ut hic Demipho, dum avari infamiam fugit,

Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum,
Ut sit qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
Ge. Planissume. *De.* His nunc praemium est, qui recta prava faciunt.
Ge. Verissume. *De.* Ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
Ge. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
De. Etiam ne id dubium est? *Ge* Haud scio hercle, ut homo est, an mutet animum.
De. Hem! mutet autem? *Ge.* Nescio: verum, si forte, dico.
De. Ita faciam, ut frater censuit; uxorem ejus huc adducam,
Cum ista ut loquatur. Tu, Geta, abi prae, nuntia hanc venturam.
Ge. Argentum inventum est Phaedriae: de jurgio siletur:
Provisum est, ne in praesentia haec hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto haesitas, vorsura solves,
Geta: praesens quod fuerat malum, in diem abiit: plagae crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut eju' orationem.

git, in stulti reprehensionem se incidisse queritur. Sumtum est autem ab eo, qui hostem persequentem fugiens, domum etiam suam, quae sit tutissimum receptaculum, praeterit.

(6) *Recta* &c. Litigiosi enim homines *Candida de nigris, & de candentibus atra* faciunt.

(7) *Illi* &c. Illic [i.e. in ea re] stultissime nos egisse.

(8) *Discedi*. Perfici.

(9) *Ut homo est*. Sub. Perfidus, levis.

(13) *Jurgio*. Demiphonem inter & Phormionem, propter Antiphonis nuptias.

(15) *Solves*. *Versura solvere* proprie dicuntur ii, qui vetus debitum, novo contracto, solvunt. Hinc translate de se ipso Geta, quippe qui se expedire conatus, in eodem tamen luto haereat.

SCE-

SCENA TERTIA.

DEMIPHO, NAUSISTRATA, CHREMES.

Nausistrata de Chremete queritur cum Demiphone: Chremes supervenit, fratrique aperit repertam sibi esse filiam.

AGedum, ut soles Nausistrata, fac illa ut placetur nobis;
Ut sua voluntate id, quod est faciundum, faciat. *Na.* Faciam.
De. Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.
Na. Factum volo: ac pol queo minu' viri culpa, quam me dignum est.
De. Quid autem? *Na.* Quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praediis talenta argenti bina
Capiebat statim. Hem! vir viro quid praestat. *De.* Bina quaeso?
Na. Ac rebus vilioribu' multo, tamen talenta bina. *De.* Hui!
Na. Quid haec videntur? *De.* Scilicet. *Na.* Virum me natam vellem:
Ego ostenderem. *De.* Certe scio. *Na.* Quo pacto. *De.* Parce sodes,
Ut possis cum illa; ne te adolescens mulier defatiget.
Na. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video. *Ch.* Hem! Demipho,
Jam illi datum est argentum? *De.* Curavi illico. *Ch.* Nollem datum.
Hei!

(3) *Re*. Respicit argentum, quod de fructu praediorum Nausistratae ei dederat Chremes. Vid. sup. IV. 3. 74. 75.

(4) *Factum volo*. Formula ratum habentis beneficium praestitum.

Queo. Sub. tibi, & amicis aliis opitulari.

(7) *Statim*. Constanter singulis annis.

(11) *Ut possis*. Sub. contendere verbis, si forte Phanium resistet.

(13) *Nollem datum*. Plura dicturus [de Phanii, scil. ἀναγνωρίσει] se reprimit praesente uxore.

Hei! video uxorem: pene plus, quam sat erat. *De.* Cur nolles, Chreme?
Ch. Jam recte. *De.* Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
Ch. Transegi. *De.* Quid ait tandem? *Ch.* Abduci non potest: *De.* Quid non potest?
Ch. Quia uterque utrique est cordi. *De.* Quid istuc nostra? *Ch.* Magni. Praeter haec
Cognatam comperi esse nobis. *De.* Quid? deliras? *Ch.* Sic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam. *De.* Sati' ne sanus es?
Na. Au! obsecro, vide, ne in cognatam pecces. *De.* Non est. *Ch.* Ne nega:
Patri' nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. *De.* Non norat patrem?
Ch. Norat. *De.* Cur aliud dixit? *Ch.* Numquam hodie concedes mihi, neque
Intelleges? *De.* Si tu nil narras. *Ch.* Perdis. *Na.* Miror quid hoc siet.
De. Equidem hercle nescio. *Ch.* Vin' scire? at ita me servet Jupiter,
Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo est homo. *De.* Dii vostram fidem!
Eamus ad ipsam una omnes nos: aut scire, aut nescire hoc volo. *Ch.* Ah!
De. Quid est? *Ch.* Ita ne parum mihi fidem esse apud te? *De.* Vin' me hoc credere?
Vin' satis quaesitum mihi istuc esse? age, fiat. Quid? illa filia
Amici nostri quid futurum est? *Ch.* Recte. *De.* Hanc igitur mittimus?

Ch.

(14) *Pene*. Parum abfuit, quin dicerem *plus* &c. Haec autem secum Chremes.

(16) *Transegi*. Ironice dictum.

(19) *Memoriam*. Vult, ut meminerit frater, quid narraverit ei de altera uxore Lemnia, atque inde nata filia. Verum Demipho & tardus, & importunus est.

(21) *Hoc* &c. Hinc natus tuus error.

(22) *Concedes*. Credes, consenties.

(23) *Perdis*. Occidis saepe rogando.

(26) *Volo*. Ne dubius animi pendeam.

(29) *Amici*. Ita loquitur, ne sentiat Nausistrata, illam susceptam a Chremete ex alia uxore.

Ch. Quid ni? *De.* Illa maneat? *Ch.* Sic. *De.* Ire igitur tibi licet, Nausistrata.
Na. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut ceperas,
Manere hanc: nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi.
De. Quid istuc negotii est? *Ch.* Jam ne operuit ostium? *De.* Jam. *Ch.* O Jupiter!
Dii nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *De.* Hem!
Quo pacto id potuit? *Ch.* Non satis tutus est ad narrandum hic locus.
De. At tu intro abi. *Ch.* Heus, ne filii nostri quidem hoc rescifcant, volo.

(30) *Illa*. Phanium.
(33) *O Jupiter!* &c. Haec dicit Chremes, postquam uxor intro abiisset, atque ostium obseraffet.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO

Gaudet, quod a Phaedria repertum sit argentum pro mancipio emendo; suam vero dolet vicem.

LAetu' sum, ut ut meae res sese habent, fratri obtigisse quod volt.
Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res advorsae fient, paullo mederi possis.
Hic simul argentum repperit, cura sese expedivit:
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostensa
Hujusce habendae. Sed ubinam Getam invenire possum,
Rogem, quod tempus conveniendi patris me capere jubeat?

(1) *Fratri*. Patrueli scilicet.
(2) *Cupiditates*. Intellige de mancipio, quod sibi Phaedria emere voluerat.

SCENA QUINTA.

PHORMIO, ANTIPHO.

Phormio, re bene gesta, sibi plaudit.

ARgentum accepi, tradidi mangoni: mancipium abstuli:
Curavi, proprio eo Phaedria ut poteretur: nam emissum est manu:
Nunc una mihi res etiam restat, quae est conficiunda, otium
A senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
An. Sed Phormio est: quid ais? *Ph.* Quid? *An.* Quidnam nunc facturus Phaedria?
Ph. Vicissim partes tuas acturus est. *An.* Quas? *Ph.* Ut fugitet patrem.
Te suam rogavit rursum ut ageres caussam, ut pro se diceres.
Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, dudum quam dixit Geta;
Ne, cum hic non videant, me conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. *An.* Vide, quis egreditur. *Ph.* Geta est.

(2) *Proprio*. Peculiari & perpetuo, cum in peculio ejus sit. Adi not. Plaut. Capt. Prol. v. 20.

Emissum. Ne accipias hic *emissum manu* pro *libertate donatum*, sed pro *emtum*, atque adeo *emancipatum* a Dorione mancipium.

(4) *Dies*. Adel. II. 4. 19.

(6) *Acturus*. Te imitaturus est. Translatio desumta ab actoribus scenicis.

Patrem. Sub. aeque ac tu facis. Vide sup. I. 4. 38.

(8) *Sunium*. Atticae promontorium.

(9) *Dudum*. Sup. IV. 3. 60.

(10) *Conficere*. Consumere.

SCE-

SCENA SEXTA.

Geta, Antipho, Phormio.

Renunciat Antiphoni Geta, Phanium inventam esse Chremetis filiam.

O Fortuna, o fors fortuna, quantis commoditatibus,
Quam subito meo hero Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!
*An.*Quidnam hic sibi volt? *Ge.*Nosque amicos eju' exonerastis metu!
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire, ut haec, quae contigerint, sciat?
An. Num tu intellegis, hic quid narret? *Ph.* Num tu? *An.*Nil. *Ph.*Tantundem ego.
„ *Ge.*Ad mangonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. *An.* Heus Geta! *Ge.*Hem tibi!
Num mirum, aut novum est, revocari, cursum cum institueris? *An.*Geta.
*Ge.*Pergis hercle. Numquam tu odio tuo me vinces. *An.* Non manes?
*Ge.*Vapulabis. Curialis vernula est, qui me vocat.
*An.*Id tibi quidem jam fiet, nisi resistis, verbero.
*Ge.*Familiariorem oportet esse hunc, qui minitat malum:
Sed is ne est, quem quaero, an non? ipsu' est. *Ph.*Congredere actutum. *An.*Quid est?
*Ge.*O omnium, quantum est, qui vivunt, homo hominum ornatissime:
Nam sine controversia a Diis solus diligere, Antipho.
An.

(1) *Fortuna*. Ita dicebatur incertus eventus. At *fors fortuna* erat eventus fortunae bonus.
(4) *Pallio*. V.not.Eun.IV.3.32.
(7) *Sunt*. Antipho, & Phaedria.
(9) *Odio*. Molestia, taedio.
(10) *Curialis*. Servus, qui Curiae, seu Φρατρίᾳ [quae erat tertia pars tribus apud Athenienses] publice ministrabat, ac propterea plus sibi imperii vindicabat.
(11) *Id tibi* &c. Tu quidem vapulabis, nisi manes.
(13) *Congredere*. Huc accede.

An. Ita velim: sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.
Ge. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? *An.* Enicas.
Ph. Quin tu hinc pollicitationes aufer, &, quod fers, cedo. *Ge.* Oh!
Tu quoque hic aderas, Phormio? *Ph.* Aderam: sed cessas? *Ge.* Accipe, hem!
Ut modo argentum dedimus tibi apud forum, recta domum
Sumu' profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
An. Quamobrem? *Ge.* Omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio, resupinat: respicio: rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus cum illis. Hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: adstiti:
Animam compressi: aurem admovi: ita animum coepi attendere,
Hoc modo sermonem captans. *An.* Eu Geta! *Ge.* Hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque pene hercle exclamavi gaudio.
Ph. Quod? *Ge.* Quodnam arbitrare? *An.* Nescio. *Ge.* Atqui mirificissimum:
Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae. *An.* Hem!
Quid ais? *Ge.* Ejus olim duxit matrem in Lemno clanculum.

Ph.

(17) *Delibutum*. Unctum, perfusum. Ad animum transtulit, quod est corporis.

(22) *Nam* &c. Nihil enim attinet ad hanc rem, quam narraturus sum.

(23) *Gynaeceum*. Γυναικεῖον est interior pars domus, ubi plerumque mulieres solae habitabant. Vid. Corn. Nep. in Praef.

(24) *Resupinat*. Retrahendo me supinum facit.

(29) *Compressi*. Continui spiritum, ut melius audirem.

Ph. Somnium: utin' haec ignoraret suum patrem? *Ge.* Aliquid credito,
Phormio, esse caussae: sed me censen' potuisse omnia
Intellegere extra ostium, intus quae inter sese ipsi egerint?
Ph. Atque hercle ego quoque illam audivi fabulam. *Ge.* Immo etiam dabo,
Quo magi' credas. Patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:
Ait uterque tibi potestatem ejus habendae se dare:
Denique ego sum missus, te ut requirerem, atque adducerem.
An. Quin ergo rape me, quid cessas? *Ge.* Fecero. *An.* O mi Phormio,
Vale. *Ph.* Vale, Antipho: bene, ita me Dii ament, factum. & gaudeo,
Tantam fortunam de improviso esse his datam.
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum aequalium supplex siet:
Nam idem hoc argentum, ita ut datum est, ingratiis
His datum erit: hoc qui cogam, re ipsa repperi.
Nunc gestus mihi, voltusque est capiundus novus,
Sed hinc concedam in angiportum hunc proxumum:
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras:
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

(48) *Ne* &c. Ne ab aliis quaerat pecuniam senibus reddendam.

(49) *Ingratiis* &c. A senibus invitis porro datum erit, i. e. non repetetur.

(50) *Hoc qui* &c. Quomodo autem cogam eos facere id, h.e. non repetere, jam scio.

SCENA SEPTIMA.

Demipho, Phormio, Chremes.

Cognita Phanio, senes a Phormione triginta minas repetunt: ille se redditurum negat. Hinc grave jurgium inter utramque partem.

Dis magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere haec nobis, frater, prospere.
Quantum potest, nunc conveniendus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. *Ph.*Demiphonem, si domi est,
Visam: ut quod. *De.*At nos ad te ibamus, Phormio.
*Ph.*De eadem hac fortasse caussa. *De.*Ita hercle. *Ph.*Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum: an veremini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quanta haec mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.
*Ch.*Est ne ea, ita ut dixi, liberalis? *De.*Oppido.
*Ph.*Itaque ad vos venio nunciatum, Demipho,
Paratum me esse ubi voltis: uxorem date.
Nam omneis posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam tantopere id vos velle animum advorteram.
*De.*At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
Nam qui rumor erit populi, inquit, si id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data:
Nunc viduam extrudi turpe est: ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incusaveras.
*Ph.*Satis superbe illuditis me. *De.*Qui? *Ph.*Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?

Ch.

(6) *Ut quod*. Nisi interpellasset sermonem Demipho, dicturus erat Phormio: *ut, quod de Phanio ducenda constitutum inter nos est, peragam*. vel simile quid.

(12) *Liberalis*. Ingenua, modesta; scil. Phanium.

(20) *Viduam*. Non solum mulier, cujus vir vita functus, sed & quae matrimonio expulsa erat, *vidua* dicebatur.

(21) *Dudum*. Sup.II. 3. v.66. & seq.

*Ch.*Tum autem Antiphonem video ab ſeſe amittere
Invitum eam, inque. *De.*Tum autem video filium
Invitum ſane mulierem ab ſe amittere.
Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum jube rurſum reſcribi, Phormio.
*Ph.*Quodne ego deſcripſi porro illis, quibu' debui?
*De.*Quid igitur fiet? *Ph.*Si vis mihi uxorem dare,
Quam deſpondiſti, ducam: ſin eſt, ut velis
Manere apud te illam, hic dos maneat, Demipho:
Nam non eſt aequom me propter vos decipi;
Cum ego veſtri honoris cauſſa repudium alterae
Remiſerim, quae tantundem dotis dabat.
*De.*I in malam rem hinc cum iſtac magnificentia,
Fugitive: etiam nunc credis, te ignorarier,
Aut tua facta adeo? *Ph.*Irritor. *De.* Tu te hanc duceres,
,, Si tibi data eſſet? *Ph.*Quidni? Fac periculum.
*De.*Quin tu mihi argentum cedo.
*Ph.*Imo vero uxorem tu cedo. *De.*In jus ambula.
*Ph.*In jus enimvero, ſi porro eſſe odioſi pergitis.
*De.*Quid facies? *Ph.*Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortaſſe arbitramini:
Etiam dotatis ſoleo. *Ch.*Quid id noſtra? *Ph.*Nihil.
Hic quamdam noram, cujus vir uxorem. *Ch.*Hem? *De.* Quid eſt?
*Ph.*Lemni habuit aliam. *Ch.*Nullus ſum. *Ph.*Ex qua filiam
Suſcepit: & eam clam educit. *Ch.*Sepultu' ſum.
*Ph.*Haec adeo ego illi jam denarrabo. *Ch.*Obſecro,
Ne facias. *Ph.*Oh, tun' is eras? *De.*Ut ludos facit!
*Ch.*Miſſum te facimus. *Ph.*Fabulae. *Ch.*Quid vis tibi?
Ar-

(25) *Tum autem* &c. Haec Chremes inſuſurrat Demiphoni, Phormione non audiente.

(29) *Reſcribi*. Reddi e menſa nummularii; qui quidem in tabulas referebat ſolutionem.

(30) *Deſcripſi*. H.e. variis hominibus diſtribui. Vid. ſup. IV. 3.55.& ſeqq.ubi Geta varios Phormionis creditores eſſe fingit.

(37) *Magnificentia*. Intelligit magnifica illa verba, *veſtri honoris cauſſa*.

(38) *Etiam nunc*. Jam enim omnia, Phanio cognita, ſenibus innotuerant.

(44) *Indotatis*. Qualis Phanium.

(46) *Dotatis*. Qualis Nauſiſtrata Chremetis uxor.

Argentum quod habes, condonamus te. *Ph.*Audio:
Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini
Inepti vostra puerili sententia?
Nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape:
Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est.
*Ch.*Quo pacto, aut unde haec hic rescivit? *De.*Nescio,
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
*Ch.*Monstri, ita me Dii ament, simile. *Ph.*Injeci scrupulum. *De.*Hem!
Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est:
Animo virili praesentique ut sis, para.
Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neque jam id celare posse te uxorem tuam:
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. *Ph.*At at! nisi mihi prospicio, haereo:
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
*Ch.*At vereor, ut placari possit. *De.*Bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio excessit, unde haec suscepta est tibi.
*Ph.*Ita ne mecum agitis? satis astute aggredimini:
Non hercle ex re istiu' me instigasti, Demipho.
Ain tu? ubi, quae libitum fuerit, peregre feceris,
Neque hujus sis veritus feminae primariae,
Novo modo ei quin faceres contumelias;
Venias mihi precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.

De.

(67) *Placabilius*. Ad placandam uxorem utilius.

(68) *Modo*. Arbitrio.

(69) *Haereo*. Aegre postea expediam.

(70) *Gladiatorio*. Infestissimo. A more gladiatorum in arenam descendentium, quibus vel occidi, vel occidere dicta lex est.

(73) *Cum* &c. Quoniam obiit ea uxor, a qua Phanium nata est tibi.

(75) *Ex re*. Utilitate Chremetis.

(76) *Peregre*. In Lemno insula peregre ab Athenis.

(79) *Lautum*. Ut laves, ut purges.

(81) *Exstillaveris*. Totum corpus in lacrymas conversum fuerit.

*De.*Malum! quod isti Dii, Deaeque omnes duint.
Tanta ne affectum hominem quemquam esse audacia?
Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? *Ch.*In id redactus sum loci,
Ut nesciam prorsus, quid agam cum illo. *De.*Ego scio.
In jus eamus. *Ph.*In jus? huc, si quid lubet.
*De.*Assequere, ac retine, dum huc ego servos evoco.
*Ch.*Enim solu' nequeo: accurre huc. *Ph.*Una injuria est
Tecum. *De.*Lege agito ergo. *Ph.*Altera est tecum, Chreme.
*De.*Rape hunc. *Ph.*Sic agitis? enimvero voce est opus.
Nausistrata, exi. *Ch.*Os opprime. *De.*Impurum vide,
Quantum valet. *Ph.*Nausistrata, inquam. *Ch.*Non taces?
*Ph.*Taceam? *De.*Ni sequitur, pugnos in ventrem ingere.
Vel oculum exclude. *Ph.*Est ubi vos ulciscar probe.

(84) *Non hoc* &c. Nonne hunc scelestum populi suffragiis &c.
(87) *Huc si* &c. Apparet Phormionem niti ad domum Chremetis, dum contra senes ad forum trahere illum conarentur.
(89) *Injuria*, Actio de injuriis.

SCENA OCTAVA.

NAUSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

Phormio Nausistratae omnia aperiens, & de alia Chremetis uxore, & de triginta minis Phaedriae datis pro mancipio emendo, totam rem expedit.

QUi nominat me? *Ch.*Hem! *Na.*Quid istud turbae est obsecro,
Mi vir? *Ph.*Hem! quid nunc obticuisti? *Na.*Quis hic homo est?
Non mihi respondes? *Ph.*Hiccine ut respondeat?
Qui hercle, ubi sit, nescit. *Ch.*Cave, isti quidquam credas.
*Ph.*Abi: tange: si non totus friget, me enica.
*Ch.*Nihil est. *Na.*Quid ergo? quid istic narrat? *Ph.*Jam scies:

Au-

(4) *Nescit*. Prae timore.

Ausculta. *Ch.*Pergin' credere? *Na.*Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nil dixit? *Ph.*Delirat miser
Timore. *Na.*Non pol temere est, quod tu tam times.
*Ch.*Ego timeo? *Ph.*Recte sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod dico ego, tu narra. *De.*Scelus,
Tibi narret? *Ph.*Eho tu, factum est abs te sedulo
Pro fratre. *Na.*Mi vir, non mihi narras? *Ch.*At. *Na.* Quid at?
*Ch.*Non opus est dicto. *Ph.*Tibi quidem: at scito huic opu'st.
In Lemno. *Ch.*Hem quid ais? *De.*Non taces? *Ph.*Clam te. *Ch.*Hei mihi!
*Ph.*Uxorem duxit. *Na.*Mi homo, Dii melius duint.
*Ph.*Sic factum est. *Na.*Perii misera! *Ph.*Et inde filiam
Suscepit jam unam, dum tu dormis. *Ch.*Quid agimus?
*Na.*Pro Dii immortales, facinus indignum, & malum!
*Ph.*Hoc actum est. *Na.*An quidquam hodie est factum indignius?
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distaedet loqui.
Haecine erant itiones crebrae, & mansiones diutinae
Lemni? haeccine erat, quae nostros fructus minuebat vilitas?
*De.*Ego Nausistrata esse in hac re culpam meritum non nego,
Sed ea quin sit ignoscenda. *Ph.*Verba fiunt mortuo.
*De.*Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Et mortem obiit: e medio abiit: qui fuit in re hac scrupulus.

Quam

(9) *Temere*. Sine caussa.

(12) *Sedulo*. Bene de fratre meruisti, me irritando. Ironice dictum.

[14] *Huic*. Nausistratae.

[18] *Dormis*. Secura es.

Quid agimus. Metu stupentis verba haec.

[25] *Ignoscenda*. Sub. quis dubitet?

Mortuo. Adagium idem, atque illa: *littori*, vel *vento loqueris*: *surdo narras fabulam*. Quae dicuntur in eos, qui frustra vel monent, vel orant aliquem minus audientem. Quare per τὸ *mortuo* intelligenda est Nausistrata, quae non audiebat preces Demiphonis.

(26) *Tua* . . . *Tuo*. Pro *tui*. Quod te neglexerit, & odio habuerit.

[27] *Scrupulus*. Unum hoc esset impedimentum, quo minus veniam ipsi dares, si illa viveret; at jam sublatum hoc est.

Quamobrem te oro, ut alia facta tua ſunt, aequo animo hoc feras.
*Na.*Quid ego aequo animo? cupio miſera, in hac re jam defungier.
Sed quid ſperem? aetate porro minu' peccaturum putem?
Jam tum erat ſenex, ſenectus ſi verecundos facit.
Quid mihi hic affers, quamobrem expectem, aut ſperem porro non fore?
*Ph.*Exſequias Chremeti, quibus commodum, ire jam tempus eſt.
Sic dabo: age nunc, Phormionem, qui volet, laceſſito:
Faxo tali eum mactatum, atque hic eſt, infortunio.
Redeat ſane in gratiam: jam ſupplicii ſatis eſt mihi.
Habet haec, ei quod, dum vivat, uſque ad aurem obganniat.
*Na.*At meo merito credo. Quid ego nunc commemorem, Demipho,
Singillatim, qualis ego in iſtum fuerim? *De.*Novi aeque omnia
Tecum. *Na.*Merito hoc meo hoc videtur factum? *De.* Minime gentium:
Verum, quando jam accuſando fieri infectum non poteſt,
Ignoſce: orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?
*Ph.*Enimvero, prius quam haec dat veniam, mihi proſpiciam, & Phaedriae.
Heus Nauſiſtrata, prius quam huic reſpondes temere, audi. *Na.*Quid eſt?
*Ph.*Ego minas triginta ab iſto per fallaciam abſtuli:
„ Eas dedi tuo gnato. Is pro mancipio mangoni dedit.
*Ch.*Hem! quid ais? *Na.*Adeon' indignum tibi videtur, filius
„ Homo adoleſcens unum ſi habet mancipium? tu uxores duas.
Nil pudere? quo ore illum objurgabis? reſponde mihi.
De.

[29] *Defungier*. Illum deſinere, facere finem peccandi.
[34] *Exſequias* &c. Vetus indicendi funeris formula. Chremeti, ut mortuo, inſultat impudens Paraſitus.
[34] *Dabo*. Tractabo.
(38) *Credo*. Ironice.
[39] *Aeque tecum*. Pro *aeque, ac tu*.

De. Faciet, ut voles. *Na.* Immo, ut meam jam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video: ejus judicio permitto omnia: is
Quod jubebit, faciam. *Ph.* Mulier sapiens es, Nausistrata.
Na. Satin' id est tibi? *Ph.* Immo vero pulchre discedo, & probe,
Et praeter spem. *Na.* Tu tuum nomen dic quod est. *Ph.* Min'? Phormio,
Vestrae familiae hercle amicus, & tuo summus Phaedriae.
Na. Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero, & quae voles,
Faciamque, & dicam. *Ph.* Benigne dicis. *Na.* Pol meritum est tuum.
Ph. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? *Na.* Cupio. *Ph.* Me ad coenam voca.
Na. Pol vero voco. *De.* Eamus intro hinc. *Na.* Fiat: sed ubi est Phaedria,
Judex noster? *Ph.* Jam hic faxo aderit. Vos valete, & plaudite.

[58] *Benigne dicis*. Formula gratias agentium.
[60] *Oculi doleant*. Oculi dolere dicuntur illis, qui, quod nolint, videant.

FINIS PHORMIONIS.


SELECTAE
P. OVIDII
NASONIS
METAMORPHOSES.

SEMINARII NEAPOLITANI

ADOLESCENTIBUS.

QUum Plauti ac Terentii Comoediae typis eſſent mandatae, nec liber ſatis intumuiſſe videretur, operae pretium fore duxi, ſi mantiſſae inſtar, caſtiores aliquot ex Metamorphoſeon P. Ovidii libris excerptae fabulae adjicerentur; atque ita fieret vobis earum quoque legendi poteſtas. Quam ob rem nulla interpoſita mora (ſciebam enim ſummo a vobis ſtudio hujus libri editionem exſpectari) pudicas, & ſcitu digniores fabulas ſelegi, atque huc quamprimum transferendas curavi. In quibus tamen, licet ſelectis, nonnulla nobis immutanda fuerunt carmina, vel quia non ſatis honeſta, vel quia ab aliis, quae miſſa fecimus, pendere viderentur. Hinc factum eſt, ut eadem nota (,,) quae in Plauto & Terentio, hic quoque praefigeretur iis verſibus, quos aliter, atque in fonte jacent, noſtra praeſefert editio. Ad haec, cum multarum Metamorphoſeon praetermiſſio perpetuum ordinis nexum, quo illae in toto hoc opere inter ſe cohaerent, quandoque interruperit; ea de cauſſa libuit interjicere lineam, ſicubi una ab altera non exiſtit. Habetis igitur, optimi Adoleſcentes, cum Plauti & Terentii Comoediis conjunctas Naſonis Metamorphoſes. Quod ſane opus haud ſcio an ex Ovidianis praeclariſſimum appellari queat, cum ſumma rerum varietate, tum mira quidvis exprimendi facilitate; ut unicuique legenti patere poteſt. Iterum valete.

OVIDII
METAMORPHOSES.



EX LIBRO I.

CHAOS, ET MUNDI CREATIO.

IN nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dii coeptis (nam vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis, primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
  Ante mare, & terras, & quod tegit omnia caelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaque moles.
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan:
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phoebe:
Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus, & aër.
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli ſua forma manebat:
Obſtabatque aliis aliud; quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
  Hanc Deus, & melior litem natura diremit.
Nam caelo terras, & terris abſcidit vndas.
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre caelum.
Quae poſtquam evolvit, caecoque exemit acervo,
Diſſociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis, & ſine pondere caeli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aër illi levitate, locoque.
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Ultima poſſedit, ſolidumque coërcuit orbem.

HO-

HOMINIS CREATIO.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit:
Principio terram, ne non aequalis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Jussit, & ambitae circumdare litora terrae.
Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusque,
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.
Quae diversa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perveniunt partim; campoque recepta
Liberioris aquae, pro ripis litora pulsant.
Jussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.
Utque duae dextra caelum, totidemque sinistra
Parte secant Zonae, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagae tellure premuntur.
Quarum quae media est, non est habitabilis aestu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit;
Temperiemque dedit mista cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui quanto est pondere terrae,
Pondere aquae levior, tanto est onerosior igne.
Illic & nebulas, illic consistere nubes
Jussit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis,
(Cum sua quisque regat diverso flamina tractu)
Quin lanient mundum. Tanta est discordia fratrum.
Eurus ad auroram, Nabathaeaque regna recessit,
Persidaque, & radiis juga subdita matutinis:
Vesper, & occiduo quae litora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam, septemque triones
Horrifer invasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis, pluvioque madescit ab Austro.
Haec super imposuit liquidum, & gravitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenae faecis habentem.
Vix ita limitibus discreverat omnia certis:
Cum, quae pressa diu massa latuere sub ipsa,
Sidera coeperunt toto effervescere caelo.
Neu regio foret ulla suis animalibus orba,

Astra

Astra tenent caeleste solum, formaeque Deorum:
Cesserunt nitidis habitandae piscibus undae:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentisque capacius altae
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera posset.
Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina caeli:
Quam satus Japeto mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quae fuerat rudis, & sine imagine tellus,
Induit ignotas hominum conversa figuras.

QUATUOR MUNDI AETATES.

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.
Poena, metusque aberant: nec verba minantia fixo
Aere ligabantur: nec supplex turba timebat
Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, praeter sua, litora norant.
Nondum praecipites cingebant oppida fossae;
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erat: sine militis usu
Mollia securae peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris haerentia mora rubetis,
Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant;
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.
Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,

Sub Jove mundus erat, subiitque argentea proles
Auro deterior, fulvo pretiosior aere:
Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, aestusque, & inaequales autumnos,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.
Tum primum siccis aër fervoribus ustus
Canduit, & ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuere,
Et densi frutices, & junctae cortice virgae.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
Tertia post illam successit ahenea proles,
Saevior ingeniis, & ad horrida promtior arma;
Non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venae pejoris in aevum
Omne nefas. Fugere pudor, verumque, fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiaeque, & vis, & amor sceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita: quaeque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinae:
Communemque prius, ceu lumina solis, & aurae,
Cautus humum longo signavit limite mensor.
Nec tantum segetes, alimentaque debita dives
Poscebatur humus: sed itum est in viscera terrae:
Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus:
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercae.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas: & virgo caede madentes
Ultima caelestum terras Astraea reliquit.

GIGANTOMACHIA.

Neve foret terris securior arduus aether,
Affectasse ferunt regnum caeleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Ful-

Fulmine, & excussit subjectum Pelion Offae.
Obruta mole sua cum corpora dira jacerent,
Perfusam multo natorum sanguine matrem
Immaduisse ferunt, calidumque animasse cruorem.
Et, ne nulla suae stirpis monimenta manerent,
In faciem vertisse hominum. Sed & illa propago
Contemtrix Superûm, saevaeque avidissima caedis,
Et violenta fuit: scires e sanguine natam.

LYCAON IN LUPUM.

Quae pater ut summa vidit Saturnius arce,
Ingemit; & facto nondum vulgata recenti
Foeda Lycaoniae referens convivia mensae,
Ingentes animos, dignas Jove concipit iras;
Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos.
Est via sublimis, caelo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso:
Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum: dextra, laevaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diversa locis: a fronte potentes
Caelicolae, clarique suos posuere Penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse palatia caeli.
Ergo ubi marmoreo Superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem: cum qua terram, mare, sidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia solvit.
Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempestate fui, qua centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia caelo.
Nam quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Corpore, & ex una pendebat origine bellum.
Nunc mihi, qua totum Nereus circumsonat orbem,
Perdendum est mortale genus: per flumina juro
Infera, sub terra Stygio labentia luco,
CUNCTA prius tentanda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Fauni,
Et Nymphae, Satyrique, & monticolae Sylvani,
Quos quoniam caeli nondum dignamur honore,

Quas dedimus, certe terras habitare finamus.
An fatis, o Superi, tutos fore creditis illos,
Cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
Struxerit infidias notus feritate Lycaon?
Confremuere omnes, ftudiifque ardentibus aufum
Talia depofcunt. Sic, cum manus impia faevit
Sanguine Caefareo Romanum extinguere nomen,
Attonitum tanto fubitae terrore ruinae
Humanum genus eft; totufque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus pietas, Augufte, tuorum,
Quam fuit illa Jovi: qui poftquam voce, manuque
Murmura compreffit; tenuere filentia cuncti.
Subftitit ut clamor preffus gravitate regentis,
Jupiter hoc iterum fermone filentia rupit.
Ille quidem poenas (curam hanc dimittite) folvit;
Quod tamen admiffum, quae fit vindicta, docebo.
Contigerat noftras infamia temporis aures:
Quam cupiens falfam, fummo delabor Olympo,
Et Deus humana luftro fub imagine terras.
Longa mora eft, quantum noxae fit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipfa infamia vero.
Maenala tranfieram latebris horrenda ferarum,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycaei.
Arcados hinc fedes & inhofpita tecta tyranni
Ingredior, traherent cum fera crepufcula noctem.
Signa dedi veniffe Deum: vulgufque precari
Coeperat: irridet primo pia vota Lycaon.
Mox, ait, experiar, Deus hic, difcrimine aperto,
An fit mortalis: nec erit dubitabile verum:
Nocte gravem fomno, nec opina perdere morte
Me parat: haec illi placet experientia veri.
Nec contentus eo eft: miffi de gente Moloffa
Obfidis unius jugulum mucrone refolvit;
Atque ita femineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim fubjecto torruit igni.
Quos fimul impofuit menfis. Ego vindice flamma
In dominum dignos everti tecta penates.
Territus ipfe fugit, nactufque filentia ruris,
Exululat, fruftraque loqui conatur: ab ipfo
Colligit os rabiem: folitaeque cupidine caedis
Utitur in pecudes, & nunc quoque fanguine gaudet.

In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
Fit lupus, & veteris servat vestigia formae:
Canities eadem est, eadem violentia vultus:
Iidem oculi lucent: eadem feritatis imago est.

DILUVIUM, ET REPARATIO GENERIS HUMANI JACTU LAPIDUM.

Occidit una domus: sed non domus una perire
Digna fuit: qua terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus jurasse putes: dent ocius omnes,
Quas meruere pati (sic stat sententia) poenas.
Dicta Jovis pars voce probant: stimulosque frementi
Adjiciunt: alii partes assensibus implent.
Est tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: & quae sit terrae mortalibus orbae
Forma futura rogant: quis sit laturus in aras
Thura: ferisne paret populandas tradere terras?
Talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae)
Rex Superum trepidare vetat: sobolemque priori
Dissimilem populo promittit origine mira.
Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras:
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
Conciperet flammas, totusque ardesceret axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia caeli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum:
Poena placet diversa: genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere caelo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quaecumque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis: canis fluit unda capillis:
Fronte sedent nebulae: rorant pennaeque, sinusque.
Utque manu late pendentia nubila pressit,
Fit fragor, & densi funduntur ab aethere nimbi.
Nuntia Junonis varios induta colores,
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.
Nec caelo contenta suo est Jovis ira; sed illum
Coeruleus frater juvat auxiliaribus undis.

Convocat hic amnes: qui poſtquam tecta tyranni
Intravere ſui. Non eſt hortamine longo
Nunc, ait, utendum: vires effundite veſtras:
(Sic opus eſt) aperite domos: ac mole remota
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Juſſerat. hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et deſraenato volvuntur in aequora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque, viroſque,
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indejecta malo: culmen tamen altius hujus
Unda tegit, preſſaeque latent ſub gurgite turres.
Jamque mare, & tellus nullum diſcrimen habebant.
Omnia pontus erant: deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem: cymba ſedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat:
Ille ſuper ſegetes, aut merſae culmina villae
Navigat: hic ſumma piſcem deprehendit in ulmo,
Figitur in viridi (ſic fors tulit) anchora prato:
Aut ſubjecta terunt curvae vineta carinae.
Et modo qua graciles gramen carpſere capellae:
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocae.
Mirantur ſub aqua lucos, urbeſque domoſque
Nereides, ſylvaſque tenent delphines: & altis
Incurſant ramis, agitataque robora pulſant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones:
Unda vehit tigres: nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.
Quaeſitiſque diu terris, ubi ſiſtere poſſit,
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.
Separat Aonios Actaeis Phocis ab arvis
Terra ferax, dum terra fuit: ſed tempore in illo
Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus,
Nomine Parnaſſus, ſuperatque cacumine nubes.

Hic

Hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
Cum consorte tori, parva rate vectus adhaesit,
Corycidas Nymphas, & numina montis adorat;
Fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat.
Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
Vir fuit, aut illa reverentior ulla Deorum.
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modo millibus unum,
Et superesse videt de tot modo millibus unam:
Innocuos ambos, cultores numinis ambos:
Nubila disjecit, nimbisque Aquilone remotis,
Et caelo terras ostendit, & aethera terris.
Nec maris ira manet: positoque tricuspide telo,
Mulcet aquas rector pelagi; supraque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum,
Coeruleum Tritona vocat, conchaque sonanti
Inspirare jubet; fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato. cava buccina sumitur illi
Tortilis in latum, quae turbine crescit ab imo:
Buccina, quae in medio concepit ubi aëra ponto,
Litora voce replet sub utroque jacentia Phoebo.
Tum quoque ut ora Dei madida rorantia barba
Contigit, & cecinit jussos inflata receptus,
Omnibus audita est telluris & aequoris undis:
Et quibus est undis audita, coërcuit omnes.
Jam mare litus habet: plenos capit alveus amnes:
Flumina subsidunt: colles exire videntur:
Surgit humus: crescunt loca decrescentibus undis.
Postque diem longam nudata cacumina sylvae
Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat, quem postquam vidit apertum,
Et desolatas agere alta silentia terras,
Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis.
O soror, o conjux, o femina sola superstes,
Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus junxit; nunc ipsa pericula jungunt:
Terrarum, quascumque vident occasus, & ortus,
Nos duo turba sumus: possedit cetera pontus.
Haec quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae
Certa satis: terrent etiam nunc nubila mentem.
Quis tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc animus, miseranda, foret? quo sola timorem

Ferre modo posses? quo consolante dolores?
Namque ego (crede mihi) si te quoque pontus haberet,
Te sequerer conjux, & me quoque pontus haberet.
O utinam possem populos reparare paternis
Artibus, atque animos formatae infundere terrae.
Nunc genus in nobis restat mortale duobus:
(Sic visum Superis) hominumque exempla manemus.
Dixerat, & flebant: placuit caeleste precari
Numen, & auxilium per sacras quaerere sortes.
Nulla mora est: adeunt pariter Cephisidas undas,
Et nondum liquidas, sed jam vada nota secantes.
Inde ubi libatos irroravere liquores
Vestibus, & capiti, flectunt vestigia sacrae
Ad delubra Deae: quorum fastigia turpi
Squallebant musco: stabantque sine ignibus arae.
Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.
Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina justis
Victa remollescunt; si flectitur ira Deorum,
Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit: & mersis fer opem mitissima rebus.
Mota Dea est, sortemque dedit: Discedite templo,
Et velate caput, cinctasque resolvite vestes;
Ossaque post tergum magnae jactate parentis.
Obstupuere diu: rumpitque silentia voce
Pyrrha prior: jussisque Deae parere recusat:
Detque sibi veniam pavido rogat ore: pavetque
Laedere jactatis maternas ossibus umbras.
Interea repetunt caecis obscura latebris
Verba datae sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet: &, Aut fallax, ait, est solertia nobis:
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est: lapides in corpore terrae
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.
Conjugis augurio quamquam Titania mota est,
Spes tamen in dubio est: adeo caelestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?
Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt:
Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem coepere, suumque rigorem:

Mol-

Mollirique mora, mollitaque ducere formam.
Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
Contigit: ut quaedam, sic non manifesta videri
Forma potest hominis: sed uti de marmore coepta,
Non exacta satis, rudibusque simillima signis.
Quae tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis usum.
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa.
Quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit.
Inque brevi spatio, Superorum numine, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum:
Et de femineo reparata est femina jactu.
Inde genus durum sumus, experiensque laborum.
Et documenta damus, qua simus origine nati.

PYTHON.

Cetera diversis tellus animalia formis
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne
Percaluit solis; coenumque, udaeque paludes
Intumuere aestu: foecundaque semina rerum
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo,
Creverunt, faciemque aliquam cepere morando.
Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alveo,
Aetherioque recens exarsit sidere limus,
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt, & in his quaedam modo coepta per ipsum
Nascendi spatium, quaedam imperfecta, suisque
Trunca vident humeris: & eodem corpore saepe
Altera pars vivit; rudis est pars altera tellus.
Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque,
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia foetibus apta est,
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus aetheriis, altoque recanduit aestu,
Edidit innumeras species: partimque figuras
Reddidit antiquas: partim nova monstra creavit.
Illa quidem nollet: sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit: populisque novis, incognite serpens,
Terror eras: tantum spatii de monte tenebas.
Hunc Deus arcitenens, & numquam talibus armis
Ante, nisi in damis capreisque fugacibus usus,

Mil-

Mille gravem telis, exhausta pene pharetra
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitae serpentis nomine dictos:
Hic juvenum quicumque manu, pedibusve, rotave
Vicerat, esculeae capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat, longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.

DAPHNE IN LAURUM.

„ Primus amor Phoebi, Daphne Peneia, semper
Sylvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuviis gaudens, innuptaeque aemula Phoebes,
Vitta coërcebat positos sine lege capillos.
Multi illam petiere: illa aversata petentes,
Impatiens expersque viri nemora avia lustrat,
Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat.
Saepe pater dixit: generum mihi, filia, debes:
Saepe pater dixit: debes mihi, nata, nepotes.
Illa velut crimen taedas exosa jugales,
Inque patris blandis haerens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae.
„ Haec Daphne. At visae Phoebus connubia Daphnes
„ Expetit. Illa simul spectans Peneidas undas,
Fer Pater, inquit, opem, si flumina numen habetis:
„ Terra dehisce mihi, mutando aut perde figuram.
Vix prece finita, torpor gravis occupat artus:
Mollia cinguntur tenui praecordia libro:
In frondem crines, in ramos brachia crescunt.
Pes modo tam velox pigris radicibus haeret:
Ora cacumen habent: remanet nitor unus in illa.
Cui Deus: At quoniam conjux mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea; semper habebunt
Te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.
Tu ducibus laetis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis; mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

Fi-

Finierat Paean: factis modo laurea ramis
Annuit; utque caput, visa est agitasse cacumen.

EX LIBRO II.

PHAËTHON.

„ NUnc Phaëthonta canam, quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phoeboque parente superbum
Non tulit Inachides: Matrique, ait, omnia demens
Credis, & es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repressit.
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.
Quoque magis doleas, genitrix, ait, en ego liber
Ille ferox, tacui. pudet haec opprobria nobis
Et dici potuisse, & non potuisse refelli.
At tu, si modo sum caelesti stirpe creatus,
Ede notam tanti generis, meque assere caelo.
Dixit, & implicuit materno brachia collo:
Perque suum, Meropisque caput, taedasque sororum,
Traderet, oravit, veri sibi signa parentis.
Ambiguum est, Clymene precibus Phaëthontis, an ira
Mota magis dicti sibi criminis, utraque caelo
Brachia porrexit, spectansque ad lumina solis,
Per jubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,
Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque;
Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem,
Sole satum: si ficta loquor, neget ille videndum
Se mihi: sitque oculis lux ista novissima nostris.
Nec longus patrios labor est tibi nosse penates.
Unde oritur, terrae domus est contermina nostrae.
Si modo fert animus, gradere, & scitabere ab ipso.
Emicat extemplo laetus post talia matris
Dicta suae Phaëthon, & concipit aethera mente.
Aethiopasque suos, positosque sub ignibus Indos
Sidereis transit, patriosque adit impiger ortus.
Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo,
Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat:
Argenti bifores radiabant lumine valvae.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illic
Aequora caelarat medias cingentia terras, Ter-

Terrarumque orbem, caelumque quod imminet orbi.
Coeruleos habet unda Deos, Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balenarumque prementem
Aegaeona suis immania terga lacertis;
Doridaque, & natas; quarum pars nare videtur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos:
Pisce vehi quaedam: facies non omnibus una est,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.
Terra viros, urbesque gerit, sylvasque, ferasque,
Fluminaque, & nymphas, & cetera numina ruris.
Haec super imposita est caeli fulgentis imago,
Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
Quo simul acclivo Clymeneia limite proles
Venit, & intravit dubitati tecta parentis,
Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus,
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpurea velatus veste sedebat
In solio Phoebus, claris lucente smaragdis:
A dextra laevaque Dies, & Mensis, & Annus,
Seculaque, & positae spatiis aequalibus Horae:
Verque novum stabat cinctum florente corona:
Stabat nuda Aestas, & spicea serta gerebat:
Stabat & Autumnus, calcatis sordidus uvis:
Et glacialis Hyems, canos hirsuta capillos.
Inde loco medius rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus aspicit omnia, vidit.
Quaeque viae tibi caussa? quid hac, ait, arce petisti,
Progenies Phaëthon haud inficianda parenti?
Ille refert: O lux immensi publica mundi,
Phoebe pater, si das usum mihi nominis hujus,
Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat.
Pignora da genitor, per quae tua vera propago
Credar; & hunc animis errorem detrahe nostris.
Dixerat: at genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios; propiusque accedere jussit:
Amplexuque dato, Nec tu meus esse negari
Dignus es: & Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quoque minus dubites, quodvis pete munus, & illud
Me tribuente feres. promissi testis adesto
Diis juranda palus, oculis incognita nostris.
Vix bene desierat: currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.
Poe-

Poenituit juraffe patrem: qui terque quaterque
Concutiens illuftre caput, Temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eft: utinam promiffa liceret
Non dare: confiteor, folum hoc tibi, nate, negarem.
Diffuadere licet: non eft tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëthon: & quae non viribus iftis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non eft mortale quod optas:
Plus etiam, quam quod Superis contingere fas eft,
Nefcius affectas. Placeat fibi quifque licebit:
Non tamen ignifero quifquam confiftere in axe
Me valet excepto. vafti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra,
Non aget hos currus: & quid Jove majus habetur?
Ardua prima via eft, & qua vix mane recentes
Enituntur equi: medio eft altiffima caelo:
Unde mare, & terras ipfi mihi faepe videre
Sit timor, & pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via eft, & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quae me fubjectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps, Thetys folet ipfa vereri.
Adde, quod affidua rapitur vertigine caelum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adverfum: nec me, qui cetera, vincit
Impetus; & rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus, quid ages? poterifne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus auferat axis?
Forfitan & lucos illic, urbefque Deorum
Concipias animo, delubraque ditia donis
Effe: per infidias iter eft, formafque ferarum.
Utque viam teneas, nulloque errore traharis:
Per tamen adverfi gradieris cornua Tauri,
Aemoniofque arcus, violentique ora Leonis,
Saevaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animofos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant,
In promtu regere eft: vix me patiuntur, ubi acres
Incaluere animi: cervixque repugnat habenis.
At tu, funefti ne fim tibi cauffa doloris,
Nate cave; dum refque finit, tua corrige vota:
Scilicet ut noftro genitum te fanguine credas,

Pi-

Pignora certa petis: do pignora certa timendo,
Et patrio pater esse metu probor. aspice vultus
Ecce meos: utinamque oculos in pectora posses
Inserere, & patrias intus deprendere curas.
Denique quicquid habet dives, circumspice, mundus:
Deque tot ac tantis caeli, terraeque, marisque
Posce bonis aliquid; nullam patiere repulsam.
Deprecor hoc unum, quod vero nomine poena,
Non honor est: poenam, Phaëthon, pro munere poscis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita, dabitur (Stygias juravimus undas)
Quodcumque optaris: sed tu sapientius opta.
Finierat monitus. dictis tamen ille repugnat.
Propositumque premit, flagratque cupidine currus.
Ergo qua licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae
Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo.
Per juga chrysolithi, positaeque ex ordine gemmae
Clara repercusso reddebant lumina Phoebo.
Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur, opusque
Perspicit: ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena rosarum
Atria: diffugiunt stellae, quarum agmina cogit
Lucifer, & caeli statione novissimus exit.
Tum pater, ut terras mundumque rubescere vidit,
Cornuaque extremae velut evanescere Lunae,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Jussa Deae celeres peragunt: ignemque vomentes
Ambrosiae succo saturos praesepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque sonantia fraena.
Tum pater ora sui sacro medicamine nati
Contigit, & rapidae fecit patientia flammae:
Imposuitque comae radios; praesagaque luctus
Pectore sollicito repetens suspiria, dixit:
Si potes his saltem monitis parere parentis,
Parce puer stimulis, & fortius utere loris.
Sponte sua properant: labor est inhibere volantes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum est lato curvamine limes,
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit Australem, junctamque Aquilonibus Arcton.
Haec

Hac ſit iter: manifeſta rotae veſtigia cernes.
Utque ferant aequos & caelum, & terra calores,
Nec preme, nec ſummum moderare per aethera currum,
Altius egreſſus caeleſtia ſigna cremabis:
Inferius, terras: MEDIO tutiſſimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet ad Anguem:
Neve ſiniſterior preſſam rota ducat ad Aram.
Inter utrumque tene. Fortunae cetera mando,
Quae juvet, & melius, quam tu tibi, conſulat, opto.
Dum loquor, Heſperio poſitas in litore metas
Humida nox tetigit: non eſt mora libera nobis.
Poſcimur, & fulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu: vel, ſi mutabile pectus
Eſt tibi, conſiliis, non curribus utere noſtris,
Dum potes, & ſolidis etiam nunc ſedibus adſtas:
Dumque male optatos nondum premis inſcius axes:
Quae tutus ſpectes, ſine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum:
Statque ſuper, manibuſque datas contingit habenas.
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.
Interea volucres Pyrois, Eous, & Aethon
Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſque repagula pulſant.
Quae poſtquam Tethys factorum ignara nepotis
Reppulit, & facta immenſi copia caeli,
Corripuere viam, pedibuſque per aëra motis
Obſtantes ſcindunt nebulas, penniſque levati
Praetereunt ortos iiſdem de partibus Euros.
Sed leve pondus erat: nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi: ſolitaque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvae juſto ſine pondere naves,
Perque mare inſtabiles nimia levitate feruntur:
Sic onere inſueto vacuos dat in aëre ſaltus,
Succutiturque alte, ſimiliſque eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadrijugi ſpatium, nec, quo prius, ordine currunt.
Ipſe pavet, nec qua commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit, qua ſit iter; nec ſi ſciat, imperet illis.
Tum primum radiis gelidi caluere triones,
Et vetito fruſtra tentarunt aequore tingi.
Quaeque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens,
Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli,

In-

Incaluit, sumsitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote:
Quamvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant:
Ut vero terras despexit ab aethere summo
Infelix Phaëthon penitus penitusque jacentes,
Palluit, & subito genua intremuere timore;
Suntque oculis tenebrae per tantum lumen obortae:
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos.
Jam cognosse genus piget, & valuisse rogando:
Jam Meropis dici cupiens. Ita fertur, ut acta
Praecipiti pinus Borea, cui cuncta remisit
Fraena suus rector, quam Diis, votisque reliquit.
Quid faciat? multum caeli post terga relictum;
Ante oculos plus est: animo metitur utrumque,
Et modo, quos illi fas tum contingere non est,
Prospicit occasus: interdum respicit ortus:
Quidque agat ignarus, stupet: & nec fraena remittit,
Nec retinere valet, nec nomina novit equorum.
Sparsa quoque in vario passim miracula caelo,
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.
Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius, & cauda, flexisque utrinque lacertis
Porrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer, ut nigri madidum sudore veneni
Vulnera curvata meditantem cuspide vidit,
Mentis inops, gelida formidine lora remisit.
Quae postquam summo sensere jacentia tergo,
Exspatiantur equi; nulloque inhibente, per auras
Ignotae regionis eunt: quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt; altoque sub aethere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per avia currum:
Et modo summa petunt, modo per decliva, viasque
Praecipites spatio terrae propiore feruntur;
Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos, ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis ut quaeque altissima tellus,
Fissaque agit rimas, & succis aret ademtis.
Pabula canescunt: cum frondibus uritur arbos;
Materiamque suo praebet seges arida damno.
Parva queror: magnae pereunt cum moenibus urbes:
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt: sylvae cum montibus ardent.

Ar-

Ardet Athos, Taurusque Cilix, & Tmolus, & Oete,
Et tum sicca, prius celeberrima fontibus, Ide;
Virgineusque Helicon, & nondum Oeagrius Aemus;
Ardet in immensum geminatis ignibus Aetna;
Parnassusque biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys,
Et tandem nivibus Rhodope caritura, Mimasque,
Dindymaque, & Mycale, natusque ad sacra Cithaeron:
Nec prosunt Scythiae sua frigora: Caucasus ardet,
Ossaque cum Pindo, majorque ambobus Olympus.
Aëriaeque Alpes, & nubifer Apenninus.
Tum vero Phaëthon cunctis e partibus orbem
Aspicit accensum, nec tantos sustinet aestus:
Ferventesque auras, velut e fornace profunda,
Ore trahit, currusque suos candescere sentit.
Et neque jam cineres, ejectatamque favillam
Ferre potest, calidoque involvitur undique fumo:
Quoque eat, aut ubi sit, picea caligine tectus
Nescit; & arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato,
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Libye raptis humoribus aestu
Arida: tum nymphae passis, fontesque, lacusque
Defluxere comis: quaerit Boeotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.
Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis;
Peneusque senex, Teuthranteusque Caycus,
Et celer Ismenos, cum Phocaico Erymantho;
Arsurusque iterum Xanthus, flavusque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Maeander in undis,
Mygdoniusque Melas, & Taenarius Eurotas.
Arsit & Euphrates Babylonius; arsit Orontes,
Thermodonque citus, Gangesque, & Phasis, & Ister.
Aestuat Alpheus, ripae Sperchiades ardent:
Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.
Et, quae Maeonias celebrarant carmine ripas,
Flumineae volucres medio caluere Caystro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet; ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.
Sors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
Hesperiosque amnes Rhenum, Rhodanumque, Padumque,

Cuique fuit rerum promissa potentia, Tybrim.
Dissilit omne solum: penetratque in Tartara rimis
Lumen, & infernum terret cum conjuge regem:
Et mare contrahitur: siccaeque est campus arenae,
Quod modo pontus erat; quosque altum texerat aequor,
Existunt montes, & sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces: nec se super aequora curvi
Tollere consuetas audent delphines in auras.
Corpora Phocarum summo resupina profundo
Exanimata jacent; ipsum quoque Nerea fama est,
Doridaque, & natas tepidis latuisse sub undis.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exserere ausus erat; ter non tulit aëris ignes.
Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto
Inter aquas pelagi, contractosque undique fontes,
Qui se condiderant in opacae viscera matris,
Sustulit omniferos collo tenus arida vultus:
Opposuitque manum fronti, magnoque tremore
Omnia concutiens, paullum subsedit: & infra,
Quam solet esse, fuit; sacraque ita voce profatur:
Si placet hoc, meruique; quid o tua fulmina cessant
Summe Deûm? liceat periturae viribus ignis,
Igne perire tuo, clademque auctore levare.
Vix equidem fauces haec ipsa in verba resolvo;
(Presserat ora vapor) tostos en aspice crines,
Inque oculis fumum: volitant super ora favillae.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers, quod adunci vulnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia fruges
Humano generi, vobis quoque thura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid undae?
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte
Aequora decrescunt, & ab aethere longius absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit,
At caeli miserere tui: circumspice, utrinque
Fumat uterque polus, quos si violaverit ignis,
Atria vestra ruent. Atlas en ipse laborat,
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terrae pereunt, si regia caeli,
In chaos antiquum confundimur. eripe flammis,
Si quid adhuc superest; & rerum consule summae.
Di-

Dixerat haec Tellus: neque enim tolerare vaporem
Ulterius potuit, nec dicere plura, suumque
Rettulit os in se, propioraque Manibus antra.
At pater omnipotens Superos testatus, & ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi, summam petit arduus arcem;
Unde solet nubes latis inducere terris;
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque quas posset terris inducere nubes,
Tunc habuit; nec, quos caelo demitteret, imbres:
Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam: pariterque animaque, rotisque
Exuit, & saevis compescuit ignibus ignes.
Consternantur equi, & saltu in contraria facto
Colla jugo excutiunt, abruptaque lora relinquunt.
Illic fraena jacent, illic temone revulsus
Axis: in hac radii fractarum parte rotarum:
Sparsaque sunt late laceri vestigia currus.
At Phaëthon, rutilos flamma populante capillos,
Volvitur in praeceps, longoque per aëra tractu
Fertur: ut interdum de caelo stella sereno,
Quae si non cecidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul a patria diverso maximus orbe
Excipit Eridanus: fumantiaque abluit ora.

SORORES PHAETHONTIS IN ARBORES.

Najades Hesperiae trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo: signant quoque carmine saxum.
Hic situs est Phaëthon currus auriga paterni;
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
At pater obductos luctu miserabilis aegro
Condiderat vultus: & si modo credimus, unum
Isse diem sine sole ferunt: incendia lumen
Praebebant, ALIQUISQUE malo fuit usus in illo.
At Clymene, postquam dixit quaecumque fuerunt
In tantis dicenda malis, lugubris & amens,
Et laniata sinus totum percensuit orbem:
Exanimesque artus primo, mox ossa requirens,
Repperit ossa tamen peregrina condita ripa:
Incubuitque loco, nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrymis, & aperto pectore fovit.
Nec minus Heliades lugent, & inania morti
Munera dant lacrymas, & caesae pectora palmis

Non auditurum miseras Phaëthonta querelas
Nocte, dieque vocant; adsternunturque sepulchro.
Luna quater junctis implerat cornibus orbem:
Illae more suo (nam morem fecerat usus)
Plangorem dederant: e queis Phaëthusa sororum
Maxima, cum vellet terrae procumbere, questa est
Diriguisse pedes. ad quam conata venire
Candida Lampetie, subita radice retenta est.
Tertia cum crinem manibus laniare pararet,
Avellit frondes: haec stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumque ea mirantur, complectitur undique cortex,
Perque gradus uterum, pectusque humerosque manusque
Ambit; & extabant tantum ora vocantia matrem.
Quid faciat mater? nisi, quo trahit impetus illam,
Huc eat, atque illuc; &, dum licet, oscula jungat?
Non satis est: truncis avellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpit; at inde
Sanguineae manant, tanquam de vulnere, guttae.
Parce precor, mater, quaecumque est saucia, clamat:
Parce precor: nostrum laceratur in arbore corpus.
Jamque vale. Cortex in verba novissima venit.
Inde fluunt lacrymae, stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis, quae lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

CYGNUS IN AVEM.

Adfuit huic monstro proles Steneleia Cygnus:
Qui tibi materno quamvis a sanguine junctus,
Mente tamen, Phaëthon, propior fuit: ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio, ripas virides, amnemque querelis
Eridanum impleverat, sylvamque sororibus auctam;
Cum vox est tenuata viro, canaeque capillos
Dissimulant plumae: collumque a pectore longe
Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes.
Penna latus velat: tenet os sine acumine rostrum:
Fit nova Cygnus avis: nec se caeloque Jovique
Credit, ut injuste missi memor ignis ab illo.
Stagna petit; patulosque lacus, ignemque perosus,
Quae colat, elegit contraria flumina flammis.
Squallidus interea genitor Phaëthontis, & expers
Ipse sui decoris; qualis, cum deficit orbi,

Esse solet; lucemque odit, seque ipse, diemque:
Datque animum in luctus, & luctibus adjicit iram.
Officiumqoe negat mundo. Satis, inquit, ab aevi
Sors mea principiis fuit irrequieta: pigetque
Actorum sine fine mihi, sine honore laborum.
Quilibet alter agat portantes lumina currus.
Si nemo est, omnesque Dei non posse fatentur;
Ipse agat, ut saltem dum nostras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.
Tunc sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina; neve velit tenebras inducere terris,
Supplice voce rogant: missos quoque Jupiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.
Colligit amentes, & adhuc terrore paventes
Phoebus equos, stimuloque dolens, & verbere saevit.
Saevit enim, natumque objectat, & imputat illis.

EX LIBRO III.

HOMINES E SERPENTINIS DENTIBUS ORTI.

„ JUpiter Europen (ut fertur) Agenore natam
„ Olim clam rapuit falsi sub imagine tauri.
Cum pater ignarus, raptam perquirere Cadmo
Imperat: & poenam, si non invenerit, addit
Exilium; facto pius, & sceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprendere posset
Furta Jovis?) profugus patriamque, iramque parentis
Vitat Agenorides: Phoebique oracula supplex
Consulit: &, quae sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi, Phoebus ait, solis occurret in arvis,
Nullum passa jugum, curvique immunis aratri:
Hac duce carpe vias: & qua requieverit herba,
Moenia fac condas, Boeotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro:
Incustoditam lente videt ire juvencam,
Nullum servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu,
Auctoremque viae Phoebum taciturnus adorat.

Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva:
Bos stetit, & tollens speciosam cornibus altis
Ad caelum frontem, mugitibus impulit auras.
Atque ita respiciens comites sua terga sequentes
Procubuit, teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates: peregrinaeque oscula terrae
Figit, & ignotos montesque, agrosque salutat.
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire ministros,
Et petere e vivis libandas fontibus undas.
Sylva vetus stabat, nulla violata securi:
Et specus in medio, virgis, ac vimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum,
Uberibus foecundus aquis: ubi conditus antro
Martius anguis erat, cristis praesignis, & auro:
Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno:
Tresque micant linguae: triplici stant ordine dentes.
Quem postquam Tyria lucum de gente profecti,
Infausto tetigere gradu, demissaque in undas
Urna dedit sonitum: longo caput extulit antro
Caeruleus serpens: horrendaque sibila misit.
Effluxere undae manibus, sanguisque relinquit
Corpus, & attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in arcus.
Ac media plus parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus, tantoque est corpore, quanto
(Si totum spectes) geminas qui separat Arctos.
Nec mora: Phoenicas, sive illi tela parabant,
Sive fugam, sive ipse timor prohibebat utrumque,
Occupat hos morsu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, funesta hos tabe veneni.
Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras:
Quae mora sit sociis miratur Agenore natus,
Vestigatque viros. tegimen direpta leoni
Pellis erat: telum splendenti lancea ferro,
Et jaculum, teloque animus praestantior omni.
Ut nemus intravit, lethataque corpora vidit,
Victoremque supra spatiosi corporis hostem,
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua:
Aut ultor vestrae, fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. dixit: dextraque molarem
Sustulit, & magnum magno conamine misit.

Il-

Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Moenia mota forent, serpens sine vulnere mansit:
Loricaeque modo squamis defensus, & atrae
Duritia pellis, validos -ute reppulit ictus.
At non duritia jaculum quoque vicit eadem:
Quod medio lentae spinae curvamine fixum
Constitit, & totum descendit in ilia ferrum.
Ille dolore ferox, caput in sua terga retorsit,
Vulneraque aspexit, fixumque hastile momordit.
Idque ubi vi multa partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit: ferrum tamen ossibus haesit.
Tum vero postquam solitas accessit ad iras
Caussa recens, plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus:
Terraque rasa sonat squamis, quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit herbas.
Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur: interdum longa trabe rectior exstat:
Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, & obstantes perturbat pectore sylvas.
Cedit Agenorides paullum, spolioque leonis
Sustinet incursus, instantiaque ora retardat,
Cuspide praetenta: furit ille, & inania duro
Vulnera dat ferro: figitque in acumine dentes.
Jamque venenifero sanguis manare palato
Coeperat, & virides aspergine tinxerat herbas:
Sed leve vulnus erat; quia se retrahebat ab ictu,
Laesaque colla dabat retro, plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat.
Donec Agenorides conjectum in guttura ferrum
Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti
Obstitit; & fixa est pariter cum robore cervix.
Pondere serpentis curvata est arbor, & imae
Parte flagellari gemuit sua robora caudae.
Dum spatium victor victi considerat hostis,
Vox subito audita est: neque erat cognoscere promtum
Unde: sed audita est: Quid, Agenore nate, peremtum
Serpentem spectas? & tu spectabere serpens.
Ille diu pavidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoque comae terrore rigebant.
Ecce viri fautrix superas delapsa per auras
Pallas adest, motaeque jubet supponere terrae

Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret, & impresso sulcum patefecit aratro.
Spargit humi jussos, mortalia semina, dentes.
Inde (fide majus) glebae coepere moveri:
Primaque de sulcis acies apparuit hastae;
Tegmina mox capitum picto nutantia cono:
Mox humeri, pectusque, onerataque brachia telis
Existunt: crescitque seges clypeata virorum.
Sic, ubi tolluntur festis aulaea theatris,
Surgere signa solent, primumque ostendere vultus.
Cetera paullatim, placidoque educta tenore
Tota patent: imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat:
Ne cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat, nec te civilibus insere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui dederat letho, non longius illo
Vivit, & exspirat, modo quas acceperat, auras:
Exemploque pari furit omnis turba; suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
Jamque brevis vitae spatium sortita juventus
Sanguineam tepido plangebant pectore matrem,
Quinque superstitibus: quorum fuit unus Echion.
Is sua jecit humi monitu Tritonidis arma,
Fraternaeque fidem pacis petiitque, deditque:
Hos operis comites habuit Sidonius hospes,
Cum posuit jussam Phoebeis sortibus urbem.

PENTHEUS.

Forte Jovem memorant diffusum nectare curas
Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos
„ Cum Junone jocos; dixisseque: plura profecto,
„ Quam quae contingunt maribus, sunt otia vobis.
Illa negat. Placuit quae sit sententia docti
Quaerere Tiresiae.
Arbiter hic igitur sumtus de lite jocosa,
Dicta Jovis firmat. Gravius Saturnia justo,
Nec pro materia fertur doluisse: suique
Judicis aeterna damnavit lumina nocte.
At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam

Fa-

Facta Dei fecisse Deo) pro lumine ademto
Scire futura dedit, poenamque levavit honore.
Ille per Aonias fama celeberrimus urbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti.
„ Omnes mirantur; nomenque est auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc ex omnibus unus,
Contemtor Superum Pentheus; praesagaque ridet
Verba senis; tenebrasque, & cladem lucis ademtae
Objicit. ille movens albentia tempora canis,
Quam felix esses, si tu quoque luminis hujus
Orbus, ait, fieres; ne Bacchica sacra videres.
Namque dies aderit, quam non procul auguror esse,
Qua novus huc veniet proles Semeleia Liber:
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis, & sanguine sylvas
Foedabis, matremque tuam, matrisque sorores.
Et veniet: neque enim dignabere numen honore:
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.
Talia dicentem proturbat Echione natus.
Dicta fides sequitur, responsaque vatis aguntur.
Liber adest: festisque fremunt ululatibus agri.
Turba ruit, mistaeque viris matresque nurusque,
Et vulgus, proceresque ignota ad sacra feruntur.
Quis furor, Anguigenae, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes? Pentheus ait: aerane tantum,
Aera repulsa valent, & adunco tibia cornu?
Et magicae fraudes? ut quos non bellicus ensis,
Non tuba terruerit, non strictis agmina telis:
Femineae voces, & mota insania vino,
Obscoenique greges, & inania tympana vincant?
Vosne senes mirer? qui longa per aequora vecti,
Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates,
Nunc finitis sine Marte capi? vosne, acrior aetas,
O juvenes, propiorque meae? quos arma tenere,
Non thyrsos, galeaque tegi, non fronde decebat.
Este precor memores, qua sitis stirpe creati:
Illiusque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite serpentis, pro fontibus ille, lacuque
Interiit; at vos pro fama vincite vestra.
Ille dedit letho fortes; vos vincite molles,
Et patrium retinete decus. si fata vetabunt
Stare diu Thebas; utinam tormenta, virique

Moe-

Moenia diruerent, ferrumque ignisque sonaret:
Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda,
Non celanda foret, lacrymaeque pudore carerent.
At nunc a puero Thebae capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum:
Sed madidi myrrha crines, mollesque coronae,
Purpuraque, & pictis intextum vestibus aurum.
Quem quidem ego actutum (modo vos absistite) cogam
Assumtumque patrem, commentaque sacra fateri.
An satis Acrisio est animi contemnere vanum
Numen, & Argolicas venienti claudere portas?
Penthea terrebit cum totis advena Thebis?
Ite citi (famulis hoc imperat) ite; ducemque
Attrahite huc vinctum: jussis mora segnis abesto.
Hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum
Corripiunt dictis; frustraque inhibere laborant.
Acrior admonitu est, irritaturque retenta,
Et crescit rabies: moderaminaque ipsa nocebant.
Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius, & modico strepitu decurrere vidi.
At quacumque trabes, obstructaque saxa tenebant,
Spumeus, & fervens, & ab objice saevior ibat.
Ecce cruentati redeunt: & Bacchus ubi esset,
Quaerenti domino, Bacchum vidisse negarunt.
Hunc, dixere, tamen comitem, famulumque sacrorum
Cepimus: & tradunt manibus post terga ligatis,
Sacra Dei quondam Tyrrhena gente secutum.
Aspicit hunc Pentheus oculis, quos ira tremendos
Fecerat; & quanquam poenae vix tempora differt,
O periture, tuaque aliis documenta dature
Morte, ait, ede tuum nomen, nomenque parentum,
Et patriam; morisque novi cur sacra frequentes.
Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acoetes;
Patria Maeonia est: humili de plebe parentes.
Non mihi quae duri colerent pater arva juvenci,
Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper & ipse fuit; linoque solebat, & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces.
Ars illi sua census erat. cum traderet artem,
Accipe, quas habeo, studii successor, & heres,
Dixit, opes: moriensque mihi nihil ille reliquit
Praeter aquas: unum hoc possum appellare paternum.
Mox

Mox ego, ne ſcopulis haererem ſemper in iiſdem,
Addidici regimen dextra moderante carinae
Flectere: & Oleniae ſidus pluviale capellae,
Taygetenque Hyadaſque oculis, Arctonque notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.
Forte petens Delon, Chiae telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor litora remis:
Doque leves ſaltus, udaeque immittor arenae.
Nox ubi conſumta eſt, aurora rubeſcere primo
Coeperat: exſurgo, laticeſque inferre recentes
Admoneo, monſtroque viam, quae ducit ad undas.
Ipſe, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Proſpicio; comiteſque voco, repetoque carinam.
Adſumus en, inquit, ſociorum primus Opheltes:
Utque putat, praedam deſerto nactus in agro,
Virginea puerum ducit per litora forma.
Ille mero, ſomnoque gravis titubare videtur,
Vixque ſequi; ſpecto cultum, faciemque, gradumque:
Nil ibi, quod credi poſſet mortale, videbam.
Et ſenſi, & dixi ſociis, Quod numen in iſto
Corpore ſit, dubito: ſed corpore numen in iſto eſt.
Quiſquis es, o faveas, noſtriſque laboribus adſis.
His quoque des veniam, pro nobis mitte precari,
Dictys ait: quo non alius conſcendere ſummas
Ocior antennas; prenſoque rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flavus prorae tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon, &, qui requiemque modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus.
Hoc omnes alii: Praedae tam caeca cupido eſt.
Non tamen hanc ſacro violari pondere pinum
Perpetiar, dixi: pars hic mihi maxima juris.
Inque aditu obſiſto. furit audaciſſimus omni
De numero Lycabas: qui Tuſca pulſus ab urbe,
Exilium, dira poenam pro caede luebat.
Is mihi, dum reſto, juvenili guttura pugno
Rupit; & excuſſum miſiſſet in aequora, ſi non
Haeſiſſem, quamvis amens, in fune retentus.
Impia turba probat factum, tum denique Bacchus
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore ſolutus
Sit ſopor, atque mero redeant in pectora ſenſus.
Quid facitis? quis clamor? ait: qua, dicite nautae,
Huc ope perveni? quo me deferre paratis?

Pone

Pone metum, Proreus, & quos contingere portus,
Ede, velis, dixit: terra sistere petita.
Naxon, ait Liber, cursus advertite vestros;
Illa mihi domus est, vobis erit hospita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina jurant,
Sic fore; meque jubent pictae dare vela carinae.
Dextera Naxos erat: dextra mihi lintea danti,
Quid facis, o demens? quis te furor? inquit Opheltes.
Pro se quisque timet. laevam pete, maxima nutu
Pars mihi significat: pars, quid velit, aure susurrat.
Obstupui: capiatque aliquis moderamina, dixi.
Meque ministerio, scelerisque, artisque removi.
Increpor a cunctis, totumque immurmurat agmen.
E quibus Ethalion: Te scilicet omnis in uno
Nostra salus posita est, ait; & subit ipse, meumque
Explet opus: Naxoque petit diversa relicta.
Tum Deus illudens, tanquam modo denique fraudem
Senserit, e puppi pontum prospectat adunca.
Et flenti similis: Non haec mihi litora nautae
Promisistis, ait. non haec mihi terra rogata est,
Quo merui poenam facto? quae gloria vestra est,
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum?
Jamdudum flebam, lacrymas manus impia nostras
Ridet; & impellit properantibus aequora remis.
Per tibi nunc ipsum (neque enim praesentior illo
Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide. stetit aequora puppis,
Haud aliter, quam si siccum navale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant,
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant,
Impediunt hederae remos, nexuque recurvo
Serpunt, & gravidis distinguunt vela corymbis.
Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.
Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
Exsiliere viri (sive hoc insania fecit,
Sive timor) primusque Medon nigrescere pinnis,
Corpore depresso, & spinae curvamine flecti
Incipit. huic Lycabas, in quae miracula, dixit,
Verteris? & lati rictus, & panda loquenti
Naris erat; squamamque cutis durata trahebat,

At Libys, obstantes dum vult obvertere remos:
In spatium resilire manus breve vidit, & illas
Jam non esse manus: jam pinnas posse vocari.
Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,
Brachia non habuit, truncoque repandus in undas
Corpore desiluit: falcata novissima cauda est:
Qualia dimidiae sinuantur cornua lunae.
Undique dant saltus, multaque aspergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque sub aequora rursus:
Inque chori ludunt speciem; lascivaque jactant
Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat)
Restabam solus: pavidus, gelidusque trementi
Corpore; vixque animum firmat Deus, Excute, dicens,
Corde metum, Diamque tene. delatus in illam
Accessi sacris, Baccheaque sacra frequento.
Praebuimus longis, Pentheus, ambagibus aures,
Inquit, ut ira mora vires absumere posset;
Praecipitem, famuli, rapite hunc, cruciataque duris
Corpora tormentis Stygiae dimittite morti.
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acoetes
Clauditur in tectis: & dum crudelia jussae
Instrumenta necis, ferrumque, ignesque parantur;
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua, fama est, nullo solvente, catenas.
Perstat Echionides, nec jam jubet ire, sed ipse
Vadit, ubi festus facienda ad sacra Cithaeron
Cantibus, & clara Bacchantum voce sonabat.
Ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro
Signa dedit tubicen, pugnaeque assumit amorem:
Penthea sic ictus longis ululatibus aether
Movit; & audito clamore recanduit ira.
Monte fere medio est cingentibus ultima sylvis
Purus ab arboribus spectabilis undique campis.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis
Prima videt, prima est insano concita cursu,
Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater; &, o geminae clamavit, adeste sorores:
Ille aper, in nostris errat qui maximus agris:
Ille mihi feriendus aper. ruit omnis in unum
Turba furens: cunctae coëunt, trepidumque sequuntur,
Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,

Jam

Jam se damnantem, jam se peccasse fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoë: moveant animos Actaeonis umbrae.
Illa quis Actaeon nescit: dextramque precantis
Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu.
Ille etiam vellet cum brachia tendere matri,
Non habet infelix quae matri brachia tendat;
Trunca sed ostendens dissectis vulnera membris,
Aspice, mater, ait. visis ululavit Agave:
Collaque jactavit; crinemque per aëra movit.
Avulsumque caput digitis complexa cruentis
Clamat, Io comites! opus hoc victoria nostra est.
Non citius frondes autumni frigore tactas,
Jamque male haerentes alta rapit arbore ventus;
Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitae nova sacra frequentant,
Thuraque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

EX LIBRO IV.

MINEIDES IN VESPERTILIONES.

AT non Alcithoë Mineias Orgia censet
Accipienda Dei; sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis; sociasque sorores
Impietatis habet. festum celebrare sacerdos,
Immunesque operum famulas dominasque suorum,
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos
Jusserat; & saevam laesi fore numinis iram,
Vaticinatus erat. parent matresque nurusque,
Telasque, & calathos, infectaque pensa reponunt.
Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.
Additur his Nyseusque, indetonsusque Thyoneus,
Et cum Lenaeo genialis consitor uvae,
Nyctileusque, Eleleusque parens, & Jacchus, & Evan;
Et quae praeterea per Grajas plurima gentes
Nomina, Liber, habes. tibi enim inconsumta juventa est.
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris caelo: tibi, cum sine cornibus adstas,
Vir-

Virgineum caput eſt: Oriens tibi victus, ad uſque
Decolor extremo qua cingitur India Gange.
Penthea, tu venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas: Tyrrhenaque mittis in aequor
Corpora, tu bijugum pictis inſignia fraenis
Colla premis lyncum. Bacchae, Satyrique ſequuntur,
Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter haeret aſello;
Quacumque ingrederis, clamor juvenilis, & una
Femineae voces, impulſaque tympana palmis,
Concavaque aera ſonant, longoque foramine buxus.
Placatus, mitiſque, rogant Iſmenides, adſis:
Juſſaque ſacra colunt. Solae Mineides intus
Intempeſtiva turbantes feſta Minerva,
Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut haerent telae, famulaſque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum,
Dum ceſſant aliae, commentaque ſacra frequentant.
Nos quoque, quas Pallas melior Dea detinet, inquit,
Utile opus manuum vario ſermone levemus;
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non ſinat, in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant; primamque jubent narrare ſorores,
Illa, quid e multis referat (nam plurima norat)
Cogitat: & dubia eſt, de te Babylonia narret
Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus
Stagna Palaeſtini credunt coluiſſe figura.
An magis ut ſumtis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos:
Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis
Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces,
Donec idem paſſa eſt; an, quae poma alba ferebat,
„ Ut nunc nigra ferat permixto ſanguine morus.
Haec placet, haec quoniam vulgaris fabula non eſt;
Dulcibus orſa modis, lana ſua fila ſequente.
Deſierat; mediumque fuit breve tempus, & orſa eſt
Dicere Leucothoë: vocem tenuere ſorores,
„ Dum magni illa refert antiquos Solis amores.
„ Dixerat: Alcithoë, poſtquam ſiluere ſorores,
„ Poſcitur. Haec radio percurrens ſtamina telae,
„ Unde ſit infamis denarrat Salmacis unda.
Finis erat dictis; & adhuc Mineia proles

Ur-

Urget opus, fpernitque Deum, feftumque profanat;
Tympana cum fubito non apparentia raucis
Obftrepuere fonis, & adunco tibia cornu,
Tinnulaque aera fonant; & olent myrrhaeque, crocique;
Refque fide major, coepere virefcere telae,
Inque hederae faciem pendens frondefcere veftis:
Pars abit in vites: & quae modo fila fuerunt,
Palmite mutantur; de ftamine pampinus exit;
Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
Jamque dies exactus erat, tempufque fubibat,
Quod tu nec tenebras, nec poffes dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis.
Tecta repente quati, pinguefque ardere videntur
Lampades: & rutilis collucere ignibus aedes;
Falfaque faevarum fimulacra ululare ferarum.
Fumida jamdudum latitant per tecta forores:
Diverfaeque locis ignes, ac lumina vitant.
Dumque petunt tenebras, parvos membrana per artus
Porrigitur, tenuefque includunt brachia pennae.
Nec qua perdiderint veterem ratione figuram,
Scire finunt tenebrae; non illas pluma levavit:
Suftinuere tamen fe pellucentibus alis.
Conataeque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque leves ftridore querelas.
Tectaque non fylvas celebrant, lucemque perofae
Nocte volant, feroque tenent a vefpere nomen.

ANDROMEDA A PERSEO LIBERATA.

„ IMmeritam (ut fama eft) maternae pendere linguae
Andromedam poenas injuftus juflerat Ammon.
Quam fimul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades, nifi quod levis aura capillos
Moverat, & tepido manabant lumina fletu,
Marmoreum ratus effet opus.
Ut ftetit, O, dixit, non iftis digna catenis,
Pande requirenti nomen terraeque tuumque,
Et cur vincla geras. primo filet illa, nec audet
Appellare virum virgo; manibufque modeftos
Celaffet vultus, fi non religata fuiffet;
Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.
Saepius inftanti, fua ne delicta fateri

Nolle

Nolle videretur, nomen terraeque ſuumque,
Quantaque maternae fuerit fiducia formae
Indicat; & nondum memoratis omnibus, unda
Inſonuit: venienſque immenſo bellua ponto
Eminet, & latum ſub pectore poſſidet aequor.
Conclamat virgo: genitor lugubris, & una
Mater adeſt, ambo miſeri, ſed juſtius illa:
Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,
Plangoremque ferunt, vinctoque in corpore adhaerent.
Tunc ſic hoſpes ait: Lacrymarum longa manere
Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferenda eſt.
Hanc ego ſi peterem Perſeus, Jove natus, & idem
Gorgonis anguicomae Perſeus ſuperator, & alis
Aetherias auſus jactatis ire per auras,
Praeferrer cunctis certe gener. addere tantis
Dotibus & meritum (faveant modo numina) tento,
Ut mea ſit, ſervata mea virtute, paciſcor.
Accipiunt legem (quis enim dubitaret?) & orant,
Promittuntque ſuper regnum dotale parentes.
Ecce, velut navis praefixo concita roſtro
Sulcat aquas, juvenum ſudantibus acta lacertis:
Sic fera dimotis impulſu pectoris undis
Tantum aberat ſcopulis, quantum Balearica torto
Funda poteſt plumbo medii tranſmittere caeli:
Cum ſubito juvenis pedibus tellure repulſa
Arduus in nubes abiit. ut in aequore ſummo
Umbra viri viſa eſt, viſam fera ſaevit in umbram.
Utque Jovis praepes, vacuo cum vidit in arvo
Praebentem Phoebo liventia terga draconem,
Occupat adverſum: neu ſaeva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.
Sic celeri miſſus praeceps per inane volatu
Terga ferae preſſit, dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.
Vulnere laeſa gravi: modo ſe ſublimis in auras
Attollit, modo ſubdit aquis: modo more ferocis
Verſat apri, quem turba canum circumſona terret.
Ille avidos morſus velocibus effugit alis,
Quaque patet, nunc terga cavis ſuper obſita conchis,
Nunc laterum coſtas, nunc qua tenuiſſima cauda
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe.
Bellua puniceo miſtos cum ſanguine fluctus

Ore vomit. maduere graves aſpergine pennae.
Nec bibulis ultra Perſeus talaribus auſus
Credere, conſpexit ſcopulum: qui vertice ſummo
Stantibus exſtat aquis; operitur ab aequore moto.
Nixus eo, rupiſque tenens juga prima ſiniſtra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Litora cum plauſu clamor, ſuperaſque Deorum
Implevere domos. gaudent, generùmque ſalutant;
Auxiliumque domus, ſervatoremque fatentur
Caſſiope, Cepheuſque pater; reſoluta catenis
Incedit virgo pretiumque, & cauſſa laboris.

VIRGAE IN CORALIA.

Ipſe manus hauſta victrices abluit unda:
Anguiferumque caput dura ne laedat arena,
Mollit humum foliis, nataſque ſub aequore virgas
Sternit, & imponit Phorcynidos ora Meduſae.
Virga recens, bibulaque etiam nunc viva medulla
Vim rapuit monſtri, tactuque induruit hujus;
Percepitque novum ramis & fronde rigorem.
At pelagi nymphae factum mirabile tentant
Pluribus in virgis; & idem contingere gaudent;
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.
Nunc quoque coraliis eadem natura remanſit:
Duritiam tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in aequore erat, fiat ſuper aequora ſaxum.

MEDUSAE CRINES IN SERPENTES.

Dìis tribus ille focos totidem de ceſpite ponit;
Laevum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Jovis media eſt. mactatur vacca Minervae;
Alipedi vitulus; taurus tibi, ſumme Deorum.
Protinus Andromeden, & tanti praemia facti
Indotata rapit. taedas Hymenaeus, amorque
Praecipiunt; largis ſatiantur odoribus ignes,
Sertaque dependent tectis: & ubique lyraeque,
Tibiaque, & cantus animi felicia laeti
Argumenta ſonant. reſeratis aurea valvis
Atria tota patent; pulchroque inſtructa paratu
Cepheni proceres ineunt convivia regis.
Poſtquam epulis functi, generoſi munere Bacchi
Diffudere animos, cultuſque genuſque locorum
Quaerit Abantiades. quaerenti protinus unus
Narrat Lyncides moreſque habitumque virorum.

Quae simul edocuit; Nunc, o fortissime, dixit,
Fare precor, Perseu, quanta virtute, quibusque
Artibus abstuleris crinita draconibus ora.
Narrat Abantiades, gelido sub Atlante jacentem
Esse locum solidae tutum munimine molis;
Cujus in introitu geminas habitasse sorores
Phorcydas, unius sortitas luminis usum.
Id se solerti, furtim dum traditur, astu
Supposita cepisse manu: perque abdita longe,
Deviaque, & sylvis horrentia saxa fragosis
Gorgonias tetigisse domos: passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulacra, ferarumque
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa.
Se tamen horrendae, clypei quem laeva gerebat
Aere repercusso, formam adspexisse Medusae.
Dumque gravis somnus colubros, ipsamque tenebat,
Eripuisse caput collo, pennisque fugacem
Pegason, & fratrem, matris de sanguine natos.
Addidit & longi non falsa pericula cursus:
Quae freta, quas terras sub se vidisset ab alto:
Et quae jactatis tetigisset sidera pennis.
Ante expectatum tacuit, tamen excipit unus
Ex numero procerum, quaerens, cur una sororum
Gesserit alternis immistos crinibus angues.
Hospes ait, Quoniam scitaris digna relatu,
Accipe quaesiti caussam. Clarissima forma,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum
Illa: nec in tota conspectior ulla capillis
Pars fuit: inveni, qui se vidisse referrent:
„ Hanc olim dicunt templum violasse Minervae:
„ Nata Jovis sensit; neve hoc impune fuisset,
Gorgonium crinem turpes mutavit in hydros.
Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

EX LIBRO V.

NOVEM PIERI FILIAE IN PICAS.

„ OLim Helicona petit Pallas: quo monte potita
Constitit, & doctas sic est affata sorores.

Fama novi fontis noſtras pervenit ad aures,
Dura Meduſaei quem praepetis ungula rupit.
Is mihi cauſſa viae: volui mirabile factum
Cernere: vidi ipſum materno ſanguine naſci.
Excipit Uranie: Quaecumque eſt cauſſa videndi
Has tibi, Diva, domos; animo gratiſſima noſtro es;
Vera tamen fama eſt: & Pegaſus hujus origo eſt
Fontis: & ad latices deduxit Pallada ſacros.
Quae mirata diu factas pedis ictibus undas,
Sylvarum lucos circumſpicit antiquarum,
Antraque, & innumeris diſtinctas floribus herbas:
Feliceſque vocat pariter ſtudioque locoque
Maeonidas. Quam ſic affata eſt una ſororum:
O niſi te virtus opera ad majora tuliſſet,
In partem ventura chori Tritonia noſtri,
Vera refers: meritoque probas arteſque, locumque:
Et gratam ſortem, tutae modo ſimus, habemus.
Muſa loquebatur: pennae ſonuere per auras,
Voxque ſalutantum ramis veniebat ab altis.
Suſpicit, & linguae quaerit tam certa loquentes
Unde ſonent, hominemque putat Jove nata locutum;
Ales erat, numeroque novem ſua fata querentes
Inſtiterant ramis imitantes omnia picae.
Miranti ſic orſa Deae Dea, Nuper & iſtae
Auxerunt volucrum victae certamine turbam.
Pierus has genuit Pellaeis dives in arvis.
Paeonis Enippe mater fuit: illa potentem
Lucinam novies, novies paritura vocavit.
Intumuit numero ſtolidarum turba ſororum:
Perque tot Aemonias, & per tot Achaidas urbes
Huc venit: & tali committit praelia voce:
Deſinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere: nobiſcum, ſi qua eſt fiducia vobis,
Theſpiades certate Deae: nec voce, nec arte
Vincemur: totidemque ſumus. vel cedite victae
Fonte Meduſaeo, & Hyantea Aganippe:
Vel nos Emathiis ad Paeonas uſque nivoſos
Cedemus ſylvis. dirimant certamina nymphae.
Turpe quidem contendere erat: ſed cedere viſum
Turpius. electae jurant per flumina nymphae,
Factaque de vivo preſſere ſedilia ſaxo.
Tunc ſine ſorte prior, quae ſe certare profeſſa eſt,
Bel-

Bella canit Superûm, falſoque in honore Gigantes,
Ponit: & extenuat magnorum facta Deorum:
Emiſſumque ima de ſede Typhoëa terrae
Caelitibus feciſſe metum, cunctoſque dediſſe
Terga fugae; donec feſſos Aegyptia tellus
Ceperit, & ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.
Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoëa narrat,
Et ſe mentitis Superos celaſſe figuris:
Duxque gregis, dixit, fit Jupiter: unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Ammon.
Delius in corvo, proles Semeleia capro,
Fele ſoror Phoebi, nivea Saturnia vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.
Hactenus ad citharam vocalia moverat ora.
Poſcimur Aonides. Sed forſitan otia non ſunt,
Nec noſtris praebere vacat tibi cantibus aures.
Ne dubita, veſtrumque mihi refer ordine carmen,
Pallas ait: nemoriſque levi conſedit in umbra.
Muſa refert: Dedimus ſummam certaminis uni.
Surgit, & immiſſos hedera collecta capillos
Calliope querulas praetentat pollice chordas:
Atque haec percuſſis ſubjungit carmina nervis.
Vaſta giganteis injecta eſt inſula membris
Trinacris; & magnis ſubjectum molibus urget
Aetherias auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem, tentatque reſurgere ſaepe:
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro;
Laeva, Pachyne, tibi; Lilybaeo crura premuntur;
Degravat Aetna caput: ſub qua reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoëus.
Saepe remoliri luctatur pondera terrae,
Oppidaque, & magnos devolvere corpore montes.
Inde tremit tellus; & rex pavet ipſe ſilentum,
Ne pateat, latoque ſolum retegatur hiatu,
Immiſſuſque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem tenebroſa ſede tyrannus
Exierat: curruque atrorum evectus equorum,
Ambibat Siculae cautus fundamina terrae.
Poſtquam exploratum ſatis eſt loca nulla labare,
„ Depoſuitque metus; rediitque in Tartara Pluto.
Finierat doctos e nobis maxima cantus.
At nymphae viciſſe Deas Helicona colentes

Concordi dixere sono. convicia victae
Cum facerent, Quoniam, dixi, certamine vobis
Supplicium meruisse parum est, maledictaque culpae
Additis, & non est patientia libera nobis;
Ibimus in poenas; qua vocat ira, sequemur.
Rident Paeonides, spernuntque minantia verba.
Conataeque loqui, & magno clamore protervas
Intentare manus, pennas exire per ungues
Aspexere suos, operiri & brachia plumis;
Alteraque alterius rigido concrescere rostro
Ora videt, volucresque novas accedere sylvis.
Plangere dumque volunt, per brachia mota levatae,
Aëre pendebant, nemorum convicia, picae.
Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.

EX LIBRO VI.

ARACHNE IN ARANEAM.

PRaebuerat dictis Tritonia talibus aures:
Carminaque Aonidum, justamque probaverat iram.
Tum secum: LAUDARE parum est; laudemur & ipsae:
Numina nec sperni sine poena nostra sinamus.
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes,
Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco, nec origine gentis
Clara, sed arte fuit: pater huic Colophonius Idmon
Phocaico bibulas tingebat murice lanas.
Occiderat mater; sed & haec de plebe, suoque
Aequa viro fuerat. Lydias tamen illa per urbes
Quaesierat studio nomen memorabile: quamvis
Orta domo parva, parvis habitabat Hypaepis.
Hujus ut aspicerent opus admirabile, saepe
Deseruere sui nymphae vineta Timoli:
Deseruere suas nymphae Pactolides undas.
Nec factas solum vestes spectare juvabat:
Tunc quoque cum fierent. Tantus decor adfuit arti.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes;
Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas aequantia tractu:
Sive levi teretem versabat pollice fusum:

Seu

Seu pingebat acu: ſcires a Pallade doctam.
Quod tamen ipſa negat: tantaque offenſa magiſtra,
Certet, ait, mecum: nihil eſt quod victa recuſem.
Pallas anum ſimulat: falſoſque in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque ſuſtinet artus.
Tunc ſic orſa loqui: NON omnia grandior aetas
Quae fugiamus, habet: ſeris venit uſus ab annis.
Conſilium ne ſperne meum. tibi fama petatur
Inter mortales faciendae maxima telae.
Cede Deae, veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.
Aſpicit hanc torvis, inceptaque fila relinquit:
Vixque manus retinens, confeſſaque vultibus iram,
Talibus obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis:
Mentis inops, longaque venis confecta ſenecta,
Et nimium vixiſſe diu nocet. audiat iſtas,
Si qua tibi nurus eſt, ſi qua eſt tibi filia, voces.
Conſilii ſatis eſt in me mihi: neve monendo
Profeciſſe putes: eadem eſt ſententia nobis:
Cur non ipſa venit? cur haec certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait: formamque removit anilem,
Palladaque exhibuit. Venerantur numina nymphae,
Mygdonideſque nurus: ſola eſt interrita virgo.
Sed tamen erubuit: ſubituſque invita notavit
Ora rubor: rurſuſque evanuit; ut ſolet aër
Purpureus fieri, cum primum Aurora movetur,
Et breve poſt tempus candeſcit ſolis ab ortu.
Perſtat in incepto, ſtolidaeque cupidine palmae
In ſua fata ruit. neque enim Jove nata recuſat,
Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.
Haud mora: conſiſtunt diverſis partibus ambae,
Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.
Tela jugo juncta eſt: ſtamen ſecernit arundo:
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Quod digiti expediunt: atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſecti pectine dentes.
Utraque feſtinat, cinctaeque ad pectora veſtes
Brachia docta movent, STUDIO fallente laborem.
Illic & Tyrium quae purpura ſenſit ahenum
Texitur, & tenues parvi diſcriminis umbrae:
Qualis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine caelum:

In quo diversi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit:
Usque adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant.
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.
Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terrae nomine litem.
Bis sex caelestes, medio Jove, sedibus altis
Augusta gravitate sedent. sua quemque Deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago.
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit: medioque e vulnere saxi
Exsiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem.
At sibi dat clypeum, dat acutae cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur aegide pectus:
Percussamque sua simulat de cuspide terram
Edere cum baccis foetum canentis olivae:
Mirarique Deos: operis victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat aemula laudis,
Quod pretium speret pro tam furialibus ausis:
Quattuor in partes certamina quattuor addit,
Clara colore suo, brevibus distincta sigillis
Threiciam Rhodopen habet angulus unus, & Aemum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina summorum sibi qui tribuere Deorum.
Altera Pygmaeae fatum miserabile matris
Pars habet. hanc Juno jussit certamine victam
Esse gruem, populisque suis indicere bellum.
Pinxit & Antigonen ausam contendere quondam
Cum magni consorte Jovis, quam regia Juno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi,
Laomedonve pater, sumtis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
Qui superest solus Cinyran habet angulus orbum;
Isque gradus templi natarum membra suarum
Amplectens, saxoque jacens lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras,
Is modus est, operisque sua facit arbore finem.
Maeonis elusam designat imagine tauri
Europam: verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assi-

Assilientis aquae, timidasque recondere plantas.
„ Crimina multa Jovis depinxit, multa Deorum.
Ultima pars telae tenui circumdata limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Possit opus. doluit successu flava virago:
Et rupit pictas caelestia crimina vestes.
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoque animosa ligavit
Guttura: pendentem Pallas miserata levavit.
Atque ita, Vive quidem, pende tamen, improba, dixit:
Lexque eadem poenae, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.
Post ea discedens succis Hecateidos herbae
Sparsit: & extemplo tristi medicamine tactae
Defluxere comae, cum queis & naris, & aures:
Fitque caput minimum: toto quoque corpore parva est.
In latere exiles digiti pro cruribus haerent;
Cetera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen: & antiquas exercet aranea telas.

NIOBE IN MARMOR.

Lydia tota fremit: Phrigiaeque per oppida facti
Rumor it: & magnum sermonibus occupat orbem.
Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tum cum Maeoniam virgo, Sipylumque colebat.
Nec tamen admonita est poena popularis Arachnes
Cedere caelitibus, verbisque minoribus uti.
Multa dabant animos: sed enim nec conjugis arces,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi (quamvis ea cuncta placerent)
Ut sua progenies. Et felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.
Nam sata Tiresia venturi praescia Manto
Per medias fuerat divino concita motu
Vaticinata vias: Ismenides ite frequentes,
Et date Latonae, Latonigenisque duobus,
Cum prece thura pia; lauroque innectite crinem.
Ore meo Latona jubet. paretur: & omnes
Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant,
Thuraque dant sanctis & verba precantia flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,

Ve-

Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro,
Et quantum ira sinit, formosa, movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos,
Constitit; utque oculos circumtulit alta superbos;
Quis furor auditos, inquit, praeponere visis
Caelestes? aut cur colitur Latona per aras?
Numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus auctor,
Cui licuit soli Superorum tangere mensas.
Pleiadum soror est genitrix mea: maximus Atlas
Est avus, aetherium qui fert cervicibus axem.
Jupiter alter avus; socero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiae, me regia Cadmi
Sub domina est; fidibusque mei commissa mariti
Moenia cum populis a meque, viroque reguntur.
In quamcumque domus adverti lumina partem,
Immensae spectantur opes. Accedit eodem
Digna Dea facies: huc natas adjice septem,
Et totidem juvenes, & mox generosque nurusque.
Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia caussam:
Quoque modo audetis genitam Titanida Coeo
Latonam praeferre mihi; cui maxima quondam
Exiguam sedem pariturae terra negavit?
Nec caelo, nec humo, nec aquis Dea vestra recepta est.
Exul erat mundo, donec miserata vagantem,
Hospita tu terris erras, ego, dixit, in undis,
Instabilemque locum Delos dedit. illa duorum
Facta parens: uteri pars haec est septima nostri.
Sum felix: quis enim neget hoc? felixque manebo.
Hoc quoque quis dubitet? Tutam me copia fecit.
Major sum, quam cui possit fortuna nocere.
Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona: fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum;
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum.
Ite satis propere sacris: laurumque capillis
Ponite. deponunt, & sacra infecta relinquunt;
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen
Latonae. Turba quantum distabat ab orba,
Tantum animosa sui furiis agitata doloris
Indignata Dea est: summoque in vertice Cynthi
Talibus est dictis gemina cum prole locuta:
En! ego vestra parens, vobis animosa creatis,

Et,

Et, nisi Junoni, nulli cessura Dearum,
An Dea sim, dubitor: perque omnia secula cultis
Arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.
Nec dolor hic solus: diro convicia facto
Tantalis adjecit; vosque est postponere natis
Ausa suis: & me, quod in ipsam decidat, orbam,
Dixit: & exhibuit linguam scelerata paternam.
Adjectura preces erat his Latona relatis:
Desine, Phoebus ait: poenae mora longa querela est,
Dixit idem Phoebe: celerique per aëra lapsu
Contigerant tecti Cadmeida nubibus arcem.
Planus erat, lateque patens prope moenia campus,
Assiduis pulsatus equis: ubi turba rotarum,
Duraque mollierat subjectas ungula glebas.
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes
Conscendunt in equos: Tyrioque rubentia succo
Terga premunt; auro gravidis moderantur habenis.
E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suae fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedis cursus, spumantiaque ora coërcet:
Heu mihi! conclamat: medioque in pectore fixa
Tela gerit: fraenisque manu moriente remissis,
In latus a dextro paullatim defluit armo.
Proximus audito sonitu per inane pharetrae
Fraena dabat Sipylus: veluti cum praescius imbres
Nube fugit visa, pendentiaque undique rector
Carbasa diducit: ne qua levis effluat aura.
Fraena tamen dantem non evitabile telum
Consequitur; summaque tremens cervice sagitta
Haesit: & exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per crura admissa, jubasque
Volvitur, & calido tellurem sanguine foedat.
Phoedimus infelix, & aviti nominis heres
Tantalus, ut solito finem imposuere labori,
Transierant ad opus nitidae juvenile palaestrae.
Et jam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus; cum tento concita nervo,
Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta.
Ingemuere simul: simul incurvata dolore
Membra solo posuere: simul suprema jacentes
Lumina versarunt: animam simul exhalarunt.
Aspicit Alphenor, laniataque pectora plangens

Ad-

Evolat, ut gelidos complexibus allevet artus,
Inque pio cadit officio: nam Delius illi
Intima fatifero rupit praecordia ferro.
Quod fimul eductum eft, pars eft pulmonis in hamis
Eruta: cumque anima cruor eft effufus in auras.
At non intonfum fimplex Damafichthona vulnus
Afficit: ictus erat, qua crus effe incipit, & qua
Mollia nervofus facit internodia poples.
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per jugulum pennis tenus acta fagitta eft.
Expulit hanc fanguis, feque ejaculatus in altum
Emicat, & longe terebrata profilit aura.
Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia fuftulerat; Diique o communiter omnes,
Dixerat (ignarus non omnes effe rogandos),
Parcite. Motus erat, cum jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens: minimo tamen occidit ille
Vulnere, non alte percuffo corde fagitta.
Fama mali, populique dolor, lacrymaeque fuorum,
Tam fubitae matrem certam fecere ruinae,
Mirantem potuiffe, irafcentemque quod aufi
Hoc effent Superi, quod tantum juris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu! quantum haec Niobe Niobe diftabat ab illa,
Quae modo Latois populum fummoverat aris,
Et mediam tulerat greffus refupina per urbem
Invidiofa fuis! at nunc miferanda vel hofti,
Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Ofcula difpenfat natos fuprema per omnes.
A quibus ad caelum liventia brachia tollens,
Pafcere crudelis noftro Latona dolore,
Pafcere, ait, fatiaque meo tua pectora luctu,
Corque ferum fatia, dixit: per funera feptem
Efferor; exfulta, victrixque inimica triumpha.
Cur autem victrix? miferae mihi plura fuperfunt,
Quam tibi felici; poft tot quoque funera vinco.
Dixerat: & fonuit contento nervus ab arcu,
Qui, praeter Nioben unam, conterruit omnes.
Illa malo eft audax. ftabant cum veftibus atris
Ante toros fratrum demiffo crine forores.
E quibus una trahens haerentia vifcere tela,

Im-

Imposito fratri moribunda relanguit ore:
Altera solari miseram conata parentem
Conticuit subito, duplicataque vulnere caeco est,
Oraque non pressit, nisi postquam spiritus exit.
Haec frustra fugiens collabitur: illa sorori
Immoritur: latet haec: illam trepidare videres.
Sexque datis letho, diversaque vulnera passis,
Ultima restabat, quam toto corpore mater,
Tota veste tegens, Unam, minimamque relinque:
De multis minimam posco, clamavit, & unam.
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit. Orba resedit
Exanimes inter natos, natasque, virumque:
Diriguit malis: nullos movet aura capillos;
In vultu color est sine sanguine: lumina moestis
Stant immota genis; nihil est in imagine vivum.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venae desistunt posse moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest: intra quoque viscera saxum est.
Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis
Liquitur; & lacrymis etiam nunc marmora manant.

RUSTICI IN RANAS.

Tum vero cuncti manifestam numinis iram
Femina, virque timent; cultuque impensius omnes
Magna gemelliparae venerantur numina Divae.
Utque fit, a facto propiore priora renarrant.
E quibus unus ait: Lyciae quoque fertilis agris
Non impune Deam veteres sprevere coloni.
Res obscura quidem est ignobilitate virorum,
Mira tamen: vidi praesens, stagnumque, locumque
Prodigio notum. Nam me jam grandior aevo,
Impatiensque viae genitor, deducere lectos
Jusserat inde boves; gentisque illius eunti
Ipse ducem dederat. cum quo dum pascua lustro,
Ecce lacu medio sacrorum nigra favillâ
Ara vetus stabat tremulis circumdata cannis.
Restitit, & pavido, Faveas mihi, murmure dixit
Dux meus; & simili, Faveas mihi, murmure dixi.
Naiadum, Faunine foret tamen ara rogabam,
Indigenaeve Dei; cum talia rettulit hospes.

Non

Non hac, o juvenis, montanum numen in ara eſt:
Illa ſuam vocat hanc, cui quondam regia conjux
Orbem interdixit, quam vix erratica Delos
Errantem accepit, tunc cum levis inſula nabat.
Illic incumbens cum Palladis arbore palmae
Edidit invita geminos Latona noverca.
Hinc quoque Junonem fugiſſe puerpera fertur,
Inque ſuo portaſſe ſinu duo numina natos.
Jamque Chimaeriferae, cum ſol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciae, longo Dea feſſa labore,
Sidereo ſiccata ſitim collegerat aeſtu,
Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.
Forte lacum mediocris aquae proſpexit in imis
Vallibus: agreſtes illic fruticoſa legebant
Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.
Acceſſit, poſitoque genu Titania terram
Preſſit, ut hauriret gelidos potura liquores.
Ruſtica turba vetat; Dea ſic affata vetantes:
Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt:
Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas: ad publica munera veni:
Quae tamen, ut detis, ſupplex peto, non ego noſtros
Abluere hic artus, laſſataque membra parabam:
Sed relevare ſitim: caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque eſt via vocis in illis.
Hauſtus aquae mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepiſſe; ſimul vitam dederitis in undis.
Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt
Parva ſinu: & caſu tendebant brachia nati.
Quem non blanda Deae potuiſſent verba movere?
Hi tamen orantem perſtant prohibere: minaſque,
Ni procul abſcedat, conviciaque inſuper addunt.
Nec ſatis eſt: ipſos etiam pedibuſque, manuque
Turbavere lacus; imoque e gurgite mollem
Huc illuc limum ſaltu movere maligno.
Diſtulit ira ſitim: neque enim jam filia Coei
Supplicat indignis: nec dicere ſuſtinet ultra
Verba minora Dea; tollenſque ad ſidera palmas,
Aeternum ſtagno, dixit, vivatis in iſto.
Eveniunt optata Deae: juvat eſſe ſub undis,
Et modo tota cava ſubmergere membra palude;

Nunc

Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare:
Saepe super ripam stagni consistere: saepe
In gelidos resilire lacus: sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas; pulsoque pudore,
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est: inflataque colla tumescunt,
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus:
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur;
Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet:
Limosoque novae saliunt in gurgite ranae.

FAUNORUM, SATYRORUM &c. LACRYMAE IN FLUMEN.

Sic ubi nescio quis Lycia de gente virorum
Rettulit, exitium Satyri reminiscitur alter:
Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit poena. Quid me mihi detrahis, inquit?
Ah! piget: ah! non est, clamabat, tibia tanti.
Clamanti cutis est summos direpta per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat: cruor undique manat:
Detectique patent nervi; trepidaeque sine ulla
Pelle micant venae. salientia viscera posses,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolae sylvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus,
Et nymphae flerunt, & quisquis montibus illis
Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis,
Quas ubi fecit aquas, vacuas emisit in auras.
Inde petens rapidum ripis declivibus aequor,
Marsya nomen habet, Phrygiae liquidissimus amnis.

PELOPIS HUMERUS E CARNEO IN EBURNEUM.

Talibus exemplis redit ad praesentia dictis
Vulgus: & extinctum cum stirpe Amphiona luget.
Mater in invidia est: hanc tunc quoque dicitur unus
Flesse Pelops: humeroque, suas a pectore postquam
Diduxit vestes, ebur ostendisse sinistro.
Concolor hic humerus, nascendi tempore, dextro
Corporeusque fuit. manibus mox caesa paternis
Membra ferunt junxisse Deos: aliisque repertis,
Qui locus est juguli medius, summique lacerti,

De-

Defuit: impofitum eft non comparentis in ufum
Partis ebur: factoque Pelops fuit integer illo.

EX LIBRO VII.

JASON AUREUM VELLUS AUXILIO MEDEAE ACQUIRENS.

„ LAeti olim juvenes, Argivae robora pubis,
„ Multa diu paffi claro fub Jafone, tandem
Contigerant rapidas limofi Phafidos undas.
Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera pofcunt,
Voxque datur Myniis magnorum horrenda laborum;
„ Aefonides Medeam adiit, dextramque prehendit,
„ Auxiliumque & opem fubmiffa voce rogavit;
Promifitque torum. Lacrymis ait illa profufis:
Quid faciam video: nec me ignorantia veri
Decipiet, fed amor. fervabere munere noftro;
„ Servatus promiffa dato. Per numina Jafon,
Perque patrem foceri cernentem cuncta futuri,
Eventufque fuos, & tanta pericula jurat.
Creditus accepit cantatas protinus herbas;
Edidicitque ufum; laetufque in tecta receffit.
Poftera depulerat ftellas aurora micantes:
Conveniunt populi facrum Mavortis in arvum:
Confiftuntque jugis: medio rex ipfe refedit
Agmine purpureus, fceptroque infignis eburno.
Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Aeripedes tauri; tactaeque vaporibus herbae
Ardent; utque folent pleni refonare camini,
Aut ubi terrena filices fornace foluti
Concipiunt ignem liquidarum afpergine aquarum;
Pectora fic intus claufas volventia flammas,
Gutturaque ufta fonant. tamen illis Aefone natus
Obvius it. vertere truces venientis ad ora
Terribiles vultus, praefixaque cornua ferro;
Pulvereumque folum pede pulfavere bifulco;
Fumificifque locum mugitibus implevere.
Diriguere metu Minyae: fubit ille, nec ignes
Sentit anhelatos (tantum medicamina poffunt)
Pendulaque audaci mulcet palearia dextra,

Sup-

Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri
Ducere, & insuetum ferro proscindere campum.
Mirantur Colchi: Minyae clamoribus augent,
Adjiciuntque animos. galea tum sumit ahena
Vipereos dentes, & aratos spargit in agros.
Semina mollit humus valido praecincta veneno:
Et crescunt, fiuntque sati nova corpora dentes.
Utque hominis speciem materna sumit in alvo,
Perque suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras:
Sic ubi visceribus gravidae telluris imago
Effecta est hominis, foeto consurgit in arvo:
Quodque magis mirum est, simul edita concutit arma.
Quos ubi viderunt praeacutae cuspidis hastas
In caput Aemonii juvenis torquere parantes,
Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.
Ipsa quoque extimuit, quae tutum fecerat illum:
Utque peti vidit juvenem tot ab hostibus unum,
Palluit; & subito sine sanguine frigida sedit.
Neve parum valeant a se data gramina, carmen
Auxiliare canit; secretasque advocat artes.
Ille gravem medios silicem jaculatus in hostes,
A se depulsum Martem convertit in ipsos.
Terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres,
Civilique cadunt acie; gratantur Achivi,
Victoremque tenent, avidisque amplexibus haerent.
Pervigilem superest herbis sopire draconem;
Qui crista, linguisque tribus praesignis, & uncis
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureae.
Hunc postquam sparsit Lethaei gramine succi;
Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,
Quae mare turbatum, quae concita flumina sistunt:
Somnus in ignotos oculos ubi venit; & auro
Heros Aesonius potitur, spolioque superbus,
Muneris auctorem secum spolia altera portans,
Victor Jolciacos tetigit cum conjuge portus.

AESON MEDEAE OPERA E SENE FACTUS JUVENIS.

Aemoniae matres pro natis dona receptis,
Grandaevique ferunt patres: congestaque flamma
Thura liquefaciunt: indutaque cornibus aurum
Victima vota facit. Sed abest gratantibus Aeson,

Jam propior letho, fessusque senilibus annis.
Tum sic Aesonides: O, cui debere salutem
Confiteor, conjux, quamquam mihi cuncta dedisti,
Excessitque fidem meritorum summa tuorum:
Si tamen hoc possunt (quid enim non carmina possunt?)
Deme meis annis, & demtos adde parenti.
Nec tenuit lacrymas. Mota est pietate rogantis;
Dissimilemque animum subiit pater Aeta relictus.
Non tamen affectus tales confessa: Quid, inquit,
Excidit ore tuo, conjux, scelus? ergo ego cuiquam
Posse tuae videor spatium transcribere vitae?
Non sinat hoc Hecate; nec tu petis aequa; sed isto,
Quod petis, experiar majus dare munus, Iason.
Arte mea soceri longum tentabimus aevum,
Non annis revocare tuis: modo Diva triformis
Adjuvet, & praesens ingentibus annuat ausis.
Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
Efficerentque orbem. postquam plenissima fulsit,
Et solida terras spectavit imagine Luna,
Egreditur tectis, vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos;
Fertque vagos mediae per muta silentia noctis
Incomitata gradus. homines, volucresque, ferasque
Solverat alta quies, nullo cum murmure serpens;
Immotaeque silent frondes; silet humidus aër;
Sidera sola micant: ad quae sua brachia tendens
Ter se convertit; ter sumtis flumine crinem
Irroravit aquis; ternis & hiatibus ora
Solvit, & in dura submisso poplite terra,
Nox, ait, arcanis fidissima; quaeque diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus astra;
Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris,
Adjutrixque venis; cantusque, artesque magorum;
Quaeque magos Tellus pollentibus instruis herbis:
Auraeque, & venti, montesque, amnesque, lacusque,
Diique omnes nemorum, Diique omnes noctis adeste;
Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos; concussaque sisto;
Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
Nubilaque induco; ventos abigoque, vocoque;
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces;
Vivaque saxa, sua convulsaque robora terra,

Et sylvas moveo; jubeoque tremiscere montes;
Et mugire solum; manesque exire sepulchris.
Te quoque Luna traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant: currus quoque carmine nostro
Pallent: ac pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, & unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis:
Custodemque rudem somno sopistis: & aurum
Vindice decepto Grajas misistis in urbes.
Nunc opus est succis, per quos renovata senectus
In florem redeat, primosque recolligat annos.
Et dabitis: neque enim micuerunt sidera frustra:
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest. aderat demissus ab aethere currus.
Quo simul ascendit, fraenataque colla draconum
Permulsit, manibusque leves agitavit habenas,
Sublimis rapitur: subjectaque Thessala Tempe
Despicit, & cretis regionibus applicat angues:
Et quas Ossa tulit, quasque altum Pelion herbas,
Othrysque, & Pindus, & Pindo major Olympus,
Perspicit; & placitas partim radice revellit,
Partim succidit curvamine falcis ahenae.
Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis.
Multa quoque Amphrysi. nec eras immunis Enipeu.
Nec non Peneus, nec non Sperchiades undae
Contribuere aliquid, juncosaque litora Boebes.
Carpsit & Euboica vivax Anthedone gramen,
Nondum vulgatum mutato corpore Glauci.
Nona dies illam curru, pennisque draconum,
Nonaque nox omnes lustrantem viderat agros:
Cum rediit. nec erant tacti nisi odore dracones:
Et tamen annosae pellem posuere senectae.
Constitit adveniens citra limenque foresque:
Et tantum caelo tegitur, refugitque viriles
Aspectus: statuitque aras de cespite binas,
Dexteriore Hecates, & laeva parte Juventae.
Has ubi verbenis, sylvaque incinxit agresti;
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit: cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.
Tum super invergens tepidi carchesia lactis,

Alteraque immergens liquidi carchesia mellis,
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit;
Umbrarumque rogat rapta cum conjuge regem,
Ne properent artus anima fraudare senili.
Quos ubi placavit precibusque & murmure longo;
Aesonis effoetum proferri corpus ad aras
Jussit: & in plenos resolutum carmine somnos
Exanimi similem stratis porrexit in herbis.
Hinc procul Aesonidem, procul hinc jubet ire ministros,
Et monet arcanis oculos removere profanos.
Diffugiunt jussi. Sparsis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras:
Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tingit, & infectas geminis accendit in aris.
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.
Interea calido positum medicamen aheno
Fervet, & exsultat, spumisque tumentibus albet.
Illic Aemonia radices valle resectas,
Seminaque, & flores, & succos incoquit atros.
Adjicit extremo lapides Oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lavit arenas.
Addidit exceptas Lunae de nocte pruinas,
Et strigis infames ipsis cum carnibus alas,
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi. nec defuit illi
Squamea Cinyphei tenuis membrana chelydri;
Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
Ora, caputque novem cornicis secula passae.
His & mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara munus:
Arenti ramo jampridem mitis olivae
Omnia confudit, summisque immiscuit ima.
Ecce! vetus calido versatus stipes aheno
Fit viridis primo, nec longo tempore frondes
Induit, & subito gravidis oneratur olivis.
At quacumque cavo spumas ejecit aheno
Ignis, & in terram guttae cecidere calentes:
Vernat humus: floresque, & mollia pabula surgunt.
Quae simul ac vidit, stricto Medea recludit
Ense senis jugulum; veteremque exire cruorem
Passa, replet succis: quos postquam combibit Aeson
Aut ore exceptos, aut vulnere; barba, comaeque
Ca-

Canitie posita nigrum rapuere colorem.
Pulsa fugit macies: abeunt pallorque, situsque:
Adjectoque cavae supplentur corpore rugae;
Membraque luxuriant. Aeson miratur, & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos,
Dissimilemque animum subiit, aetate relicta.

PELIAS ARTE, MEDEAE A FILIABUS SUIS INTEREMTUS.

Neve doli cessent, odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat: Peliaeque ad limina supplex
Confugit: atque illam (quoniam gravis ipse senecta est)
Excipiunt natae, quas tempore callida parvo
Colchis amicitiae fallacis imagine cepit.
Dumque refert inter meritorum maxima, demtos
Aesonis esse situs; atque hac in parte moratur;
Spes est virginibus Pelia subjecta creatis,
Arte suum parili revirescere posse parentem:
Idque petunt: pretiumque jubent sine fine pacisci.
Illa brevi spatio silet, & dubitare videtur:
Suspenditque animos, ficta gravitate, rogantum.
Mox ubi pollicita est, Quo sit fiducia major
Muneris hujus, ait, qui vestri maximus aevo est
Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effoetus laniger annis
Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu:
Cujus ut Aemonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculavit sanguine ferrum:
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in aere cavo. minuuntur corporis artus:
Cornuaque exuritur, nec non cum cornibus annos:
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora, balatum mirantibus, exilit agnus;
Lascivitque fuga; lactantiaque ubera quaerit.
Obstupuere satae Pelia: promissaque postquam
Exhibuere fidem; tum vero impensius instant.
Ter juga Phoebus equis in Ibero flumine mersis
Demserat: & quarta radiantia nocte micabant
Sidera; cum rapido fallax Aeetias igni
Imponit purum laticem, & sine viribus herbas.
Jamque neci similis, resoluto corpore, regem,
Et cum rege suos custodes somnus habebat,
Quem dederat cantus, magicaeque potentia linguae.

Intrarant juſſae cum Colchide limina natae,
Ambierantque torum: Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios, veteremque haurite cruorem,
Ut repleam vacuas juvenili ſanguine venas.
In manibus veſtris vita eſt, aetaſque parentis.
Si pietas ulla eſt, nec ſpes agitatis inanes,
Officium praeſtate patri; teliſque ſenectam
Exigite: & ſaniem conjecto emittite ferro.
His, ut quaeque pia eſt, hortatibus impia prima eſt;
Et, ne ſit ſcelerata, facit ſcelus. haud tamen ictus
Ulla ſuos ſpectare poteſt, oculoſque reflectunt,
Caecaque dant ſaevis averſae vulnera dextris.
Ille cruore fluens ſubito tamen allevat artus,
Semilacerque toro tentat conſurgere: & inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens,
Quid facitis natae? quis vos in fata parentis
Armat, ait? Cecidere illis animique, manuſque.
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abſtulit: & calidis laniatum merſit in undis.
Quae niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras,
Non exemta foret poenae. Fugit alta ſuperque
„ Pelion umbroſum, ſuper & Philyreia tecta.

EX LIBRO VIII.

ICARUS.

„ DAedalus (ut fama eſt) Creten, longumque peroſus
Exilium; tactuſque loci natalis amore
Clauſus erat pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obſtruat, at caelum certe patet: ibimus illac:
Omnia poſſideat, non poſſidet aëra Minos.
Dixit: & ignotas animum dimittit in artes:
Naturamque novat. nam ponit in ordine pennas
A minima coeptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes. ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis.
Tunc lino medias, & ceris alligat imas:
Atque ita compoſitas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat, & ignarus ſua ſe tractare pericla,

Ore

Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas: flavam modo pollice ceram
Mollibat: lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima coepto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus: motaque pependit in aura.
Instruit & natum: Medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola. nec te spectare Booten,
Aut Helicen jubeo, strictumque Orionis ensem.
Me duce carpe viam. pariter praecepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus, monitusque genae maduere seniles:
Et patriae tremuere manus. dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo: pennisque levatus
Ante volat, comitique timet (velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aëra nido)
Hortaturque sequi: damnosasque erudit artes:
Et movet ipse suas, & nati respicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivaeque innixus arator
Vidit, & obstupuit: quique aethera carpere possent,
Credidit esse Deos. & jam Junonia laeva
Parte Samos fuerat, Delosque, Parosque relictae;
Dextra Lebynthos erat, foecundaque melle Calydne.
Cum puer audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, caelique cupidine tactus
Altius egit iter. rapidi vicinia solis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos;
Remigioque carens, non ullas percipit auras:
Oraque coerulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat: pennas adspexit in undis,
Devovitque suas artes, corpusque sepulchro
Condidit: & tellus a nomine dicta sepulti est.

PERDIX IN AVEM.

Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix:

Et plausit pennis; testataque gaudia cantu est.
Unica tum volucris, nec visa prioribus annis,
Factaque nuper avis, longum tibi, Daedale, crimen.
Namque huic tradiderat fatorum ignara docendam
Progeniem germana suam, natalibus actis
Bis puerum senis, animi ad praecepta capacis.
Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum: ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes: & serrae repperit usum.
Primus, & ex uno duo ferrea brachia nodo
Junxit, ut aequali spatio distantibus illis
Altera pars staret, pars altera duceret orbem.
Daedalus invidit: sacraque ex arce Minervae
Praecipitem misit, lapsum mentitus. at illum
Quae favet ingeniis, excepit Pallas: avemque
Reddidit, & medio velavit in aëre pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis in alas,
Inque pedes abiit: nomen, quod & ante, remansit.
Non tamen haec alte volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis altoque cacumine nidos.
Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova;
Antiquique memor metuit sublimia casus.

APER CALYDONIUS.

„ Sparserat Argolicas olim vaga fama per urbes,
„ Thesea Pasiphaës prolem domuisse biformem;
„ Quum populi, late quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis.
Hujus opem Calydon, quamvis Meleàgron haberet,
Sollicita supplex petiit prece. caussa petendi
Sus erat, infestae famulus vindexque Dianae.
Oenea namque ferunt plenis successibus anni
Primitias frugum Cereri, sua vina Lyaeo,
Palladios flavae latices libasse Minervae.
Coeptus ab Agricolis Superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honor; solas sine thure relictas
Praeteritas cessasse ferunt Latoidos aras.
Tangit & ira Deos. At non impune feremus,
Quaeque inhonoratae, non & dicemur inultae,
Inquit; & Oeneos ultorem spreta per agros

Misit.

Misit aprum: quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus: sed habent Sicula arva minores.
Sanguine, & igne micant oculi: riget horrida cervix:
Et setae densis similes hastilibus horrent:
Stantque velut vallum, velut alta hastilia setae.
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes aequantur dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent.
Is modo crescentes segetes proculcat in herba;
Nunc matura metit fleturi vota coloni:
Et Cererem in spicis intercipit: area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite foetus,
Baccaque cum ramis semper frondentis olivae.
Saevit & in pecudes: non has pastorve, canisve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec sese in moenibus urbis
Esse putant tutos; donec Meleager, & una
Lecta manus juvenum caluere cupidine laudis.
Tyndaridae gemini praestantes, caestibus alter,
Alter equo, primaeque ratis molitor Jason,
Et cum Pirithoo felix concordia Theseus,
Et duo Thestiadae, & proles Aphareia Lynceus,
Leucippusque ferox, jaculoque insignis Acastus,
Et velox Idas, & jam non femina Caeneus,
Hyppothousque, Dryasque, & cretus Amyntore Phoenix,
Actoridaeque pares, & missus ab Elide Phileus,
Nec Telamon aberat, magnique creator Achillis:
Cumque Pheretiade, & Hyanteo Iolao
Impiger Eurythion, cursuque invictus Echion,
Naryciusque Lelex, Panopeus, Hyleusque, feroxque
Hippasus, & primis etiam nunc Nestor in annis,
Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis,
Penelopesque socer cum Parrhasio Ancaeo,
Ampycidesque sagax, & adhuc a conjuge tutus
Oeclides, nemorisque decus Tegeaea Lycaei.
Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
Crinis erat simplex nodum collectus in unum:
Ex humero pendens resonabat eburnea laevo
Telorum custos: arcum quoque laeva tenebat.
Sylva frequens trabibus, quam nulla ceciderat aetas,
Incipit a plano, devexaque prospicit arva.

Quo postquam venere viri, pars retia tendunt:
Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur
Signa pedum, cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat, quo se demittere rivi
Assuerant pluvialis aquae: tenet ima lacunae
Lenta salix, ulvaeque leves, juncique palustres,
Viminaque, & longae parva sub arundine cannae.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisus nubibus ignis.
Sternitur incursu nemus: & propulsa fragorem
Sylva dat. exclamant juvenes: protentaque forti
Tela tenent dextra lato vibrantia ferro.
Ille ruit, spargitque canes, ut quisque furenti
Obstat, & obliquo latrantes dissipat ictu.
Cuspis Echionio primum contorta lacerto
Vana fuit: truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in tergo visa est haesura petito:
Longius it, auctor teli Pagasaeus Iason.
Phoebe, ait Ampycides, si te colui que, coloque,
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Qua potuit, precibus Deus annuit. ictus ab illo est,
Sed sine vulnere aper: ferrumque Diana volanti
Abstulerat jaculo: lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est: nec fulmine lenius arsit.
Emicat ex oculis: spirat quoque pectore flammas.
Utque volat moles adducto concita nervo,
Cum petit aut muros, aut plenas milite turres:
In juvenes certo sic impete vulnificus sus
Fertur: & Eupalamon, Pelagonaque dextra tuentes
Cornua prosternit: socii rapuere jacentes.
At non lethiferos effugit Enaesimus ictus
Hippocoonte satus; trepidantem, & terga parantem
Vertere succiso liquerunt poplite nervi.
Forsitan & Pylius citra Trojana perisset
Tempora: sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis;
Despexitque loco tutus, quem fugerat hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis
Imminet exitio: fidensque recentibus armis
Orithiae magni rostro femur hausit adunco.
At gemini, nondum caelestia sidera, fratres,

Am-

Ambo conſpicui, nive candidioribus ambo
Vectabantur equis: ambo vibrata per auras
Haſtarum tremulo quatiebant ſpicula motu.
Vulnera feciſſent, niſi ſetiger inter opacas,
Nec jaculis, iſſet, nec equo loca pervia, ſylvas.
Perſequitur Telamon; ſtudioque incautus eundi
Pronus ab arborea cecidit radice retentus:
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeaea ſagittam
Impoſuit nervo, ſinuatoque expulit arcu.
Fixa ſub aure feri ſummum deſtrinxit arundo
Corpus, & exiguo rubeſecit ſanguine ſetas.
Nec tamen illa ſui ſucceſſu laetior ictus,
Quam Meleager erat. primus vidiſſe putatur,
Et primus ſociis viſum oſtendiſſe cruorem,
Et, Meritum, dixiſſe, feres virtutis honorem.
Erubuere viri, ſeque exhortantur, & addunt
Cum clamore animos, jaciuntque ſine ordine tela.
Turba nocet jactis, &, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra ſua fata bipennifer Arcas,
Diſcite femineis quid tela virilia praeſtent,
O juvenes, operique meo concedite, dixit:
Ipſa ſuis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc perimet mea dextra Diana.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore;
Ancipitemque manu tollens utraque ſecurim,
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.
Occupat audentem, quaque eſt via proxima letho,
Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes.
Concidit Ancaeus: glomerataque ſanguine multo
Viſcera lapſa fluunt, madefactaque terra cruore eſt.
Ibat in adverſum proles Ixionis hoſtem
Pirithous: valida quatiens venabula dextra.
Cui procul Aegides, O me mihi carior, inquit,
Pars animae conſiſte meae: licet eminus eſſe
Fortibus: Ancaeo nocuit temeraria virtus.
Dixit, & aerata torſit grave cuſpide cornu:
Cui bene librato, votique potente futuro,
Obſtitit aeſculea frondoſus ab arbore ramus.
Miſit & Aeſonides jaculum, quod caſus ab illo
Vertit, & in mentum figit latrantis, & inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum eſt.
At manus Oenidae variat: miſſiſque duabus,

Haſta

Hasta prior terra, medio stetit altera tergo.
Nec mora. dum saevit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit:
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram,
Splendidaque adversos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo,
Victricemque petunt dextrae conjungere dextram,
Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes spectant: neque adhuc contingere tutum
Esse putant. sed tela tamen sua quisque cruentat.
Ipse pede imposito, caput exitiabile pressit:
Atque ita, Sume mei spolium, Nonacria, juris,
Dixit, & in partem veniat mea gloria tecum.
Protinus exuvias rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.
Illi laetitiae est cum munere muneris auctor.
Invidere alii; totoque erat agmine murmur.
E quibus ingenti tendentes brachia voce,
Pone age, nec titulos intercipe, femina, nostros,
Thestiadae clamant: nec te fiducia formae
Decipiat, ne sit longe tibi captus amore
Auctor: & huic adimunt munus, jus muneris illi.
Non tulit, & tumida frendens Mavortius ira,
Discite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum distent: hausitque nefando
Pectora Plexippi nil tale timentia ferro.
Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem
Ulcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu: calidumque prioris
Caede recalfecit consorti sanguine telum.

MELEAGRI MORS.

Dona Deûm templis nato victore ferebat,
Cum videt extinctos fratres Althaea referri:
Quae plangore dato, moestis clamoribus urbem
Implet, & auratas mutavit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus, excidit omnis
Luctus, & a lacrymis in poenae versus amorem est.
Stipes erat, quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores;
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque, tibique,
O modo nate, damus. quo postquam carmine dicto

Excef-

Excessere Deae: flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum, sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos.
Protulit hunc genitrix; taedasque & fragmina poni
Imperat, & positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Coepta quater tenuit. pugnat materque sororque;
Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Saepe metu sceleris pallebant ora futuri:
Saepe suum fervens oculis dabat ira ruborem.
Et modo nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat: modo quem misereri credere posses.
Cumque ferus lacrymas animi siccaverat ardor,
Inveniebantur lacrymae tamen: utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus;
Thestias haud aliter dubiis affectibus errat:
Inque vices ponit, positamque resuscitat iram.
Incipit esse tamen melior germana parente:
Et, consanguineas ut sanguine leniat umbras,
Impietate pia est. nam postquam pestifer ignis
Convaluit: Rogus iste cremet mea viscera, dixit.
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulchrales infelix astitit aras;
Poenarumque Deae triplices furialibus, inquit,
Eumenides sacris vultus advertite vestros.
Ulciscor, facioque nefas. MORS morte pianda est:
In scelus addendum scelus est, in funera funus;
Per coacervatos pereat domus impia luctus.
An felix Oeneus nato victore fruetur?
Thestius orbus erit? melius lugebitis ambo.
Vos modo fraterni manes, animaeque recentes,
Officium sentite meum; magnoque paratas
Accipite inferias, uteri mala pignora nostri.
Heu mihi! quo rapior? fratres, ignoscite matri.
Deficiunt ad coepta manus; meruisse fatemur
Illum, cur pereat: mortis mihi displicet auctor.
Ergo impune feret? vivusque, & victor, & ipso
Successu tumidus, regnum Calydonis habebit?
Vos cinis exiguus, gelidaeque jacebitis umbrae?
Haud equidem patiar: pereat sceleratus, & ille

Spem-

Spemque patris, regnumque trahat, patriaeque ruinam.
Mens ubi materna est? ubi sunt pia vota parentum?
Et, quos sustinui, bis mensium quinque labores?
O utinam primis arsisses ignibus infans,
Idque ego passa forem! Vixisti munere nostro;
Nunc merito moriere tuo. cape praemia facti;
Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
Redde animam; vel me fraternis adde sepulchris.
Et cupio, & nequeo. quid agam? modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi sunt, & tantae caedis imago:
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.
Me miseram! Male vincetis; sed vincite, fratres:
Dummodo quae dedero vobis solatia, vosque
Ipsa sequar. Dixit; dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes, & invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius, atque absens flamma Meleager ab illa
Uritur; & caecis torreri viscera sentit
Ignibus, ac magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat, & sine sanguine letho,
Moeret; & Ancaei felicia vulnera dicit;
Grandaevumque patrem, fratresque, piasque sorores,
Cum gemitu, sociamque tori vocat ore supremo.
Forsitan & matrem. crescunt ignisque, dolorque,
Languescunt iterum. simul est extinctus uterque:
Inque leves abiit paullatim spiritus auras,
Paullatim cana prunam velante favilla.
Alta jacet Calydon: lugent juvenesque, senesque,
Et vulgus proceresque gemunt, scissaeque capillos
Plangunt ora simul matres Calydonides. Oeneus
Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles
Foedat humi fusus: spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas, acto per viscera ferro.
Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset,
Tristia persequerer miserarum vota sororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt:
Dumque manet corpus, corpus refoventque, foventque.
Oscula dant ipsi: posito dant oscula lecto.
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant,
Affu-

Affusaeque jacent tumulo, signataque saxo
Nomina complexae, lacrymas in nomina fundunt.

NAJADES IN INSULAS ECHINADAS.

Interea Theseus sociati parte laboris
Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras Achelous eunti
Imbre tumens, Succede meis, ait, inclyte tectis
Cecropide: nec te committe rapacibus undis.
Ferre trabes solidas, obliquaque volvere magno
Murmure saxa solent. vidi contermina ripae
Cum gregibus stabula alta trahi: nec fortibus illic
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.
Multa quoque hic torrens, nivibus de monte solutis,
Corpora turbineo juvenilia vortice mersit.
Tutior est requies, solito dum flumina currant
Limite; dum tenues captet suus alveus undas.
Annuit Aegides, Utorque, Acheloë, domoque,
Consilioque tuo, respondet: & usus utroque est.
Pumice multicavo, nec laevibus atria tophis
Structa subit: molli tellus erat humida musco,
Summa lacunabant alterno murice conchae.
Jamque duas lucis partes Hyperione menso,
Discubuere toris Theseus, comitesque laborum,
Hac Ixionides, illa Troezenius heros.
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis:
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Arcananûm, laetissimus hospite tanto.
Protinus appositas nudae vestigia nymphae
Instruxere epulis mensas: dapibusque remotis
In gemma posuere merum. Tum maximus heros
Aequora prospiciens oculis subjecta, Quis, inquit,
Ille locus (digitoque ostendit) & insula nomen
Quod gerit illa, doce; quamquam non una videtur.
Amnis ad haec: Non est, inquit, quod cernimus, unum.
Quinque jacent terrae; spatii discrimina fallunt.
Quoque minus spretae factum mirere Dianae,
Najades hae fuerant; quae cum bis quinque juvencos
Mactassent, rurisque Deos ad sacra vocassent,
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui: quantusque feror, cum plurimus, unquam,
Tantus eram: pariterque animis immanis, & undis,
A sylvis sylvas, & ab arvis arva revulsi:

Cum-

Cumque loco nymphas, memores tum denique nostri,
In freta provolvi. fluctus nosterque, marisque
Continuam diduxit humum; pariterque revulsit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.

PHILEMON ET BAUCIS IN ARBORES.

Amnis ab his tacuit. factum mirabile cunctos
Moverat: irridet credentes, utque Deorum
Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus,
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes
Esse Deos, dixit, si dant adimuntque figuras.
Obstupuere omnes, nec talia dicta probarunt:
Ante omnesque Lelex, animo maturus & aevo,
Sic ait: IMMENSA est, finemque potentia caeli
Non habet: & quidquid Superi voluere, peractum est.
Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus
Collibus est Phrygiis, medio circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeia Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undae.
Jupiter huc specie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes:
Mille domos clausere serae: tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis & canna tecta palustri;
Sed pia Baucis anus, parilique aetate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa
Consenuere casa: PAUPERTATEMQUE ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dominos illic, famulosve requiras.
Tota domus duo sunt: iidem parentque jubentque.
Ergo ubi Caelicolae parvos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes:
Membra senex posito jussit relevare sedili,
Quod super injecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit, & ignes
Suscitat hesternos, foliisque & cortice sicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, & minuit, parvoque admovit aheno:
Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis: furca levat ille bicorni
Sor-

Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno:
Servatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt ſermonibus horas:
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
Fagineus, dura clavo ſuſpenſus ab anſa:
Is tepidis impletur aquis, artuſque fovendos
Accipit. in medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſponda pedibuſque salignis:
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant; ſed & haec viliſque vetuſque
Veſtis erat, lecto non indignanda saligno.
Accubuere Dei. menſam ſuccincta tremenſque
Ponit anus; menſae ſed erat pes tertius impar;
Teſta parem fecit: quae poſtquam ſubdita clivum
Suſtulit, aequatam menta exterſere virenti.
Ponitur hic bicolor ſincerae bacca Minervae,
Conditaque in liquida corna autumnalia faece,
Intybaque, & radix, & lactis maſſa coacti,
Ovaque non acri leviter verſata favilla:
Omnia fictilibus. poſt haec caelatus eodem
Siſtitur argento crater, fabricataque fago
Pocula, quae cava ſunt flaventibus illita ceris.
Parva mora eſt: epulaſque foci miſere calentes:
Nec longae rurſus referuntur vina ſenectae:
Dantque locum menſis paullum ſeducta ſecundis.
Hic nux, hic miſta eſt rugoſis carica palmis,
Prunaque, & in patulis redolentia mala caniſtris,
Et de purpureis collectae vitibus uvae.
Candidus in medio favus eſt. SUPER omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea quoties hauſtum cratera repleri
Sponte ſua, per ſeque vident ſuccreſcere vina,
Attoniti novitate pavent; manibuſque ſupinis
Concipiunt Baucisque preces timiduſque Philemon;
Et veniam dapibus, nulliſque paratibus orant.
Unicus anſer erat, minimae cuſtodia villae,
Quem Diis hoſpitibus domini mactare parabant:
Ille celer penna tardos aetate fatigat,
Eluditque diu, tandemque eſt viſus ad ipſos
Confugiſſe Deos. Superi vetuere necari;
Diique ſumus, meritaſque luet vicinia poenas

Impia, dixerunt; vobis immunibus hujus
Esse mali dabitur; modo vestra relinquite tecta,
Ac nostros comitate gradus; & in ardua montis
Ite simul. parent; &, Diis praeeuntibus, ambo
Membra levant baculis; tardique senilibus annis
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexere oculos, & mersa palude
Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum;
Mersa vident, quaeruntque suae pia culmina villae.
Sola loco stabant. dum deflent fata locorum,
Illa vetus dominis & jam casa parva duobus
Vertitur in templum: furcas subiere columnae:
Stramina flavescunt, aurataque tecta videntur,
Caelataeque fores, adopertaque marmore tellus.
Talia cum placido Saturnius edidit ore:
Dicite, juste senex, & femina conjuge justo
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus,
Consilium Superis aperit commune Philemon:
Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus; &, quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem; nec conjugis unquam
Busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa.
Vota fides sequitur. templi tutela fuere,
Donec vita data est. annis, aevoque soluti,
Ante gradus templi cum starent forte, locique
Narrarent casus: frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Jamque super geminos crescente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; Valeque
O conjux, dixere simul; simul abdita texit
Ora frutex. ostendit adhuc Tyaneius illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Haec mihi non vani (nec erat cur fallere vellent)
Narravere senes. equidem pendentia vidi
Serta super ramos; ponensque recentia, dixi,
Cura Deûm Dii sint; & qui coluere, colantur.

PROTEUS.

Desierat; cunctosque & res, & moverat auctor;
Thesea praecipue; quem facta audire volentem
Mira Deûm, nixus cubito Calydonius amnis

Ta-

Talibus alloquitur. Sunt, o fortissime, quorum
Forma semel mota est, & in hoc renovamine mansit.
Sunt, quibus in plures jus est transire figuras:
Ut tibi complexi terram maris incola Proteu.
Nam modo te juvenem, modo te videre leonem;
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras; modo te faciebant cornua taurum:
Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri:
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.

FAMES ERYSICHTHONIS.

Nec minus Autolyci conjux Erysichthone nata
Juris habet. Pater hujus erat, qui numina Divûm
Sperneret, & nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, & lucos ferro temerasse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus; vittae mediam, memoresque tabellae,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Saepe sub hac Dryades festas duxere choreas.
Saepe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circumiere modum; mensuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat; necnon & cetera tantum
Sylva sub hac omnis, quantum fuit herba sub illa.
Nec tamen idcirco ferrum Triopeius illa
Abstinuit; famulosque jubet succidere sacrum
Robur: &, ut jussos cunctari vidit, ab uno
Edidit haec rapta sceleratus verba securi:
Non dilecta Deae solum, sed & ipsa licebit
Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram.
Dixit: & obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Dodonia quercus,
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Coepere, ac longi pallorem ducere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,
Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e cervice profundi.
Obstupuere omnes; aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas, saevamque inhibere bipennem.
Aspicit hunc, Mentisque piae cape praemia, dixit
Thessalus: inque virum convertit ab arbore ferrum,

Detruncatque caput; repetitaque robora caedit.
Editus e medio ſonus eſt cum robore talis:
Nympha ſub hoc ſum, Cereri gratiſſima, ligno,
Quae tibi factorum poenas inſtare tuorum
Vaticinor moriens, noſtri ſolatia lethi.
Perſequitur ſcelus ille ſuum: labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, & multam proſtravit pondere ſylvam.
Attonitae Dryades damno nemorumque ſuoque,
Omnes germanae Cererem cum veſtibus atris
Moerentes adeunt; poenamque Eryſichthonis orant.
Annuit his, capitiſque ſui pulcherrima motu
Concuſſit gravidis oneratos meſſibus agros:
Moliturque genus poenae miſerabile, ſi non
Ille ſuis eſſet nulli miſerabilis actis,
Peſtifera lacerare fame: quae, quatenus ipſi
Non adeunda Deae (neque enim Cereremque Famemque
Fata coire ſinunt) montani numinis unam
Talibus agreſtem compellat Oreada dictis:
Eſt locus extremis Scythiae glacialis in oris,
Triſte ſolum, ſterilis ſine fruge ſine arbore tellus:
Frigus iners illic habitant, Pallorque, Tremorque,
Et jejuna Fames. ea ſe in praecordia condat
Sacrilegi ſcelerata, jube: nec copia rerum
Vincat eam; ſuperetque meas certamine vires.
Neve viae ſpatium te terreat, accipe currus;
Accipe quos fraenis alte moderere dracones:
Et dedit. illa dato ſubvecta per aëra curru
Devenit in Scythiam: rigidique cacumine montis
(Caucaſon appellant) ſerpentum colla levavit;
Quaeſitamque Famem lapidoſo vidit in agro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incurvis exſtabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & a ſpinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies; genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul ut vidit (neque enim eſt accedere juxta
Auſa) refert mandata Deae: paullumque morata,
Quam-

Quamquam aberat longe, quamquam modo venerat illuc,
Visa tamen sensisse Famem, retroque dracones
Egit in Aemoniam, versis sublimis habenis.
Dicta Fames Cereris (quamvis contraria semper
Illius est operi) peragit: perque aëra vento
Ad jussam delata domum est: & protinus intrat
Sacrilegi thalamos: altoque sopore solutum
(Noctis enim tempus) geminis amplectitur ulnis,
Seque viro inspirat, faucesque, & pectus, & ora
Afflat, & in vacuis peragit jejunia venis.
Functaque mandato foecundum deserit orbem:
Inque domos inopes, assuetaque vertitur antra.
Lenis adhuc somnus placidis Erysichthona pennis
Mulcebat: petit ille dapes sub imagine somni,
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat:
Exercetque cibo delusum guttur inani;
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut vero est expulsa quies, furit ardor edendi:
Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora; quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit: & appositis queritur jejunia mensis;
Inque epulis epulas quaerit; quodque urbibus esse,
Quodque satis poterat populo, non sufficit uni:
Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat;
Innumerasque faces cremat; &, quo copia major
Est data, plura cupit; turbaque voracior ipsa est;
Sic epulas omnes Erysichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo
Caussa cibi est; semperque locus fit inanis edendo.
Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuarat opes; sed inattenuata manebat
Tum quoque dira fames; implacataeque vigebat
Flamma gulae. tandem, demisso in viscera censu,
Filia restabat non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. dominum generosa recusat;
„ Et vicina manus tendens super aequora dixit,
„ Eripe me domino, qui cultus honoribus usque
„ Es, Neptune, meis, majoribus atque colendus.
Qui prece non spreta (quamvis modo visa sequenti

Effet hero) formamque novat, vultumque virilem
Induit, & vultus pisces capientibus aptos.
Hanc dominus spectans, O qui pendentia parvo
Aera cibo celas moderator arundinis, inquit,
(Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda
Credulus, & nullus nisi fixus sentiat hamos)
Quae modo cum vili turbatis veste capillis
Litore in hoc steterat (nam stantem in litore vidi)
Dic ubi sit; neque enim vestigia longius exstant.
Illa Dei munus bene cedere sensit: & a se
Se quaeri gaudens, his est resecuta rogantem:
Quisquis es, ignoscas: in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi, studioque oneratus inhaesi.
Quoque minus dubites, sic has Deus aequoris artes
Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto,
(Me tamen excepto) nec femina constitit ulla.
Credidit; & verso dominus pede pressit arenam;
Elususque abiit. illi sua reddita forma est.
Ast ubi habere suam transformia corpora sentit,
Saepe pater dominis Triopeida tradit. at illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat;
Praebebatque avido non justa alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo;
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Coepit, & infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi saepe novandi
Corporis, o juvenes, numero finita potestas.
Nam modo, quod nunc sum, videor; modo flector in anguem;
Armenti modo dux vires in cornua sumo,
Cornua dum sumsi: nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipse vides. Gemitus sunt verba secuti.

EX LIBRO IX.

ACHELOI CUM HERCULE LUCTA.

Quae gemitus truncaeque Deo Neptunius heros
Caussa rogat frontis: cum sic Calydonius amnis
Coepit, inornatos redimitus arundine crines.
Triste petis munus: quis enim sua praelia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine. nec tam
Tur-

Turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum eſt;
Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.
Nomine ſi qua ſuo tandem pervenit ad aures
Dejanira tuas, quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum.
Cum quibus ut soceri domus eſt intrata petiti,
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate.
Dixit & Alcides: alii ceſſere duobus.
Ille Jovem ſocerum dare ſe, famamque laborum,
Et ſuperata ſuae referebat juſſa novercae.
Contra ego, Turpe Deum mortali cedere, dixi:
(Nondum erat ille Deus) dominum me cernis aquarum
Curſibus obliquis inter tua regna fluentem.
Nec gener externis hoſpes tibi miſſus ab oris,
Sed popularis ero, & rerum pars una tuarum.
Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit: & omnis abeſt juſſorum poena laborum.
Nam quod te jactas Alcmena matre creatum:
Jupiter aut falſus pater eſt, aut crimine verus.
Talia dicentem jamdudum lumine torvo
Spectat: & accenſae non fortiter imperat irae;
Verbaque tot reddit: Melior mihi dextera lingua eſt;
Dummodo pugnando ſuperem, tu vince loquendo.
Congrediturque ferox. puduit modo magna locutum
Cedere. rejeci viridem de corpore veſtem:
Brachiaque oppoſui: tenuique e pectore varas
In ſtatione manus: & pugnae membra paravi.
Ille cavis hauſto ſparſit me pulvere palmis:
Inque vicem fulvae tactu flaveſcit arenae.
Et modo cervicem, modo crura micantia captat,
Aut captare putes, omnique a parte laceſſit.
Me mea defendit gravitas: fruſtraque petebar.
Haud ſecus ac moles, magno quam murmure fluctus
Oppugnant: manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.
Digredimur paullum: rurſuſque ad bella coimus.
Inque gradu ſtetimus, certi non cedere: eratque
Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.
Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnae toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur conjux: ſpectant armenta, paventque,
Neſcia quem maneat tanti victoria regni.

Ter fine profectu voluit nitentia contra
Rejicere Alcides a se mea pectora: quarto
Excutit amplexus, adductaque brachia solvit:
Impulsumque manu (certum est mihi vera fateri)
Protinus avertit: tergoque onerosus inhaesit.
Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce
Quaeritur) imposito pressus mihi monte videbar.
Vix tamen inserui sudore fluentia multo
Brachia; vix solvi duros a corpore nexus.
Instat anhelanti, prohibetque resumere vires;
Et cervice mea potitur. tum denique tellus
Pressa genu nostro est; & arenas ore momordi.
Inferior virtute meas divertor ad artes;
Elaborque viro, longum formatus in anguem.
Qui postquam flexos sinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam stridore bisulcam,
Risit, & illudens nostras Tirynthius artes,
Cunarum labor est angues superare mearum,
Dixit, & ut vincas alios, Acheloë, dracones,
Pars quota Lernaeae serpens eris unus Echidnae?
Vulneribus foecunda suis erat illa: nec ullum
De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix herede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis e caede colubris,
Crescentemque malo domui, domitamque reduxi.
Quid fore te credis, falsum qui versus in anguem
Arma aliena moves? quem forma precaria celat?
Dixerat, & summo digitorum vincula collo
Injicit. angebar ceu guttura forcipe pressus:
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto restabat tertia tauri
Forma trucis, tauro mutatus membra, rebello.
Induit ille toris a laeva parte lacertos:
Admissumque trahens sequitur; depressaque dura
Cornua figit humo, meque alta sternit arena.
Nec satis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit; truncaque a fronte revellit.
Najades hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.
Dixerat, & nymphe ritu succincta Dianae
Una ministrarum fusis utrinque capillis
Incessit; totumque tulit praedivite cornu

Au-

Autumnum, & mensas felicia poma secundas.
Lux subit: & primo feriente cacumina sole
Discedunt juvenes. neque enim, dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapsus, totaeque residant,
Opperiuntur, aquae. vultus Achelous agrestes,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris:
Cetera sospes habet: capitis quoque fronde saligna,
Aut super imposita celatur arundine damnum.

EX LIBRO X.

ORPHEUS ET EURYDICE.

„ Forte per immensum croceo velatus amictu
Aethera digreditur, Ciconumque Hymenaeus ad oras
Tendit, & Orpheja nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem: sed nec solemnia verba,
Nec laetos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes.
Exitus auspicio gravior. nam nupta per herbas
Dum nova Naiadum turba comitata vagatur,
Occidit, in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras
Deflevit vates: ne non tentaret & umbras,
Ad Styga Taenaria est ausus descendere porta.
Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro
Persephonen adiit, inamoenaque regna tenentem
Umbrarum dominum: pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: O positi sub terra numina mundi,
In quem decidimus, quicquid mortale creamur:
Si licet, &, falsi positis ambagibus oris,
Vera loqui sinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, descendi; nec uti villosa colubris
Terna Medusaei vincirem guttura monstri:
Caussa via est conjux, in quam calcata venenum
Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui: nec me tentasse negabo.
Vicit amor. Supera Deus hic bene notus in ora est:
An sit & hic, dubito; sed & hic tamen auguror esse:

Fa-

Famaque si veteris non est mentita rapinae,
Vos quoque junxit amor. per ego haec loca plena timoris,
Per chaos hoc ingens, vastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.
Omnia debentur vobis: paullumque morati,
SERIUS aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes: haec est domus ultima; vosque
Humani generis longissima regna tenetis.
Haec quoque cum justos matura peregerit annos,
Juris erit vestri: pro munere poscimus usum.
Quod si fata negant veniam pro conjuge; certum est
Nolle redire mihi: letho gaudete duorum.
 Talia dicentem, nervosque ad verba moventem
Exsangues flebant animae: nec Tantalus undam
Captavit refugam: stupuitque Ixionis orbis:
Nec carpsere jecur volucres: urnisque vacarunt
Belides: inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tum primum lacrymis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas; nec regia conjux
Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare:
Eurydicemque vocant. umbras erat illa recentes
Inter, & incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul, & legem Rhodopeius accipit Orpheus:
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exierit valles: aut irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta silentia trames
Arduus, obscurus, caligine densus opaca.
Nec procul abfuerant telluris margine summae:
Hic, ne deficeret, metuens; avidusque videndi
Flexit amans oculos; & protinus illa relapsa est.
Brachiaque intendens, prendique, & prendere certans,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens, non est de conjuge quicquam
Questa suo; quid enim nisi se quereretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit: revocataque rursus eodem est.
„ Infelix stupuit gemina nece conjugis Orpheus;
Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arguerat: septem tamen ille diebus
Squallidus in ripa, Cereris sine munere, sedit.
Cura, dolorque animi, lacrymaeque alimenta fuere.
Esse Deos Erebi crudeles questus, in altam

Se recipit Rhodopen, pulſumque Aquilonibus Aemum.
Collis erat, collemque ſuper planiſſima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbae.
Umbra loco deerat: qua poſtquam parte reſedit
Diis genitus vates, & fila ſonantia movit,
Umbra loco venit. non Chaonis abfuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus aeſculus altis,
Nec tiliae molles, nec fagus, & innuba laurus,
Et coryli fragiles, & fraxinus utilis haſtis,
Enodiſque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar,
Amnicolaeque ſimul ſalices, & aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus, tenueſque myricae,
Et bicolor myrtus, & baccis caerula ficus.
Vos quoque flexipedes hederae veniſtis, & una
Pampineae vites, & amictae vitibus ulmi,
Ornique, & piceae, pomoque onerata rubenti
Arbutus, & lentae victoris praemia palmae,
Et ſuccincta comas hirſutaque vertice pinus
Grata Deûm matri: ſiquidem Cybeleius Attys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

CYPARISSUS IN CUPRESSUM.

Adfuit huic turbae metas imitata cupreſſus:
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcum.
Namque ſacer nymphis Carthaea tenentibus arva
Ingens cervus erat: lateque patentibus altas
Ipſe ſuo capiti praebebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro, demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla ſuper frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur: parilique aetate nitebant
Auribus e geminis circum cava tempora baccae.
Iſque metu vacuus, naturalique pavore
Depoſito celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus praebere ſolebat.
Sed tamen ante alios Caeae pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cypariſſe, tibi: tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas:
Tu modo texebas varios per cornua flores:
Nunc eques in tergo reſidens huc laetus & illuc
Mollia purpureis fraenabas ora capiſtris.

Aeſtus

Aeſtus erat, mediuſque dies, ſoliſque vapore
Concava litorei fervebant brachia Cancri.
Feſſus in herboſa poſuit ſua corpora terra
Cervus, & arborea frigus ducebat ab umbra.
Hunc puer imprudens jaculo Cypariſſus acuto
Fixit: &, ut ſaevo morientem vulnere vidit,
Velle mori ſtatuit. quae non ſolatia Phoebus
Dixit? &, ut leviter, pro materiaque doleret,
Admonuit. gemit ille tamen: munuſque ſupremum
Hoc petit a Superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque per immenſos egeſto ſanguine fletus,
In viridem verti coeperunt membra colorem,
Et modo qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida caeſaries fieri, ſumtoque rigore
Sidereum gracili ſpectare cacumine caelum.
Ingemuit; triſtiſque Deus, Lugebere nobis,
Lugebiſque alios, aderiſque dolentibus, inquit.

JUPITER IN AQUILAM.

Tale nemus vates attraxerat: inque ferarum
Concilio medius, turba volucrumque ſedebat.
Ut ſatis impulſas tentavit pollice chordas,
Et ſenſit varios, quamvis diverſa ſonarent,
Concordare modos, hoc vocem carmine movit:
Ab Jove Muſa parens (cedunt Jovis omnia regno)
Carmina noſtra move: Jovis eſt mihi ſaepe poteſtas
Dicta: prius cecini plectro graviore Gigantes,
Sparſaque Phlegraeis victricia fulmina campis:
Nunc opus eſt leviore lyra; pueroſque canamus
Dilectos Superis, Superûmque in tecta receptos.
Rex Superûm Phrygii quondam Ganymedis amore
Arſit: & inventum eſt aliquid quod Jupiter eſſe,
Quam quod erat, mallet. nulla tamen alite verti
Dignatur, niſi quae portat ſua fulmina terrae.
Nec mora: percuſſo mendacibus aëre pennis
Arripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miſcet,
Invitaque Jovi nectar Junone miniſtrat.

HYACINTHUS IN FLOREM.

Te quoque, Amyclide, poſuiſſet in aethere Phoebus,
Triſtia ſi ſpatium ponendi fata dediſſent.
Qua licet, aeternus tamen es: quotieſque repellit
Ver hyemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo,
Tu toties oreris, viridique in ceſpite flores.

Te

Te meus ante omnes genitor dilexit: & orbe
In medio positi caruerunt praeside Delphi:
Dum Deus Eurotan, immunitamque frequentat
Sparten; nec citharae, nec sunt in honore sagittae:
Immemor ipse sui non retia ferre recusat,
Non tenuisse canes, non per juga montis iniqui
Ire comes: longaque alit assuetudine flammas.
Jamque fere medius Titan venientis & actae
Noctis erat, spatioque pari distabat utrinque:
Corpora veste levant, & succo pinguis olivae
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aërias libratum Phoebus in auras
Misit, & oppositas disjecit pondere nubes.
Decidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, & exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine lusus
Tollere Taenarides orbem properabat: at illum
Dura repercusso subjecit in aëre tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos. expalluit aeque,
Quam puer, ipse Deus, collapsosque excipit artus:
Et modo te refovet: modo tristia vulnera siccat:
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.
Nil prosunt artes: erat immedicabile vulnus.
Ut si quis violas, riguoque papavera in horto,
Liliaque infringat, fulvis haerentia virgis:
Marcida demittant subito caput illa gravatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet, & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.
Laberis Oebalide prima fraudate juventa,
Phoebus ait, videoque tuum, mea crimina, vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum: mea dextera letho
Inscribenda tuo est; ego sum tibi funeris auctor.
Quae mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari
Culpa potest; nisi culpa potest & amasse vocari:
Atque utinam pro te vitam, tecumque liceret
Reddere! quod quoniam fatali lege vetamur,
Semper eris mecum, memorique haerebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt:
Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus & illud erit, quo se fortissimus heros
Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.

Talia

Talia dum vero memorantur Apollinis ore;
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia, si non
Purpureus color huic, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phoebo est (is enim fuit auctor honoris)
Ipse suos gemitus foliis inscribit, & ai ai
Flos habet inscriptum: funestaque littera ducta est.
Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon: honorque
Durat in hoc aevi, celebrandaque more priorum
Annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.

EX LIBRO XI.

MIDAS.

„ Silenum quondam titubantem annisque meroque
Ruricolae cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem duxere Midan, cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium, comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies, & cunctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus; Lydos cum laetus in agros
Rex venit, & juveni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optanti gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male usurus donis, ait: Effice, quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera solvit
Liber: & indoluit, quod non meliora petisset.
Laetus abit: gaudetque malo Berecynthius heros,
Pollicitique fidem tangendo singula tentat.
Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam; virga aurea facta est:
Tollit humo saxum; saxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam; contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas;
Aurea messis erat. demtum tenet arbore pomum;
Hesperidas donasse putes. si postibus altis

Ad-

Admovit digitos, postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere possit.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia. gaudenti mensas posuere ministri
Exstructas dapibus, nec tostae frugis egentes.
Tum vero, sive ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat;
Lamina fulva dapes, admoto dente, nitebant.
Miscuerat puris auctorem muneris undis;
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque, miserque,
Effugere optat opes; &, quae modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: sitis arida guttur
Urit, & inviso meritus torquetur ab auro.
Ad caelumque manus, & splendida brachia tollens,
Da veniam, Lenaee pater, peccavimus, inquit;
Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno.
Mite Deûm numen. Bacchus peccasse fatentem
Restituit, factique fide data munera solvit.
Neve male optato maneat circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem;
Perque jugum ripae labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus.
Spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen:
Rex jussae succedit aquae; vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venae
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.
Ille perosus opes, sylvas & rura colebat,
Panaque montanis habitantem semper in antris.
Pingue sed ingenium mansit: nocituraque, ut ante,
Rursus erant domino stolidae praecordia mentis.
Nam freta prospiciens late riget arduus alto
Tmolus in ascensu: clivoque extensus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina nymphis;
Et leve cerata modulatur arundine carmen;
Ausus Apollineos prae se contemnere cantus,
Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.

Monte suo senior judex consedit; & aures
Liberat arboribus: quercu coma caerula tantum
Cingitur; & pendent circum cava tempora glandes.
Isque Deum pecoris spectans: In judice, dixit,
Nulla mora est. calamis agrestibus insonat ille,
Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine delinit. post hunc sacer ora retorsit
Tmolus ad os Phoebi: vultum sua sylva secuta est.
Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla:
Distinctamque lyram gemmis, & dentibus Indis
Sustinet a laeva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status iste fuit. tum stamina docto
Pollice sollicitat: quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharae submittere cannas.
Judicium, sanctique placet sententia montis
Omnibus: arguitur tamen, atque injusta vocatur
Unius sermone Midae: nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet:
Instabilesque illas facit; & dat posse moveri.
Cetera sunt hominis; partem damnatur in unam,
Induiturque aures lente gradientis aselli.
Ille quidem celare cupit; turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus: qui cum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras;
Nec posset reticere tamen; secedit; humumque
Effodit; & domini quales conspexerit aures,
Voce refert parva; terraeque immurmurat haustae;
Indiciumque suae vocis tellure regesta
Obruit; & scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Coepit, &, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.

CEYX ET HALCYONE IN HALCEDONES.

„ Prodigiis quondam turbatus pectora Ceyx,

Con-

Consulat ut sacras hominum oblectamina fortes,
Ad Clarium parat ire Deum. nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui fidissima certam
Te facit, Halcyone; cui protinus intima frigus
Ossa re eperunt, buxoque simillimus ora
Pallor obit, lacrymisque genae maduere profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit;
Singultuque pias interrumpente querelas,
Quae mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
Vertit? ubi est, quae cura mei prior esse solebat?
Jam potes Halcyone securus abesse relicta?
Jam via longa placet? jam sum tibi carior absens?
At, puto, per terras iter est? tantumque dolebo,
Non etiam metuam? curaeque timore carebunt?
Aequora me terrent, & ponti tristis imago:
Et laceras nuper tabulas in litore vidi;
Et saepe in tumulis sine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quod socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos, &, cum velit, aequora placet.
Cum semel emissi tenuerunt aequora venti,
Nil illis vetitum est: incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum est: caeli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos novi (nam novi, & saepe paterna
Parva domo vidi) magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti precibus sententia nullis,
Care potest conjux, nimiumque es certus eundi,
Me quoque tolle simul. certe jactabimur una:
Nec, nisi quae patiar, metuam: pariterque feremus
Quidquid erit: pariter super aequora lata feremur.
Talibus Aeolidis dictis, lacrymisque movetur
Sydereus conjux: neque enim minor ignis in ipso est.
Sed neque propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli:
Multaque respondet timidum solantia pectus:
Non tamen idcirco caussam probat; addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem.
Longa quidem est nobis omnis mora: sed tibi juro
Per patrios ignes (si me modo fata remittant)
Ante reversurum, quam luna bis impleat orbem.

His ubi promissis spes est admota recursus,
Protinus eductam navalibus aequore tingi,
Aptarique suis pinum jubet armamentis.
Qua rursus visa, veluti praesaga futuri,
Horruit Halcyone: lacrymasque emisit obortas:
Amplexusque dedit: tristique miserrima tandem
Ore Vale, dixit, collapsaque corpore toto est.
At juvenes, quaerente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
Aequalique ictu scindunt freta. sustulit illa
Humentes oculos; stantemque in puppe recurva,
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt; redditque notas. ubi terra recessit
Longius; atque oculi nequeunt cognoscere vultus;
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum:
Haec quoque ut haud poterat spatio submota videri,
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
Ut nec vela videt; vacuum petit anxia lectum.
Portubus exierant: & moverat aura rudentes:
Obvertit lateri pendentes navita remos;
Cornuaque in summa locat arbore; totaque malo
Carbasa deducit; venientesque excipit auras.
Aut minus, aut certe medium non amplius aequor
Puppe secabatur, longeque erat utraque tellus:
Cum mare sub noctem tumidis albescere coepit
Fluctibus; & praeceps spirare valentius Eurus.
Ardua jamdudum demittite cornua, rector
Clamat; & antennis totum subnectite velum.
Hic jubet: impediunt adversae jussa procellae:
Nec sinit audiri vocem fragor aequoris ullam.
Sponte tamen properant, alii subducere remos,
Pars munire latus, pars ventis vela negare:
Egerit hic fluctus, aequorque refundit in aequor:
Hic rapit antennas, quae dum sine lege geruntur,
Aspera crescit hyems; omnique a parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet, nec se, quis sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector: nec quid jubeatve, velitve.
Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda, tonitribus aether:
Fluctibus erigitur, caelumque aequare videtur
Pon-

Pontus; & inductas aspergine tangere nubes:
Et modo, cum fulvas ex imo vertit arenas,
Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda:
Sternitur interdum, spumisque sonantibus albet.
Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis;
Et nunc sublimis veluti de vertice montis
Despicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demissam curvum circumstetit aequor,
Suspicere inferno summum de gurgite caelum.
Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem,
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries ballistave concutit arces.
Utque solent, sumtis incursu viribus, ire
Pectore in arma feri protentaque tela leones:
Sic ubi se ventis commiserat unda coortis,
Ibat in arma ratis: multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei; spoliataque tegmine cerae
Rima patet, praebetque viam lethalibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres:
Inque fretum credas totum descendere caelum:
Inque plagas caeli tumefactum scandere pontum.
Vela madent nimbis: & cum caelestibus undis
Aequoreae miscentur aquae: caret ignibus aether:
Caecaque nox premitur tenebris hyemisque suisque.
Discutiunt tamen has, praebentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis ardescunt ignibus undae.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinae
Fluctus. Et ut miles numero praestantior omni
Cum saepe assiliit defensae moenibus urbis,
Spe potitur tandem: laudisque accensus amore
Inter mille viros murum tamen occupat unus:
Sic ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus,
Vastius insurgens decimae ruit impetus undae:
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captae descendat moenia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum:
Pars maris intus erat. trepidant haud segnius omnes,
Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars; animique cadunt; totidemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrymas: stupet hic; vocat ille beatos,

Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
Brachiaque ad caelum, quod non videt, irrita tollens
Poscit opem: subeunt illi fraterque, parensque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet; Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est; & cum desideret unam,
Gaudet abesse tamen; patriae quoque vellet ad oras
Respicere, inque domum supremos vertere vultus.
Verum ubi sit nescit: tanta vertigine pontus
Fervet; & inducta piceis e nubibus umbra
Omne latet caelum; duplicataque noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor;
Frangitur & regimen; spoliisque animosa superbit
Unda, velut victrix; sinuataque despicit undas.
Nec levius, quam si quis Athon Pindumque revulsos
Sede sua totos in apertum verteret aequor,
Praecipitata cadit; pariterque & pondere, & ictu
Mergit in ima ratem; cum qua pars magna virorum
Gurgite pressa gravi, neque in aëra reddita, fato
Functa suo est. alii partes, & membra carinae
Trunca tenent. tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina navigii Ceyx; socerumque, patremque
Invocat, heu! frustra. Sed plurima nantis in ore
Halcyone est conjux; illam meminitque, refertque;
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,
Optat; & exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Halcyonen; ipsisque immurmurat undis.
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur, & rupta mersum caput obruit unda.
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,
Illa nocte fuit; quoniamque excedere caelo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.
Aeolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes; & jam, quas induat ille,
Festinat vestes; jam quas, ubi venerit ille,
Ipsa gerat; reditusque sibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis pia thura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat;
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras;
Utque foret sospes conjux suus, utque rediret
Optabat; nullamque sibi praeferret: at illi

Hoc

Hoc de tot votis poterat contingere solum.
At Dea non ultra pro functo morte rogari
Sustinet; utque manus funestas arceat aris;
Iri meae, dixit, fidissima nuntia vocis,
Vise soporiferam Somni velociter aulam:
Extinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonem, veros imitantia casus.
Dixerat; induitur velamine mille colorum
Iris; & arcuato caelum curvamine signans
Tecta petit jussi sub nube latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni;
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phoebus adire potest: nebulae caligine mistae
Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat auroram; nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser:
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanaeve sonum reddunt convicia linguae.
Tuta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquae Lethes; per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri foecunda papavera florent,
Innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Janua, ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est; custos in limine nullus.
At medio torus est hebeno sublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus;
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Sylva gerit frondes, ejectat litus arenas.
Quo simul intravit, manibusque obstantia virgo
Somnia dimovit; vestis fulgore reluxit
Sacra domus: tardaque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excussit tandem sibi se, cubitoque levatus,
Quid veniat (cognovit enim) scitatur. at illa:

Somne quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori:
Somnia, quae veras aequant imitamine formas,
Herculeam Trachina jube, ſub imagine regis,
Halcyonen adeant; ſimulacraque naufraga fingant.
Imperat hoc Juno. Poſtquam mandata peregit,
Iris abit; neque enim ulterius tolerare ſoporis
Vim poterat: labique ut ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat, per quos modo venerat, arcus.
At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figurae
Morphea. non illo juſſos ſolertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque, ſonumque loquendi.
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima cuique
Verba: ſed hic ſolos homines imitatur. at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens;
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. eſt etiam diverſae tertius artis
Phantaſos: ille in humum, ſaxumque, undamque, trabemque,
Quaeque vacant anima, fallaciter omnia tranſit.
Regibus hi, ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemque pererrant.
Praeterit hos ſenior: cunctiſque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit: & rurſus molli languore ſolutus,
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.
Ille volat, nullos ſtrepitus facientibus alis,
Per tenebras; intraque morae breve tempus in urbem
Pervenit Aemoniam: poſitiſque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit, ſumtaque figura
Luridus, exanimi ſimilis, ſine veſtibus ullis,
Conjugis ante torum miſerae ſtetit. Uda videtur
Barba viri, madidiſque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu ſuper ora profuſo,
Haec ait: Agnoſcis Ceyca miſerrima conjux?
An mea mutata eſt facies nece? reſpice: noſces,
Invenieſque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt.
Occidimus; falſo tibi me promittere noli.

Nu-

Nubilus Aegaeo deprendit in aequore navem
Auster, & ingenti jactatam flamine solvit:
Oraque nostra tuum frustra clamantia nomen
Implerunt fluctus. non haec tibi nuntiat auctor
Ambiguus, non ista vagis rumoribus audis;
Ipse ego fata tibi praesens mea naufragus edo.
Surge age: da lacrymas, lugubriaque indue: nec me
Indeploratum sub inania tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet esse sui. Fletus quoque fundere veros
Visus erat: gestumque manus Ceycis habebat.
Ingemit Halcyone: lacrymas movet, atque lacertos
Per somnum; corpusque petens amplectitur auras:
Exclamatque, Mane, quo te rapis? ibimus una.
Voce sua, specieque viri turbata, soporem
Excutit; & primo si sit circumspicit illic,
Qui modo visus erat (nam moti voce ministri
Intulerant lumen). Postquam non invenit usquam,
Percutit ora manu: laniatque a pectore vestes,
Pectoraque ipsa ferit, nec crines solvere curans
Scindit: & altrici, quae luctus caussa, roganti,
Nulla est Halcyone, nulla est, ait: occidit una
Cum Ceyce suo: solantia tollite verba.
Naufragus interiit. vidi, agnovique: manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fuit: sed, & umbra tamen manifesta, virique
Vera mei. non ille quidem, si quaeris, habebat
Assuetos vultus, nec, quo prius, ore nitebat.
Pallentem, nudumque, & adhuc humente capillo
Infelix vidi: stetit hoc miserabilis ipso
(Ecce) loco (& quaerit vestigia si qua supersint).
Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam;
Et, ne me fugiens ventos sequerere, rogabam:
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxisses. Fuit ah! fuit utile tecum
Ire mihi. neque enim vitae de tempore quidquam
Non simul egissem, nec mors discreta fuisset.
Nunc absens perii: jactor quoque fluctibus absens:
Et sine me te pontus habet. crudelior ipso
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar
Longius, & tanto pugnem superesse dolori.

Sed neque pugnabo: nec te, miserande, relinquam:
Et tibi nunc saltem veniam comes: inque sepulcro
Si non urna, tamen junget nos littera: si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet: verboque intervenit omni
Plangor, & attonito gemitus a corde trahuntur.
Mane erat: egreditur tectis ad litus, & illum
Moesta locum repetit, de quo spectarat euntem:
Dumque moratur ibi, dumque hinc retinacula solvit,
Hoc mihi discedens dedit oscula litore, dixit;
Dumque notata oculis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit, in liquida, spatio distante, tuetur
Nescio quid quasi corpus, aqua; primoque quid illud
Esset, erat dubium; postquam paullum appulit unda,
Et quamvis aberat, corpus tamen esse liquebat.
Quis foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est,
Et tanquam ignoto lacrymas daret: Heu miser! inquit,
Quisquis es, & si qua est conjux tibi. Fluctibus actum
Fit propius corpus: quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus, & minus est mentis. jam jamque propinquat;
Admotum terrae, jam quod cognoscere posset,
Cernit: erat conjux. Ille est, exclamat; & una
Ora, comas, vestem lacerat: tendensque trementes
Ad Ceyca manus, Sic, o carissime conjux,
Sic ad me miserande redis? ait. adjacet undis
Facta manu moles, quae primas aequoris undas
Frangit, & incursus quae praedelassat aquarum.
Insilit huc, mirumque fuit potuisse; volabat:
Percutiensque levem modo natis aëra pennis,
Stringebat summas ales miserabilis undas.
Dumque volat, moesto similem, plenumque querelae
Ora dedere sonum tenui crepitantia rostro.
Ut vero tetigit mutum, & sine sanguine corpus,
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida necquicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undae
Tollere sit visus, populus dubitabat. at ille
Senserat, & tandem Superis miserantibus, ambo
„ Alite mutantur, simul & volitare videntur.
Perque dies placidos hyberno tempore septem
Incubat Halcyone pendentibus aequore nidis.

Tum

Tum via tuta maris: ventos custodit, & arcet
Aeolus egressu, praestatque nepotibus aequor.

EX LIBRO XII.

SERPENS IN SAXUM.

„ TRiste Paris quondam rapta cum conjuge bellum
Attulit in patriam, conjurataeque sequuntur
Mille rates, gentisque simul commune Pelasgae.
Nec dilata foret vindicta, nisi aequora saevi
Invia fecissent venti, Boeotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.
Hic patrio de more Jovi cum sacra parassent;
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere caeruleum Danai videre draconem
In platanum, coeptis quae stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa,
Quas simul, & matrem circum sua damna volantem
Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo.
Obstupuere omnes. at veri providus augur
Thestorides, Vincemus, ait, gaudete Pelasgi.
Troja cadet: sed erit nostri mora longa laboris,
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & servat serpentis imagine saxum.
Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert: & sunt, qui parcere Trojae
Neptunum credant, quia moenia fecerat urbis.
At non Thestorides: neque enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse Deae. Postquam pietatem publica caussa,
Rexque patrem vicit; castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris;
Victa Dea est: nubemque oculis objecit, & inter
Officium turbamque sacri, vocesque precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.
Ergo ubi, qua decuit, lenita est caede Diana;
Et pariter Phoebes, pariter maris ira recessit:
Accipiunt ventos a tergo mille carinae,
Multaque perpessae Phrygia potiuntur arena.

Or-

Orbe locus medio est, inter terrasque, fretumque,
Caelestesque plagas, triplicis confinia mundi;
Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures:
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce,
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis,
Nocte, dieque patet: tota est ex aere sonanti:
Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque silentia parte.
Nec tamen est clamor; sed parvae murmura vocis:
Qualia de pelagi (si quis procul audiat) undis
Esse solent; qualemve sonum, cum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet: veniunt leve vulgus euntque;
Mistaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum; confusaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio: mensuraque ficti
Crescit: & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Laetitia est, consternatique Timores,
Seditioque recens, dubioque auctore Susurri.
Ipsa quid in caelo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure, videt; totumque inquirit in orbem.

CYGNI ET ACHILLIS CERTAMEN.

Fecerat haec notum, Grajas cum milite forti
Adventare rates: neque inexspectatus in armis
Hostis adest, prohibentque aditus, litusque tuentur
Troës, & Hectorea primus fataliter hasta
Protesilaë cadis, commissaque praelia magno
Stant Danais: fortesque animae, nec cognitus Hector,
Nec Phryges exiguo, quid Achaica dextera possit,
Sanguine senserunt. & jam Sigaea rubebant
Litora: jam letho proles Neptunia Cygnus
Mille viros dederat: jam curru instabat Achilles,
Totaque Peliacae sternebat cuspidis ictu
Agmina, perque acies aut Cygnum, aut Hectora quaerens,
Congreditur Cygno. decimum dilatus in annum
Hector erat. tum colla jugo canentia pressos
Exhortatus equos, currum direxit in hostem;
Concutiensque suis vibrantia tela lacertis,

Quisquis es, o juvenis, dixit, folamen habeto
Mortis, ab Aemonio quod fis jugulatus Achille.
Hactenus Aeacides. vocem gravis hasta fecuta est;
Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta,
Nil tamen emissi profecit acumine ferri;
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu,
Nate Dea (nam te fama praenovimus) inquit
Ille, quid a nobis vulnus miraris abesse?
(Mirabatur enim) non haec, quam cernis equinis
Fulva jubis cassis, nec onus cava parma finistrae
Auxilio mihi sunt: decor est quaesitus ab istis.
Mars quoque ab hoc capere arma solet. removebitur omne
Tegminis officium; tamen indistrictus abibo.
Est aliquid, non esse satum Nereide, sed qui
Nereaque, & natas, & totum temperat aequor.
Dixit, & haesurum clypei curvamine telum
Misit in Aeaciden, quod & aes, & proxima rupit
Terga novena boum: decimo tamen orbe moratum est.
Excutit hoc heros, rursusque trementia forti
Tela manu torsit: rursus sine vulnere corpus,
Sincerumque fuit. nec tertia cuspis apertum,
Et se praebentem valuit distringere Cygnum.
Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu
Phoeniceas vestes, elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum considerat hastae.
Haerebat ligno. Manus est mea debilis ergo,
Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno?
Nam certe valuit, vel cum Lyrnessia primum
Moenia dejeci; vel cum Tenedonque, suoque
Eetioneas implevi sanguine Thebas;
Vel cum purpureus populari caede Caycus
Fluxit, opusque meae bis sensit Telephus hastae.
Hic quoque tot caesis, quorum per litus acervos
Et feci, & video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit, & ante actis veluti male crederet, hastam
Misit in adversum Lycia de plebe Menoeten;
Loricamque simul, subjectaque pectora rupit.
Quo plangente gravem moribundo pectore terram,
Exstrahit illud idem calido de vulnere telum:
Atque ait: Haec manus est, haec, qua modo vicimus, hasta:

Utar in hoc iisdem: sit in hoc, precor, exitus idem.
Si fatur, Cygnumque petit: nec fraxinus errat:
Inque humero sonuit non evitata sinistro.
Inde velut muro, solidaque a caute repulsa est.
Qua tamen ictus erat, signatum sanguine Cygnum
Viderat, & frustra fuerat gavisus Achilles.
Vulnus erat nullum: sanguis fuit ille Menoetae.
Tum vero praeceps curru fremebundus ab alto
Desilit, & nitido securum cominus hostem
Ense petens, parmam gladio, galeamque cavari
Cernit, & in duro laedi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius: gladioque adversa reducto
Ter quater ora viri capulo & cava tempora pulsat,
Cedentemque sequens instat, turbatque, ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum,
Ante oculosque natant tenebrae, retroque ferenti
Aversos passus, medio lapis obstitit arvo.
Quem super impulsum resupino corpore Cygnum
Vi multa vertit, terraeque affixit Achilles.
Tum clypeo, genibusque premens praecordia duris
Vincla trahit galeae, quae presso subdita mento
Elidunt fauces: & respiramen, iterque
Eripiunt animae. victum spoliare parabat:
Arma relicta videt: corpus Deus aequoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat.

MORS ACHILLIS.

At Deus, aequoreas qui cuspide temperat undas,
In volucrem corpus nati Cygneida versum
Mente dolet patria: saevumque perosus Achillem
Exercet memores, plusquam civiliter, iras.
Jamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonsum compellat Sminthea dictis:
O mihi de fratris longe carissime natis,
Irrita qui mecum posuisti moenia Trojae;
Ecquid, ubi Asiacas casuras aspicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia caesa doles? ecquid (ne persequar omnes)
Hectoris umbra subit circum sua Pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloque cruentior ipso
Vivit adhuc, operis nostri populator Achilles.
Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiat. at quoniam concurrere cominus hosti

Non datur, occulta nec opinum perde sagitta.
Annuit, atque animo pariter patruique, suoque
Delius indulgens, nebula velatus, in agmen
Pervenit Iliacum; mediaque in caede virorum
Rara per ignotos spargentem cernit Achivos
Tela Parin: fassusque Deum, Quid spicula perdis
Sanguine plebis, ait? si qua est tibi cura tuorum,
Vertere in Aeaciden, caesosque ulciscere fratres.
Dixit, & ostendens sternentem Troica ferro
Corpora Peliden, arcumque obvertit in illum,
Certaque lethifera direxit spicula dextra.
Quo Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,
Victus es a timido Grajae raptore maritae.
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.
Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Aeacides, caput insuperabile bello
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam:
At vivit totum quae gloria compleat orbem.
Haec illi mensura viro respondet: & haec est
Par tibi Pelide: nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut cujus fuerit cognoscere possis,
Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileus Ajax,
Non minor Atrides, non bello major, & aevo
Poscere, non alii: soli Telamone creato,
Laërteque fuit tantae fiducia laudis.
A se Tantalides onus, invidiamque removit;
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, & arbitrium litis trajecit in omnes.

E X L I B R O XIII.

CONTENTIO INTER AJACEM ET ULYSSEM.

CONsedere duces, & vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax:
Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
Litora prospexit classemque in litore vultu:

Intendensque manus, Agimus, pro Jupiter! inquit,
Ante rates caussam: & mecum confertur Ulysses?
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi.
Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu. sed nec mihi dicere promtum,
Nec facere est isti: quantumque ego Marte feroci,
Inque acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Esse reor (vidistis enim): sua narret Ulysses,
Quae sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
Praemia magna peti fateor: sed demit honorem
Aemulus Ajaci. Non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulysses.
Ipse tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Qui, cum victus erit, mecum certasse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Moenia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Litoraque intravit Pagasaea Colcha carina.
Aeacus huic pater est: qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Aeoliden saxum grave Sisyphon urget.
Aeacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic a Jove tertius Ajax.
Nec tamen haec series in caussam prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non sit communis Achille.
Frater erat, fraterna peto. quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, & fraude simillimus illi,
Inseris Aeacidis alienae nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto, donec solertior isto,
Et sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit ad arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla.
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi,
Obtulimus quia nos ad prima pericula, simus?
Atque utinam, aut verus furor ille, aut creditus esset,
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum! Non te, Paeantia proles,
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet,

Qui

Qui nunc (ut memorant) sylvestribus abditus antris
Saxa moves gemitu: Laërtiadaeque precaris,
Quae meruit: quae (si Dii sunt) non vana precaris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
(Heu!) pars una ducum, quo successore sagittae
Herculis utuntur, fractus morboque, fameque,
Venaturque, aliturque avibus: volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitatur Ulyssem.
Vellet & infelix Palamedes esse relictus:
Viveret; aut certe lethum sine crimine haberet.
Quem, male convicti nimium memor iste furoris,
Prodere rem Danaûm finxit: fictumque probavit
Crimen: & ostendit quod jam praefoderat aurum.
Ergo aut exilio vires subduxit Achivis,
Aut nece: sic pugnat, sic est metuendus Ulysses;
Qui licet eloquio fidum quoque Nestora vincat,
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum: qui cum imploraret Ulyssem
Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,
Proditus a socio est. non haec mihi crimina fingi
Scit bene Tydides: qui nomine saepe vocatum
Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.
Aspiciunt oculis Superi mortalia justis.
En! eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,
Sic linquendus erat: legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios: adsum: videoque trementem,
Pallentemque metu, & trepidantem morte futura.
Opposui molem clypei, texique jacentem:
Servavique animam (minimum est hoc laudis) inertem.
Si perstas certare, locum redeamus ad illum:
Redde hostes, vulnusque tuum, solitumque timorem:
Post clypeumque late: & mecum contende sub illo.
At postquam eripui; cui standi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest: secumque Deos in praelia ducit:
Quaque ruit, non tu tantum terreris Ulysse,
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineae successu caedis ovantem
Eminus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret unus,
Sustinui: sortemque meam vovistis Achivi:

Et

Et vestrae valuere preces. Si quaeritis hujus
Fortunam pugnae, non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt Troës ferrumque, ignemque, Jovemque
In Danaas classes: ubi tunc facundus Ulysses?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus. date pro tot navibus arma.
Quod si vera licet mihi dicere, quaeritur istis,
Quam mihi, major honos; conjunctaque gloria nostra est:
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum.
Luce nihil gestum est, nihil est Diomede remoto.
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma,
Dividite: & pars sit major Diomedis in illis.
Quo tamen haec Ithaco, qui clam, qui semper inermis
Rem gerit, & furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeae claro radiantis ab auro
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret: nec non onerosa, gravisque
Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis.
Nec clypeus vasti caelatus imagine mundi
Conveniet timidae, nataeque ad furta sinistrae.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi,
Cur spolieris erit, non cur metuaris ab hoste.
Et fuga, qua sola cunctos, timidissime, vincis,
Tarda futura tibi est gestamina tanta trahenti.
Adde, quod iste tuus tam raro praelia passus
Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.
Arma viri fortis medios mittantur in hostes:
Inde jubete peti: & referentem ornate relatis.
Finierat Telamone satus; vulgique secutum
Ultima murmur erat; donec Laërtius heros
Adstitit, atque oculos paullum tellure moratos
Sustulit ad proceres; expectatoque resolvit
Ora sono. neque abest facundis gratia dictis.
Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres;
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.

Quem

Quem quoniam non aequa mihi vobisque negarunt
Fata (manuque simul veluti lacrymantia tersit
Lumina) quis magno melius succedet Achilli,
Quam per quem magnus Danais successit Achilles?
Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur,
Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,
Profuit ingenium; meaque haec facundia, si qua est,
Quae nunc pro domino, pro vobis saepe locuta est,
Invidia careat; bona nec sua quisque recuset.
Nam GENUS, & proavos, & quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim quia rettulit Ajax
Esse Jovis pronepos; nostri quoque sanguinis auctor
Jupiter est; totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic; neque in his quisquam damnatus, & exul.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus est in utroque parente.
Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto; meritis expendite caussam:
Dummodo, quod fratres Telamon, Peleusque fuerunt,
Ajacis meritum non sit; nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honor spoliis quaeratur in istis.
Aut si proximitas, primusque requiritur heres,
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi.
Quis locus Ajaci? Phthiam haec, Scyronve ferantur.
Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli;
Non petit ille tamen. Num si petat, auferat illa?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quam quae comprendere dictis
In promtu mihi sit. rerum tamen ordine ducar.
Praescia venturi genitrix Nereia lethi
Dissimulat cultu natum; & deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumtae fallacia vestis.
Arma ego femineis animum motura virilem
Mercibus inserui. neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cum parmam, hastamque tenenti,
Nate Dea, dixi, tibi se peritura reservant
Pergama; quid dubitas ingentem evertere Trojam?
Injecique manum, fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius, mea sunt. ego Telephon hasta
Pugnantem domui; victum, orantemque refeci.

Ee Quod

Quod Thebae cecidere, meum eſt; me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chryſenque, & Cillan Apollinis urbes,
Et Scyron cepiſſe. mea concuſſa putate
Procubuiſſe ſolo Lyrneſſia moenia dextra.
Utque alios taceam, qui ſaevum perdere poſſet
Hectora nempe dedi; per me jacet inclytus Hector.
Illis haec armis, quibus eſt inventus Achilles,
Arma peto. vivo dederam, poſt fata repoſco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinae;
Expectata diu, nulla, aut contraria claſſi
Flamina ſunt; duraeque jubent Agamemnona ſortes
Immeritam ſaevae natam mactare Dianae.
Denegat hoc genitor; Diviſque iraſcitur ipſis;
Atque in rege tamen pater eſt. ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, faſſoque ignoſcat Atrides;
Difficilem tenui ſub iniquo judice cauſſam.
Hunc tamen utilitas populi, fraterque, datique
Summa movet ſceptri, laudem ut cum ſanguine penſet.
Mittor & ad matrem, quae non hortanda, ſed aſtu
Decipienda fuit; quo ſi Telamonius iſſet,
Orba ſuis eſſent etiam nunc lintea ventis.
Mittor & Iliacas audax orator ad arces;
Viſaque & intrata eſt altae mihi curia Trojae;
Plenaque adhuc erat illa viris: interritus egi,
Quam mihi mandarat communis Graecia, cauſſam;
Accuſoque Parin, praedamque, Helenamque repoſco;
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum.
At Paris, & fratres, & qui rapuere ſub illo,
Vix tenuere manus (ſcis haec Menelaë) nefandas;
Primaque lux noſtri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora eſt, quae conſilioque, manuque
Utiliter feci ſpatioſi tempore belli.
Poſt acies primas, urbis ſe moenibus hoſtes
Continuere diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit: decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil niſi praelia noſti?
Quis tuus uſus erat? nam ſi mea facta requiris,
Hoſtibus inſidior, foſſas munimine cingo;
Conſolor ſocios, ut longi taedia belli
Mente ferant placida: doceo, quo ſimus alendi,

Ar-

Armandique modo: mittor quo postulat usus.
Ecce Jovis monitu deceptus imagine somni
Rex jubet incepti curam dimittere belli.
Ille potest auctore suam defendere vocem:
Non sinat hoc Ajax, delendaque Pergama poscat:
Quodque potest, pugnet. cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? det, quod vaga turba sequatur.
Non erat hoc nimium, nunquam nisi magna loquenti.
Quid quod & ipse fugit? vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares, inhonestaque vela parares.
Nec mora, quid facitis? quae vos dementia, dixi,
Concitat, o socii, captam dimittere Trojam?
Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?
Talibus, atque aliis, in quae dolor ipse disertum
Fecerat, aversos profuga de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes,
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam
Audet: & ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impune protervus.
Erigor, & trepidos cives exhortor in hostes,
Amissamque mea virtutem voce reposco.
Tempore ab hoc quodcumque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est, qui dantem terga retraxi.
Denique de Danais quis te laudatve, petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, & socio semper confidit Ulysse.
Est aliquid, de tot Grajorum millibus unum
A Diomede legi: nec me sors ire jubebat.
Sed tamen & spreto noctisque, hostisque periclo,
Ausum eadem, quae nos; Phrygia de gente Dolona
Interimo: non ante tamen, quam cuncta coëgi
Prodere; & edidici, quid perfida Troja pararet.
Omnia cognoram: nec, quid specularer, habebam:
Et jam promissa poteram cum laude reverti.
Haud contentus eo, petii tentoria Rhesi,
Inque suis ipsum castris, comitesque peremi:
Atque ita captivo victor, votisque potitus,
Ingredior curru laetos imitante triumphos.
Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis,
Arma negate mihi: ferat haec, ut dignior, Ajax?
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? cum multo sanguine fudi

 Coe-

Coeranon, Iphitidenque, Alaſtoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytanimque:
Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoona,
Et Charopen, fatiſque immitibus Ennomon actum;
Quique minus celebres noſtra ſub moenibus urbis
Procubuere manu. Sunt & mihi vulnera, cives,
Ipſo pulchra loco; nec vanis credite verbis.
Aſpicite en (veſtemque manu diduxit) & haec ſunt
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in ſocios: & habet ſine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert; ſi ſe pro claſſe Pelaſga
Arma tuliſſe refert contra Troaſque, Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim benefacta maligne
Detrectare meum eſt: modo ne communia ſolus
Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.
Reppulit Actorides ſub imagine tutus Achillis
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.
Auſum etiam Hectoreis ſolum concurrere telis
Se putat, oblitus regiſque, duciſque, meique;
Nonus in officio, & praelatus munere ſortis.
Sed tamen eventus veſtrae, fortiſſime, pugnae
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miſerum! quanto cogor meminiſſe dolore
Temporis illius, quo Grajum murus Achilles
Procubuit: nec me lacrymae, luctuſque, timorque
Tardarunt, quin corpus humo ſublime referrem
His humeris: his inquam humeris ego corpus Achillis,
Et ſimul arma tuli, quae nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quae valeant in talia pondera, vires:
Eſt animus certe veſtros ſenſurus honores.
Scilicet idcirco pro nato caerula mater
Ambitioſa ſuo fuit, ut caeleſtia dona,
Artis opus tantae, rudis & ſine pectore miles
Indueret? neque enim clypei caelamina novit,
Oceanum, & terras, cumque alto ſidera caelo,
Plejadaſque, Hyadaſque, immunemque aequoris Arcton,
Diverſaſque urbes, nitidumque Orionis enſem.
Poſtulat ut capiat, quae non intelligit arma.
Quid quod me duri fugientem munera belli
Arguit incoepto ſerum acceſſiſſe labori?
Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli.

Si simulasse vocas crimen; simulavimus ambo.
Si mora pro culpa est; ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux, pia mater Achillem:
Primaque sunt illi data tempora, cetera vobis.
Haud timeo, si jam nequeam defendere crimen
Cum tanto commune viro: deprensus Ulyssis
Ingenio tamen ille, at non Ajacis Ulysses.
Neve in me stolidae convicia fundere linguae
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit. an falso Palamedem crimine turpe est
Accusasse mihi? vobis damnasse decorum?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens valuit: nec vos audistis in illo
Crimina: vidistis, pretioque objecta patebant.
Nec, Paeantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui: crimen defendite vestrum
(Consensistis enim): nec me suasisse negabo,
Ut se subtraheret bellique, viaeque labori;
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit: & vivit. non haec sententia tantum est
Fida, sed & felix cum sit, facit esse fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt,
Ne mandate mihi: melius Telamonius ibit,
Eloquioque virum, morbisque, iraque furentem
Molliet; aut aliqua perducet callidus arte.
Ante retro Simois fluet, & sine frondibus Ide
Stabit, & auxilium promittet Achaia Trojae,
Quam, cessante meo pro vestris pectore rebus,
Ajacis stolidi Danais sollertia prosit.
Sis licet infestus sociis, regique, mihique,
Dure Philoctete, licet exsecrere, meumque
Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari, nostrumque haurire cruorem:
Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri:
Te tamen aggrediar, mecumque reducere nitar.
Tamque tuis potiar (faveat fortuna) sagittis,
Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus;
Quam responsa Deûm, Trojanaque fata retexi;
Quam rapui Phrygiae signum penetrale Minervae
Hostibus e mediis. Et se mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illo.
Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni

Verba viri? cur hic metuit? cur audet Ulyffes
Ire per excubias? & fe committere nocti?
Perque feros enfes non tantum moenia Trojae,
Verum etiam fummas arces intrare, fuaque
Eripere aede Deam, raptamque efferre per hoftes?
Quae nifi feciffem, fruftra Telamone creatus
Geftaffet laeva taurorum tergora feptem.
Illa nocte mihi Trojae victoria parta eft;
Pergama tunc vici, cum vinci poffe coëgi.
Define Tydiden vultuque, & murmure nobis
Oftentare meum; pars eft fua laudis in illo.
Nec tu, cum focia clypeum pro claffe tenebas,
Solus eras; tibi turba comes, mihi contigit unus:
Qui, nifi pugnacem fciret fapiente minorem
Effe, nec indomitae deberi praemia dextrae,
Ipfe quoque haec peteret; peteret moderatior Ajax,
Eurypylufque ferox, claroque Andremone natus;
Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones; peteret majoris frater Atridae:
Quippe manu fortes, nec funt tibi Marte fecundi.
Confiliis ceffere meis. tibi dextera bello
Utilis; ingenium eft, quod eget moderamine noftro.
Tu vires fine mente geris, mihi cura futuri eft.
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. tu tantum corpore prodes;
Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium: quanto eft dux milite major:
Tantum ego te fupero. nec non in corpore noftro
Pectora funt potiora manu: vigor omnis in illis.
At vos, o proceres, vigili date praemia veftro:
Proque tot annorum curis, quas anxius egi,
Hunc titulum meritis penfandum reddite noftris.
Jam labor in fine eft: obftantia fata removi:
Altaque, poffe capi faciendo, Pergama cepi.
Per fpes nunc focias, cafuraque moenia Troum,
Perque Deos oro, quos hofti nuper ademi;
Per, fi quid fupereft, quod fit fapienter agendum,
Si quid adhuc audax, ex praecipitique petendum eft,
Si Trojae fatis aliquid reftare putatis,
Efte mei memores: aut, fi mihi non datis arma,
Huic date (& oftendit fignum fatale Minervae).

AJACIS CRUOR IN HYACINTHUM.

Mota manus procerum est; & quid facundia posset,
Tum patuit; fortisque viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemque
Sustinuit toties, unam non sustinet iram:
Invictumque virum vicit dolor: arripit ensem:
Et, Meus hic certe est, an & hunc sibi poscit Ulysses?
Hoc, ait, utendum est in me mihi; quique cruore
Saepe Phrygum maduit, domini nunc caede madebit,
Ne quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum,
Qua patuit ferro, lethalem condidit ensem.
Nec valuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor: rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque, viroque
Inscripta est foliis: haec nominis, illa querelae.

EX LIBRO XIV.

AENEAS INTER DEOS INDIGETES TRANSLATUS.

„ Inclyta devicto postquam ruit Ardea Turno,
„ Caelicolas omnes, ipsamque Aeneia virtus
Junonem veteres finire coërcuit iras:
Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli,
Tempestivus erat caelo Cythereius heros:
Ambieratque Venus Superos, colloque parentis
Circumfusa sui, Nunquam mihi, dixerat, ullo
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus, opto:
Aeneaeque meo, qui te de sanguine nostro
Fecit avum, quamvis parvum, des, optime, numen,
Dummodo des aliquod. Satis est inamabile regnum
Aspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.
Assensere Dei: nec conjux regia vultus
Immotos tenuit; placatoque annuit ore.
Tum pater, Est is, ait, caelesti numine dignus:
Quodque petis, pro quoque petis, cape nata quod optas.
Fatus erat: gaudet, gratesque agit illa parenti;
Perque leves auras junctis invecta columbis

Litus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Aeneae quaecumque obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre sub aequora cursu.
Corniger exsequitur Veneris mandata, suisque,
Quicquid in Aenea fuerat mortale, repurgat,
Et respergit aquis: pars optima restitit illi.
Lustratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambrosia cum dulci nectare mista
Contigit os; fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem: temploque arisque recepit.

ALBANORUM REGUM SERIES.

Inde sub Ascanii ditione binominis Alba,
Resque Latina fuit; successit Sylvius illi:
Quo satus antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro. Clarus subit Alba Latino
Editus ex illo: post hunc Capetusque, Capysque,
Sed Capys ante fuit: regnum Tiberinus ab illis
Cepit, & in Tusci demersus fluminis undis
Nomina fecit aquae, de quo Remulusque, feroxque
Acrota sunt geniti: Remulus maturior annis
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui, quo regnarat, eodem
Monte jacet positus, tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinae summam Proca gentis habebat;
Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertius hortos;
Nec fuit arborei studiosior altera foetus;
Unde tenet nomen. non sylvas illa, nec amnes,
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.
Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce,
Qua modo luxuriem premit, & spatiantia passim
Brachia compescit; fisso modo cortice lignum
Inserit, & succos alieno praestat alumno,
Nec sentire sitim patitur, bibulaeque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Proximus Ausonias injusti miles Amuli
Rexit opes: Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit, festisque Palilibus urbis
Moenia conduntur. Tatius, patresque Sabini
Bella gerunt, arcisque via Tarpeja reclusa

Di-

Dignam animam poena congestis exuit armis.
Inde sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, & corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas obice firmo
Clauserat Iliades: unam tamen ipsa reclusit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portae cecidisse repagula sensit;
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Diis licet acta Deûm. Jano loca juncta tenebant
Najades Ausoniae, gelido rorantia fonte;
Has rogat auxilium, nec nymphae justa petentem
Sustinuere Deam; venasque, & flumina fontis
Elicuere sui: nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, nec iter praecluserat unda.
Lurida supponunt foecundo sulphura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his, aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis: & Alpino modo quae certare rigori
Audebatis aquae, non ceditis ignibus ipsis.
Flammifera gemini fumant aspergine postes,
Portaque nequidquam rigidis promissa Sabinis
Fonte fuit praestructa novo, dum Martius arma
Indueret miles; quae postquam Romulus ultro
Obtulit, & strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strata estque suis; generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis;
Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro
Decertare placet, Tatiumque accedere regno.

ROMULUS IN DEUM QUIRINUM.

Occiderat Tatius, populisque aequata duobus,
Romule, jura dabas; posita cum casside Mavors
Talibus affatur Divumque, hominumque parentem:
Tempus adest, genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, & praeside pendet ab uno)
Praemia jam promissa mihi, dignoque nepoti
Solvere, & ablatum terris imponere caelo.
Tu mihi, concilio quondam praesente Deorum,
(Nam memoro, memorique animo pia verba notavi)
Unus erit, quem tu tolles ad sidera caeli,
Dixisti. rata sit verborum summa tuorum.
Annuit omnipotens, & nubibus aëra caecis
Occuluit, tonitruque, & fulgure terruit orbem:

Quae

Quae sibi promissae sensit data signa rapinae,
Innixusque hastae pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos Gradivus, & ictu
Verberis increpuit, pronumque per aëra lapsus
Constitit in summo nemorosi colle Palati;
Reddentemque suo tunc regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues, ut lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere caelo.
Pulchra subit facies: & pulvinaribus altis
Dignior est, qualis trabeati forma Quirini.
Flebat ut amissum conjux; cum regia Juno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat, & vacuae sua sic mandata referre.

HERSILIA IN ORAM DEAM.

O & de Latio, o & de gente Sabina
Praecipuum matrona decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri conjux, nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus: &, si tibi cura videndi
Conjugis est, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, & templum Romani regis obumbrat.
Paret, & in terram pictos delapsa per arcus,
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O Dea (namque mihi, nec quae sis dicere promtum est,
Et liquet esse Deam) duc, o duc, inquit, & offer
Conjugis ora mihi: quem si modo posse videre
Fata semel dederint, caelum accepisse videbor.
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantaea
Ingreditur colles. Ibi sidus ab aethere lapsum
Decidit in terras: a cujus lumine flagrans
Hersiliae crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit, & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat: quae nunc Dea juncta Quirino est.

EX LIBRO XV.

NUMA POMPILIUS.

Quaeritur interea quis tantae pondera molis
Sustineat, tantoque queat succedere regi.

De-

Destinat imperio clarum praenuntia veri
Fama Numam. non ille satis cognosse Sabinae
Gentis habet ritus: animo majora capaci
Concipit, & quae sit rerum natura requirit.
Hujus amor curae, patria, Curibusque relictis,
Fecit ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.
Graja quis Italicis auctor posuisset in oris
Moenia quaerenti, sic e senioribus unus
Rettulit indigenis, veteris non inscius aevi.
Dives ab Oceano bobus Jove natus Iberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur, & armento teneras errante per herbas
Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse, & requie longum relevasse laborem:
Atque ita discedens, Aevo, dixisse, nepotum
Hic locus urbis erit. promissaque vera fuerunt.

DE MYSCELO JUDICIUM.

Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelus, illius Diis acceptissimus aevi.
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger alloquitur: Lapidosas Aesaris undas,
I, pete diversi; patrias, age, desere sedes:
Et nisi paruerit, multa, ac metuenda minatur.
Postea discedunt pariter somnusque, Deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum.
Numen abire jubet: prohibent discedere leges;
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus Oceano nitidum caput abdiderat sol,
Et caput extulerat densissima sidereum nox:
Visus adesse idem Deus est, eademque monere;
Et nisi paruerit, plura & graviora minari.
Pertimuit: patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus: utque peracta est
Caussa prior, crimenque patet sine teste probatum,
Squallidus ad Superos tendens reus ora manusque,
O cujus caelum bis sex fecere labores,
Fer precor, inquit, opem; nam tu mihi criminis auctor.
Mos erat antiquus, niveis, atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Tunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnis
Cal-

Calculus immitem demittitur ater in urnam,
Quae simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album:
Candidaque Herculeo sententia numine facta
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadae: ventisque faventibus aequor
Navigat Ionium: Lacedaemoniumque Tarentum
Praeterit, & Sybarim, Salentinumque Neaethum,
Thurinosque sinus, Temesenque, & Iapygis arva.
Vixque pererratis, quae spectant litora, terris,
Invenit Aesarei fatalia fluminis ora:
Non procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus: jussaque ibi moenia terra
Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci, positaeque Italis in finibus urbis.
Vir fuit heic ortu Samius: sed fugerat una
Et Samon, & dominos, odioque tyrannidis exul
Sponte erat. Isque, licet caeli regione remotus,
Mente Deos adiit, & quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo, & vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat; coetumque silentum,
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum caussas, & quid natura, docebat:
Quid Deus, unde nives, quae fulminis esset origo:
Jupiter, an venti discussa nube tonarent:
Quid quateret terras: qua sidera lege mearent:
Et quodcumque latet: primusque animalia mensis
Arguit imponi: primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non & credita, verbis.

PYTHAGORAE ORATIO.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges: sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae:
Sunt herbae dulces: sunt quae mitescere flamma,
Mollirique queant: nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine caede & sanguine praebet.
Carne ferae sedant jejunia, nec tamen omnes:
Quippe equus, & pecudes, armentaque gramine vivunt;

At,

At, quibus ingenium est immansuetumque, ferumque,
Armeniae tigres, iracundique leones,
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu! quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere letho!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat, nil te nisi tristia mandere saevo
Vulnera dente juvat, ritusque referre Cyclopum?
Nec, nisi perdideris alium, placare voracis,
Et male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa aetas, cui fecimus Aurea nomen,
Foetibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutae movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, (quisquis fuit ille Deorum)
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum,
Fecit iter sceleri: primoque e caede ferarum
Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum;
(Idque satis fuerat) nostrumque petentia lethum
Corpora missa neci, salva pietate, fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit. Et prima putatur
Hostia sus meruisse mori; quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris: nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis, oves, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar?
Mollia quae nobis vestras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis, quam morte juvatis?
Quid meruere boves, animal sine fraude doloque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi demto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare suum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.

Nec

Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere Deos sceleri, numenque supernum
Caede laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, & praestantissima forma,
(Nam placuisse nocet) vittis praesignis, & auro
Sistitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique suae videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges; percussaque sanguine cultros
Inficit in liquida praevisos forsitan unda.
Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inspiciunt, mentesque Deûm scrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum est?
Audetis vesci genus o mortale? quod, oro,
Ne facite, & monitis animos advertite nostris;
Cumque bovum dabitis caesorum membra palato,
Mandere vos vestros scite, & sentire colonos.
Et quoniam Deus ora movet, sequar ora moventem
Rite Deum, Delphosque meos, ipsumque recludam
Aethera, & augustae reserabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis investigata priorum,
Quaeque diu latuere, canam. Juvat ire per alta
Astra; juvat terris, & inerti sede relicta,
Nube vehi; validique humeris insistere Atlantis;
Palantesque homines passim, ac rationis egentes
Despectare procul; trepidosque, obitumque timentes
Sic exhortari, seriemque evolvere fati.
O genus attonitum gelidae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique pericula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animae, semperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptae.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Haesit in adverso gravis hasta minoris Atridae.
Cognovi clypeum laevae gestamina nostrae
Nuper Abanteis, templo Junonis, in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit: errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.

Ut-

Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem;
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas caede nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur.
Et quoniam magno feror aequore, plenaque ventis
Vela dedi: NIHIL est toto quod perstet in orbe:
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest: sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem;
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper; nam quod fuit ante, relictum est:
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.
Cernis & emensas in lucem tendere noctes,
Et jubar hoc nitidum nigrae succedere nocti.
Nec color est idem caelo, quum lassa quiete
Cuncta jacent media, quumque albo Lucifer exit
Clarus equo; rursusque alius, quum praevia lucis
Tradendum Phoebo Pallantias inficit orbem.
Ipse Dei clypeus, terra quum tollitur ima,
Mane rubet, terraque rubet quum conditur ima:
Candidus in summo est, melior natura quod illic
Aetheris est, terraeque procul contagia fugit.
Nec par, aut eadem nocturnae forma Dianae
Esse potest usquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est: major, si contrahit orbem.
Quid? non in species secedere quattuor annum
Aspicis, aetatis peragentem imitamina nostrae?
Nam tener, & lactens, puerique simillimus aevo
Vere novo est: tunc herba nitens, & roboris expers
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes.
Omnia tum florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
Transit in Aestatem post Ver robustior annus;
Fitque valens juvenis, neque enim robustior aetas
Ulla, nec uberior, nec quae magis ardeat, ulla est.
Excipit Autumnus, posito fervore juventae,
Maturus, mitisque, inter juvenemque, senemque
Tem-

Temperie medius, sparsus quoque tempora canis.
Inde senilis Hyems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet, alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla,
Corpora vertuntur: nec quod fuimusve, sumusve,
Cras erimus. fuit illa dies, qua matris in alvo
Artifices natura manus admovit, & angi
Corpora visceribus distentae condita matris
Noluit, eque domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem jacuit sine viribus infans;
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum,
Paullatimque tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adjutisque aliquo conamine nervis:
Inde valens, veloxque fuit, spatiumque juventae
Transit, & emeritis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduae per iter declive senectae.
Subruit haec aevi, demoliturque prioris
Robora. Fletque Milon senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum morte ferarum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles,
Tindaris, & secum, cur sit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aevi
Paullatim lenta consumitis omnia morte.
Haec quoque non perstant, quae nos elementa vocamus;
Quasque vices peragant, animos adhibete, docebo.
Quattuor aeternus genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius tellus, atque unda feruntur;
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aër, atque aëre purior ignis.
Quae quamquam spatio distent, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas: tenuatus in auras,
Aëraque humor abit: demto quoque pondere rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo;
Ignis enim densum spissatus in aëra transit:
Hinc in aquas; tellus glomerata cogitur unda.
Nec species sua cuique manet: rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.

Nec perit in tanto quidquam (mihi credite) mundo;
Sed variat, faciemque novat: nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; morique
Desinere illud idem. quum sint huc forsitan illa,
Haec translata illuc; summa tamen omnia constant.
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim. Sic ad ferrum venistis ab auro
Secula; sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex aequore terras:
Et procul a pelago conchae jacuere marinae;
Et vetus inventa est in montibus anchora summis;
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, & eluvie mons est deductus in aequor;
Eque paludosa siccis humus aret arenis;
Quaeque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.
Hinc fontes natura novos emisit, & illic
Clausit; & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exsiccata residunt.
Talibus, atque aliis instructo pectore dictis,
In patriam remeasse ferunt, ultroque petitum
Accepisse Numam populi Latialis habenas:
Conjuge qui felix Nympha, ducibusque Camoenis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.

AESCULAPIUS IN SERPENTEM.

Pandite nunc, Musae, praesentia numina vatum
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas)
Unde Coronidem circumflua Tibridis alti
Insula Romuleae sacris adjecerit urbis.
Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exsangui squallebant corpora morbo.
Funeribus fessi, postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium caeleste petunt, mediamque tenentis
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phoebi:
Utque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantaeque urbis mala finiat, orant.
Et locus, & laurus, & quas habet ipse pharetras,

Intremuere simul, cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pavefactaque corpora movit:
Quod petis hinc, propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco: nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque arcessite nostram.
Jussa Dei prudens postquam accepere senatus,
Quam colat, explorant, juvenis Phoebeius urbem;
Quique petant ventis Epidauria litora mittunt.
Quae simul incurva missi tetigere carina,
Concilium, Grajosque patres adiere, darentque
Oravere Deum, qui praesens funera gentis
Finiat Ausoniae: certas ita dicere sortes.
Dissidet, & variat sententia; parsque negandum
Non putat auxilium; multi retinere, suamque
Non emittere opem, nec numina tradere suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi:
Cum Deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum (sed qualis in aede
Esse solet) baculumque tenens agreste sinistra,
Caesariem longae dextra deducere barbae,
Et placido tales emittere pectore voces:
Pone metus, veniam, simulacraque nostra relinquam.
Hunc modo serpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perspice, & usque nota, visum ut cognoscere possis.
Vertar in hunc, sed major ero, tantusque videbor,
In quantum verti caelestia corpora possunt.
Extemplo cum voce Deus; cum voce Deoque
Somnus abit, somnique fugam lux alma secuta est.
Postera sidereos Aurora fugaverat ignes;
Incerti quid agant proceres, ad templa petiti
Conveniunt operosa Dei, quaque ipse morari
Sede velit, signis caelestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
In serpente Deus praenuncia sibila misit,
Adventuque suo, signumque, arasque, foresque,
Marmoreumque solum, fastigiaque aurea movit:
Pectoribusque tenus media sublimis in aede
Constitit, atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet: cognovit numina castus
Evinctus vitta crines albente sacerdos:

En Deus est, Deus est: animis, linguisque favete,
Quisquis adest, dixit: sis, o pulcherrime, visus
Utiliter, populosque juves tua sacra colentes.
Quisquis adest, visum veneratur numen: & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piumque
Aeneadae praestant & voce, & mente favorem.
Annuit his, motisque Deus rata pignora cristis,
Et repetita dedit vibrata sibila lingua.
Tum gradibus nitidis elabitur, oraque retro
Flectit, & antiquas abiturus respicit aras,
Assuetasque domos, habitataque templa salutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque sinus, mediamque per urbem.
Tendit ad incurvo munitos aggere portus.
Restitit hic, agmenque suum; turbaeque sequentis
Officium placido visus dimittere vultu,
Corpus in Ausonia posuit rate. Numinis illa
Sensit onus: pressaque Dei gravitate carina
Aeneadae gaudent, caesoque in litore tauro,
Torta coronatae solvunt retinacula navis.
Impulerat levis aura ratem: Deus eminet alte,
Impositaque premens puppim cervice recurvam
Caeruleas despectat aquas, modicisque per aequor
Ionium Zephyris sextae Pallantidos ortu
Italiam tenuit, praeterque Lacinia templa
Nobilitata Dea, Scylaeaeque litora fertur.
Linquit Japygiam, levibusque Amphrysia remis
Saxa fugit, dextra praerupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque,
Evincitque fretum, Siculique angusta Pelori,
Hippotadaeque domos regis, Temesesque metalla;
Leucosiamque petit, tepidique rosaria Paesti:
Inde legit Capreas, promontoriumque Minervae,
Et Surrentino generosos palmite colles,
Herculeamque urbem, Stabiasque, & in otia natam
Parthenopen, & ab hac Cumaeae templa Sibyllae:
Hinc calidi fontes, lentisciferumque tenetur
Linternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa colubris,
Minturnaeque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphataeque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circaea, & spissi litoris Antium.

Huc ubi veliferam nautae advertere carinam,
(Asper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes,
Perque sinus crebros, & magna volumina labens,
Templa parentis init flavum tangentia litus.
Aequore placato patrias Epidaurius aras
Linquit, & hospitio juncti sibi numinis usus.
Litoream tractu squamae crepitantis arenam
Sulcat, & innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput posuit: donec castrumque, sacrasque
Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit.
Huc omnes populi passim, matrumque, patrumque
Obvia turba ruit, quaeque ignes Troica servat
Vesta tuos: laetoque Deum clamore salutant.
Quaque per adversas navis cita ducitur undas,
Thura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque sonant: & odorant aëra fumis,
Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros.
Jamque caput rerum, Romanam intraverat urbem:
Erigitur serpens: summoque acclivia malo
Colla movet, sedesque sibi circumspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis:
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.
Huc se de Latia pinu Phoebeius anguis
Contulit: & finem, specie caeleste resumta,
Luctibus imposuit, venitque salutifer urbi.

JULII CAESARIS APOTHEOSIS.

Hic tamen accessit delubris advena nostris:
Caesar in urbe sua Deus est, quem Marte, togaque
Praecipuum, non bella magis finita triumphis,
Resque domi gestae, properataque gloria rerum
In sidus vertere novum, stellamque comantem,
Quam sua progenies. Nec enim de Caesaris actis
Ullum majus opus, quam quod pater exstitit hujus:
Scilicet aequoreos plus est domuisse Britannos,
Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates, Numidasque rebelles,
Cyniphiumque Jubam, Mithridateisque tumentem
Nominibus Pontum populo adjecisse Quirini,
Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quam tantum genuisse virum, quo praeside rerum
Humano generi, Superi, favistis abunde.
Ne

Ne foret hic igitur mortali semine cretus,
Ille Deus faciendus erat. Quod ut aurea vidit
Aeneae genitrix, vidit quoque triste parari
Pontifici lethum, & conjurata arma moveri;
Palluit, & cunctis, ut cuique erat obvia, Divis,
Aspice, dicebat, quanta mihi mole parentur
Insidiae, quantaque caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio solum mihi restat Iulo.
Solane semper ero injustis exercita curis?
Quam modo Tydidae Calydonia vulneret hasta;
Nunc male defensae confundant moenia Trojae?
Quae videam natum longis erroribus actum,
Jactarique freto, sedesque intrare silentum,
Bellaque cum Turno gerere, aut, si vera fatemur,
Cum Junone magis? Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminisse priorum
Non finit. in me acui sceleratos cernitis enses:
Quos prohibete, precor, facinusque repellite, neve
Caede sacerdotis flammas extinguite Vestae.
Talia nequicquam toto Venus anxia caelo
Verba jacit, Superosque movet, qui rumpere quamquam
Ferrea non possunt veterum decreta sororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua caelo
Praemonuisse nefas. Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis praebebat lumina terris.
Saepe faces visae mediis ardere sub astris:
Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae.
Caerulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat; sparsi lunares sanguine currus.
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo:
Mille locis lacrymavit ebur: cantusque feruntur
Auditi, sanctis & verba minantia lucis.
Victima nulla litat, magnosque instare tumultus
Fibra monet, caesumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, & templa Deorum
Nocturnos ululasse canes, umbrasque silentum
Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem.
Non tamen insidias, venturaque vincere fata
Praemonitus potuere Deûm, strictique feruntur
In templum gladii; neque enim locus ullus in urbe

Ad facinus, diramque placet, nisi curia, caedem.
Tum vero Cytherea manu percussit utraque
Pectus, & aetheria molitur condere nube,
Qua prius infesto Paris est ereptus Atridae,
Et Diomedeos Aeneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor: Sola insuperabile fatum
Nata movere paras? intres licet ipsa sororum
Tecta trium, cernes illic molimine vasto
Ex aere, & solido rerum tabularia ferro,
Quae neque concussum caeli, neque fulminis iram,
Nec metuunt ullas tuta, atque aeterna ruinas.
Invenies illic incisa adamante perenni
Fata tui generis: legi ipse, animoque notavi,
Et referam, ne sis jam nunc ignara futuri.
Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
Ut Deus accedat caelo, templisque colatur,
Tu facies: natusque tuus, qui nominis heres,
Impositum feret unus onus, caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.
Illius auspiciis obsessae moenia pacem
Victa petent Mutinae: Pharsalia sentiet illum,
Emathiique iterum madefient caede Philippi,
Et magnum Siculis nomen superabitur undis,
Romanique ducis conjux Aegyptia taedae
Non bene fisa cadet, frustraque erit illa minata
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.
Quid tibi barbariem, gentesque ab utroque jacentes
Oceano numerem? quodcumque habitabile tellus
Sustinet, hujus erit: pontus quoque serviet illi.
Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura suum, legesque feret justissimus auctor,
Exemploque suo mores reget, inque futuri
Temporis aetatem, venturorumque nepotum
Prospiciens, prolem sancta de conjuge natam
Ferre simul nomenque suum, curasque jubebit:
Nec, nisi cum senior similes aequaverit annos,
Aetherias sedes, cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea caeso de corpore raptam
Fac jubar, ut semper Capitolia nostra, forumque
Divus ab excelsa prospectet Iulius aede.
Vix ea fatus erat, media cum sede senatus

Con-

Constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Caesaris eripuit membris, nec in aëra solvi
Passa recentem animam, caelestibus intulit astris:
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,
Emisitque simul: simul evolat altius illa,
Flammiferumque trahens spatioso limite crinem
Stella micat, natique videns benefacta, fatetur
Esse suis majora, & vinci gaudet ab illo.
Hic sua praeferri quamquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nullisque obnoxia jussis
Invitum praefert, unaque in parte repugnat.
Sic magnis cedit titulis Agamemnonis Atreus:
Aegea sic Theseus: sic Pelea vincit Achilles:
Denique ut exemplis ipsos aequantibus utar,
Sic & Saturnus minor est Jove: Jupiter arces
Temperat aetherias, & mundi regna triformis:
Terra sub Augusto est: pater est, & rector uterque.
Dii, precor, Aeneae comites, quibus ensis, & ignis
Cesserunt, Diique Indigetes, genitorque Quirine
Urbis, & invicti genitor Gradive Quirini,
Vestaque Caesareos inter sacrata penates,
Et cum Caeserea tu Phoebe domestice Vesta,
Quique tenes altus Tarpejas Jupiter arces,
Quosque alios vati fas appellare, piumque est;
Tarda sit illa dies, & nostro serior aevo,
Qua caput augustum, quem temperat, orbe relicto,
Accedat caelo, faveatque precantibus absens.

PERORATIO.

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat aevi.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi; perque omnia secula fama,
Si quid habent veri vatum praesagia, vivam.

FINIS METAMORPHOSEON.

OVIDII ELEGIA

DE NUCE.

NUx ego juncta viae, cum ſim ſine crimine vitae,
  A populo ſaxis praetereunte petor.
Obruere iſta ſolet manifeſtos poena nocentes,
  Publica cum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi: niſi ſi peccaſſe vocetur,
  Annua cultori poma referre ſuo.
At prius arboribus, tum cum meliora fuere
  Tempora, certamen fertilitatis erat.
Cum domini memores ſertis ornare ſolebant
  Agricolas fructu proveniente Deos.
Saepe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
  Mirata eſt oleas ſaepe Minerva ſuas.
Pomaque laeſiſſent matrem, ni ſubdita ramo
  Longa laboranti furca tuliſſet opem.
At poſtquam platanis ſterilem praebentibus umbram
  Uberior quavis arbore venit honos;
Nos quoque frugiferae (ſi nux modo ponor in illis)
  Coepimus in patulas luxuriare comas.
Nunc neque continuos naſcuntur poma per annos:
  Uvaque laeſa domum, laeſaque bacca venit.
Certe ego, ſi nunquam peperiſſem, tutior eſſem.
  Iſta Clytemneſtra digna querela fuit.
Si ſciat hoc vitis, naſcentes ſupprimet uvas:
  Orbaque, ſi ſciat hoc, Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque piroque;
  Deſtituent ſilvas utraque poma ſuas.
Quaeque ſibi vario diſtinguit poma colore,
  Audiat hoc ceraſus; ſtipes inanis erit.
Non equidem invideo: numquid tamen ulla feritur,
  Quae ſterilis ſola conſpicienda coma eſt?
Cernite ſinceros omnes ex ordine truncos,
  Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi ſaeva nocent mutilatis vulnera ramis;
  Nudaque derepto cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, ſed ſpes inducta rapinae.
  Suſtineant aliae poma; querentur idem.
Sic reus ille fere eſt, de quo victoria lucro
  Eſſe poteſt: inopis vindice facta carent.

Sic timet insidias, qui scit se ferre viator,
  Cui timeat: tutum carpit inanis iter.
Sic ego sola petor; soli quia caussa petendi est.
  Frondibus intactis cetera turba virent.
Nam quod habent frutices alii quoque proxima nobis
  Fragmina, quae laeso vimine multa jacent;
Non istis sua facta nocent: vicinia damno est.
  Excipiunt ictu saxa repulsa meo.
Idque fide careat; si non, quae longius absunt,
  Nativum retinent inviolata decus.
Ergo, si sapiant, & mentem verba sequantur;
  Devoveant umbras proxima quaeque meas.
Quam miserum est, odium damnis accedere nostris;
  Meque ream nimiae proximitatis agi!
Sed, puto, magna mei est operoso cura colono.
  Invenias, qui det nil mihi, praeter humum.
Sponte mea facilis contemto nascor in agro:
  Parsque loci, qua sto, publica pene via est.
Me, fata ne laedam (quoniam fata laedere dicor)
  Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras:
  Duratam renovat non mihi fossor humum.
Sole licet siccaque siti peritura laborem,
  Irriguae dabitur non mihi sulcus aquae.
At cum maturas fisso nova cortice rimas
  Nux agit; ad partes pertica saeva venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis;
  Ne possim lapidum verbera sola queri.
Poma cadunt mensis non interdicta secundis;
  Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut certo rectas dilaminat ictu;
  Aut pronas digito bisve semelve petit.
Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota est;
  Cum sibi suppositis additur una tribus.
Per tabulae clivum labi jubet alter; & optat,
  Tangat ut e multis quamlibet una suam.
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
  Ut divinatas auferat augur opes.
Fit quoque de creta, qualem caeleste figuram
  Sidus, & in Graecis littera quarta gerit.
Haec ubi distincta est gradibus, qui constitit intus
  Quot tetigit virga, tot capit inde nuces.

Vas

Vas quoque saepe cavum spatio distante locatur;
In quod missa levi nux cadat una manu.
Felix, secreto quae nata est arbor in arvo;
Et soli domino ferre tributa potest!
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum:
Non a vicina pulverulenta via est.
Illa suo, quaecumque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus adnumerare potest.
At mihi maturos nunquam licet edere foetus;
Ante diemque meae decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc tenero de lacte, quod intro est;
Nec mala sunt ulli nostra futura bono:
Jam tamen invenias, qui me jaculentur, & ictu
Praefestinato munus inane petant.
Si fiat rapti, fiat mensura relicti,
Majorem domini parte, viator, habes.
Saepe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,
Esse putat Boreae triste furentis opus.
Aestibus hic, hic me spoliatam frigore credit:
Est quoque, qui crimen grandinis esse putet.
At mihi nec grando duris invisa colonis,
Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.
Fructus obest: peperisse nocet: nocet esse feracem.
Quaeque fuit multis, & mihi praeda malo est.
Praeda malo, Polydore, fuit tibi: praeda nefandae
Conjugis Aonium misit in arma virum.
Hesperii regis pomaria tuta fuissent:
Una sed immensas arbor habebat opes.
At rubus & sentes tantummodo laedere natae,
Spinaque vindicta cetera tuta sua est.
Me, quia nec noceo, nec aduncis vindicor hamis;
Missa petunt avida saxa proterva manu.
Quid, si non aptas solem fugientibus umbras,
Finditur Icario cum cane terra, darem?
Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem,
Non exspectata cum venit imber aqua?
Omnia cum faciam, cum praestem sedula cunctis
Officium; saxis officiosa petor.
Haec mihi perpessae, domini patienda querela est,
Caussa habeor, quare sit lapidosus ager.
Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit;
Semper habent in me tela parata viae.

Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt:
  Illo me tutam tempore praestat hyems.
Nuda quidem tunc sum; nudam tamen expedit esse:
  Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.
At simul induimus nostris sua munera ramis;
  Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forsitan hic aliquis dicat, Quae publica tangunt,
  Carpere concessum est: hoc via juris habet.
Si licet hoc; oleas distringite: caedite messes.
  Improbe, vicinum carpe, viator, olus.
Intret & urbanas eadem petulantia portas;
  Sitque tuis muris, Romule, juris idem.
Quilibet argentum primae de fronte tabernae
  Tollat: & ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos;
  Et quascumque potest tollere, tollat opes.
Sed neque tolluntur: nec, dum regit omnia Caesar,
  Incolumis tanto praeside raptor erit.
At non ille Deus pacem intra moenia finit.
  Auxilium toto spargit in orbe suum.
Quid tamen hoc prodest, media si luce palamque
  Verberor, & tutae non licet esse mihi?
Ergo nec nidos foliis haerere, nec ullam
  Sedibus in nostris stare videtis avem.
At lapis, in ramo sedit quicumque bifurco,
  Haeret, & ut capta victor in arce manet.
Cetera saepe tamen potuere admissa negari,
  Et crimen vox est inficiata suum.
Nostra notat fusco digitos injuria succo,
  Cortice contactas inficiente manus.
Ille cruor meus est: illo maculata cruore
  Non profectura dextra lavatur aqua.
O ego, cum longae venerunt taedia vitae,
  Optavi quoties arida facta mori!
Optavi quoties, aut caeco turbine verti,
  Aut valido missi fulminis igne peti!
Atque utinam subitae raperent mea poma procellae:
  Vel possem fructus excutere ipsa meos.
Quid mihi tunc animi est, cum sumit tela viator,
  Atque oculis plagae destinat ante locum?
Nec vitare licet moto fera verbera trunco,
  Quem sub humo radix vinclaque firma tenent.

Cor-

Corpora praebemus plagis: ut saepe sagittis,
  Cum populus manicas deposuisse jubet:
Utque gravem pavida est ubi tolli vacca securim,
  Aut stringi cultros in sua colla videt:
Saepe meas vento frondes tremuisse putastis;
  Sed metus in nobis caussa tremoris erat.
Si merui, videorque nocens; imponite flammae,
  Nostraque fumosis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens; excidite ferro:
  Et liceat miserae dedecus esse semel.
Si nec cur urar, nec cur excidar habetis;
  Parcite. sic coeptum perficiatis iter.



INDEX.

PLAUTI

TERENTII

OVIDII METAMORPHOSES

EX LIB. I.

EX LIB. II.

EX LIB. III.

EX LIB IV.

EX

Ill. ac Rev. Dom. Can. Simioli S. Th. Doctor, Curiae Archiep. Exam. Synodalis, & Metrop. Eccl. Theol. revideat, & in scriptis referat. Datum die 14. Feb. 1770.

F. X. EP. VENAF. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

PLauti & Terentii hanc nuperam Editionem Salvatoris Gaudini studio & labore concinnatam libenti animo legi, eamque ceteris aliis censui, Em. Princeps, anteferendam. Id enim studuit Auctor strenuissimus, nempe ut selectas veterum Poetarum Comoedias (expunctis iis, quae morum honestati officere possent) nec non quantivis pretii commentariis illustratas Tui Seminarii Alumni prae manibus nunc demum haberent, ab iisque gratissimas purae Latialis linguae flosculos, quod unum antehac desiderabatur, delibarent. Quamobrem non solum illam publici juris fieri puto, verum universae gratulor juventuti, quod Tuis auspiciis & hujusce Auctoris industriâ tantum sibi comparatum sit emolumentum. Dabam ex Aed. Sem. Non. Mart. anno 1770.

Humill. Obsequentiss. Addictiss. Famulus
Joseph Can. Simioli.

Attenta relatione Ill. Dom. Revisoris imprimatur. Datum 11. Mart. 1770.

F. X. EP. VENAF. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Adm.

Adm. Rev. D. Nicolaus Ignarra in hac Reg. Studiorum Universitate Professor Prim. revideat, & in scriptis referat. Datum Neap. die 22. Dec. 1769.

NICOL. DE ROSA EP. PUT. C. M.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

TYpis edi posse censeo perbreves quidem, sed non sine delectu habitas in Terentium commentationes, quas nec in Regem inofficiosas, nec in Regni jura peccantes deprehendi. Nam nunc non illud a me quæritur, tradi nec ne possint in manus adolescentium Fabellæ Terentii: res enim præjudicata est, & consentiunt omnes, excitandos atque inflammandos esse illos ad lectionem hujus Poëtæ, cui propter elegantiam sermonis, sententiarumque gravitatem, tota assurrexit antiquitas. Idem meum esto judicium de nonnullis ἀποσπασματίοις Ovidianis, deque concinnatis in duas Plauti Comœdias adnotationibus. Neap. Id. Januarii 1770.

Nicolaus Ignarra.

Die 5. Mens. Martii 1770. Neap.

Viso rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 17. proximi elapsi Mens. Febr. curr. anni, ac relatione Rev. D. Nicolai Ignarra de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Reg. Majestatis.
Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris. Verum in publicatione servetur Reg. Pragmatica. Hoc suum.

GAETA. PAOLETTI.

Vidit Fisc. R. C.

Illustr. Marchio Citus Præses S.R.C. & alii Spectabiles Aularum Præfecti tempore subscriptionis impediti.

Registrata.
Carulli.

Athanasius.





